
IOAN.
LOCCENIUS
de Iure
MARITIMO
AMSTELODAMI.
Apud Henricum et Theodorum
Boom. An. 1669.


JOHANNIS LOCCENII, JC.
Et
MARTINI SCHOOCKII,

JUS
Et
IMPERIUM MARITIMUM.

AMSTELODAMI,

Ex officina { HENRICI & THEODORI } BOOM,

M. DC. LXIX.



Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi ac Domino,

DOMINO

CAROLO GUSTAVO,

Principi Regni Suediæ Hæreditario, Comiti Palatino ad Rhenum in Bavaria. Duci Juliæ, Cliviæ & Montium, Comiti Valdentiæ, Spanhemij, Marchiæ & Ravensburgi, Domino in Ravenſtein, &c.

Principi & Domino ſuo Clementiſſimo.

(*) Sere-

Serenissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime.

QUod coram, uti par erat, non satis ipse ausus sum, istud pro me hanc scriptam adlocutionem, velut submissi animi interpretem, ex occasione, dum ingrediebaris hanc urbem, facere volui. Non possum non ut recens factum, & quod his meis oculis videre contigit, devota lætaque mente recordari & humillime gratulari delatos Regiæ Tuæ Celsitudini summi fastigii titulos, & decretos successionis Regni Suedici honores. Ad hanc consentientibus omnium animis, non sordida suffragiorum nundinatio, nec ambitiosa corrogatio, sed post exsertam divini Numinis dispensationem, sublimis Tua Virtus eximiis in patriam meritis probata gradum unicè struxit. Quam invicto animo & pruden-

tia

tia ſupremum belli imperium auſpiciis AUGUSTÆ CHRISTINÆ, Reginæ noſtræ Clementiſſimæ gesſeris, inter cetera æternæ laudis monumenta, maximè Praga teſtatur, ultima operum Tuorum militarium illius temporis intra Germaniam, Bohemiam & vicinas regiones meta. Quanto cum ſudore quam indefeſſa ſolertia & induſtria, iiſdem auſpiciis, illud arduum Pacis negotium ibidem elaboraveris, & tam feliciter ad finem perduxeris, ecquis ſatis deprædicare queat? His accedunt præter alias raras mentis & ingenii dotes, ille acer animi vigor, illa gravis facundia, tam inſigni comitate temperata: quæ quorumcunque animos occupat non minus quam aures. Ignoſce, Sereniſſime Princeps, ſi, quibus Tibi excolendam olim exiſtimabas dicendi artem, quamvis ingenio

inſitam,

insitam, exercitiorum Oratoriorum memoriam hic replicem. In his, dum hîc ut Princeps juventutis aliquando studiorum caussa degebas, mea etiam qualicunq; opera & cura uti, magna ista fortuna non indignum judicasti. Ista & plura tantæ gratiæ mihi toties exhibitæ insignia ut intelligas me deditissima mente recondere; & quavis occasione, ut decet, celebraturum, hoc opusculum, velut mentis meæ vadem, donec meliora possim, ad Regiæ Tuæ Celsitudinis pedes humilimè depono. Deus, qui Tibi, magne Princeps, fecit hæreditarium summæ dignitatis gradum; eundem porro suo tempore in excelsa Tua & Posterorum Virtute in solidum & immortale decus firmet.

Vpsaliæ. a. d. 30. Feb. A. 1651.

Regiæ Tuæ Celsitudini

Subjectissimus

JOHANNES LOCCENIUS.

TYPOGRAPHI
LECTORI.

SI rei maritimæ cognoſcendæ ſtudio teneris, Benevole Lector, non facile alibi tam brevi compendio eam explicatam reperias. Certe licet quamplurimi ſatis difficiles nodi in ea pertractanda ſint ſolvendi, id tamen præſtitit Loccenius, ut quantum brevitas pati potuit, diligenter omnia eum conquæ-

quæsivisse, satisque feliciter explicasse omnes confiteantur. Nobilitas quidem materiæ, quam additus Schoockii tractatus eleganter ostendit & deprædicat, ampliorem tractationem exposcit; sed dum expectamus quibus in hoc Oceano plenis velis libeat decurrere, interim eorum quæ scripta sunt optimis fruendum est. Vale.

PRAEFATIO
Ad
LECTOREM.

IUs maritimum & navale hujusmodi esse constat, ut ex legitimo ejus usu non exigua pars externæ felicitatis Rerumpub. pendeat. Quid enim magis fortunas & opes rerumpub. auget firmatque, quam frequens, justum tamen, navigationis & commerciorum exercitium? Vetus equidem Jurisconsultus ad summam rempub. pertinere dixit. Inde factum est, ut singularia quædam jura de eo passim condita sint; quæ, delectu utilium habito, in ordinem & succinctum opus contrahi, & nostris temporibus ac usui accommodari, è re juventutis & publicâ fore mihi persuadebam, quo animo hos libellos ex meis excerptis per otium concinnavi. Quia verò hoc argumentum ita comparatum est, ut in eo non pauca ex jure publico & gentium explicari necesse

 sit,

ſit, non ſolum Leges nauticas Romanas, in quas poſt recenſitum Peckii Commentarium luculentas edidit Notas clariſſimus Anteceſſor Academiæ Leidenſis Arnoldus Vinnius; ſed etiam Ius Nauticum Sueticum, & Statuta moreſque aliorum populorum tam veteres quam hodiernos, quotquot haberi potuerunt de hac materia, in partes advocavi. inprimis tamen vicinarum & conjunctarum gentium leges & inſtituta nautica conſului, quæ cum noſtris negociationum maritimarum tractatione & conſuetudine propius conveniunt. Ita Leges maritimas VVisbyenſes, quoties oportunitas allicuit & res ipſa juſſit, ad teſtimonium vocavi. quæ Leges eandem ferme authoritatem hodie obtinent, quam olim Leges Rhodiæ. Certè apud Transrhenanos populos, Reſpub. Hanſeaticas, & in Regnis Borealibus communi uſu receptæ & quaſi jure civitatis donatæ ſunt. Statuta inſuper maritima Hanſeaticarum civitatum & Reipub. Belgicæ, quæ navigandi & commer-

candi

tandi arte præ cæteris floret, ubi sic materies exposcebat, adhibui. quæ tamen cum per se non obligent alios, quam quibus scripta sunt, ea cautione admittenda esse ab aliis non semel protestatus sum, quatenus æquitati jurique gentium amicè congruunt, aut lege scripta vel contraria consuetudine non abrogata sunt. qua conditione etiam Romani Imperatores legem Rhodiam Nauticam olim in suam Remp. receperunt. Imitari hîc apes placuit, quæ cujuscunque generis flores ita libant, ut optimum inde succum hauriant. De quibus verò nihil expressum in Iure scripto exstat (nec omnia possunt Legibus includi, quum Ius finitum, negotia infinita sint) ea aut ipsorum Iudicum, aut illorum qui ad medium Ianum sedent, ut Poeta loquitur, vel mercatorum rei maritimæ peritorum prudentiæ permittenda erunt. DEVS faxit, ut noster labor ejus honori & publico bono serviat.

INDEX CAPITUM.

Lib. I.

Lib. II.

LIB. III.

Cum DEO.

JOHANNIS LOCCENII DE JURE MARITIMO ET NAVALI

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

De Origine & caussis navigationis.

I. Scopus & ordo operis.

II. Rudimenta navigationis in recens condito mundo.

III. Aucto genere humano incrementa ejus ex occasione commerciorum.

IV. Ex adquirendi cupiditate & quæstu.

V. Ex patriæ defensione maritima, aliisque caussis.

I. QVum materia de Iure maritimo & navali cuivis reipub. quæ negociationes transmarinas exercet, vel in mari classem habet, scitu necessaria usuque quotidiana sit, operæ esse existimavi, quæ sparsim in Codicibus Legum aliisque de hoc argumento scriptis, quotquot videre contigit, exstant, atque plurium gentium consensu observantur, in ordinem co-

gere, explicare atque in usum publicum promere. Quod ut commodè fiat, primū ut fabricatæ & instructæ classi mare velut aperiri & jure navigari, deinde tutum præstari, & tandem ejus beneficio solennes modi rei adquirendæ, & maritimi nauticique contractus celebrari possint, explanabo cum aliis quæ illis connexa sunt.

II. In primævo mundi statu jam in usu esse cæpisse navigia, non est quod dubitemus. Id satis colligere est ex illis Genes. cap. 1. v. 2. verbis: *Dominamini in pisces maris.* Illud enim dominium & piscationis privilegium humano generi divinitus concessum absque ratibus, cymbis & lembis haud potuisse commodè usurpari consentaneum est. Nisi quod ut omnium artium incunabula quædam sunt & progressiones, prima ætas rudimenta quædam navigiorum, & uti verisimile fit, schedias quasdam usurpavit, vel nudas arbores, ramis amputatis, quibus veluti navigiis *Vsoum primum ausum mare ingredi*, tradit Sanchuniathon apud Eusebium præpar. Evangel. 1, 10. Hunc *Vsoum fuisse Esavum*, ex vocis cognatione, & ejus habitatione, quod esset accola rubri maris, eruditi colligunt. Postea arbores cavatas, denique ex tabulis

&

& trabibus connexis navigia antiquitas excogitavit & fabricavit. Lucretius circa finem lib. V.

Navigia atque agri culturas, mœnia, leges
Vsus & impigræ simul experientia mentis
Paulatim docuit pedetentim progredientis.

Virgilius 1. Geor.

Vt varias usus meditando extunderet artes
Paullatim &c.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas.

Ceterum arca Noæ singulari artificio, ex ipsius Dei præscripto jussuque, ut scimus, exstructa est.

III. Primis tamen temporibus quum domi nata paucis & frugalibus hominibus sufficerent, cunctisque communia essent, non adeò opus erat transmarinis commerciis, & ad exteros navigatione. Tibullus lib. 1. el. 3. ubi de aureo seculo agit:

Nondum cæruleas pinus contemserat undas
Effusum ventis præbueratque sinum;
Nec vagus ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.

Et Germanicus in Arat. Phænom.

Ignotique maris cursus privataque tellus
Grata satis, neq; per dubios avidissima vetos
Spes procul amotas fabricata nave petebat.

Sed

Sed postquam crescente humano genere urbes condi & dominia rerum distingui cœperunt, negociationes terra marique, & navigationes institutæ sunt: quarum beneficio quod uni societati, sive ad necessitatem sive delicias deesset, ab altera peteretur.

IV. Mox accessit studium habendi, quod commoda maris & navigationis intenderunt auxeruntque. Iacobi patriarchæ vaticinium de Zebulone filio tale exstat Genes. cap. XLIX, v. 13. *Zebulon ad portum marium habitabit, ipse inquam ad portum marium, latusque ejus versus Sidonem erit.* Hoc Moses in ultima sua benedictione repetit, & clarioribus verbis exprimit Deuteronom. cap. XXXIII. v. 19. *Zebulon & Issachar affluentiam marium sugent & occulta, thesauros arenæ.* Salomon Proverb. cap. 31. v. 14. fœminam laboriosam & adquirendi studiosam *navibus negotiatoriis* comparat. Author Sapientiæ: *Navigium cupiditas quæstuum excogitavit.* cap. 14. v. 2. Homerus Odyss. lib. 17. *ventris gratia* (γαστέρος εἵνεκεν) *naves in indomitum mare armari* dixit. Hesiodus lib. II. Oper. & dier. ubi navigationis incommoda describit, hunc etiam versum addit:

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Pecunia anima est miseris mortalibus.

V.

V. Præter mercaturæ usum naves rei militari, & tutandæ in mari contra externam vim reipub. inservire cœperunt. Aristoteles VII. Pol. VI. *Mare & classem in bello esse tutelam reipub.* ait. Tacitus V. Histor. classes *imperii munimenta* vocat. Atheniensium Legati apud Thucydidem lib. 1. Histor. in Orat. ad Lacedæmonios, fortunas Græciæ in navium præsidio sitas fuisse prædicant, ejus rei muri lignei Themistoclis abunde fidem fecerunt. Idem experientia satis hodie loquitur. Inde Cosmi Medicæo familiare fuit dictum: *Non habendum potentem qui potentiæ terrestri non simul etiam navalem haberet conjunctam.* Et Hispanorum est adagium: *Regnum sine portu, esse sicut furnum absque igne.* Præterquam quod navigationes cultui vitæ & artium, traductioni coloniarum, valetudini & voluptati serviunt; de quibus plura Iohannes Schefferus gener meus in accurato opere de militia navali lib. 1. c. 1.

CAP. II.
De fabricatione & instructione Navium.

I. Privilegia Principum fabricantibus naves com-

concessa, cur negata Senatoribus & præsidibus provinciarum.

II. Pœna docentium barbaros artem extruendi naves. quæ tamen hodie non passim in usu est.

III. Qui eligendi ad fabricandam navem, & num alii illis substitui possint. ad quid obligentur.

IV. Navis corpus est ex compositis, nec admittit propriè divisionem, quod exemplis declaratur.

V. Quæ sit instructa navis.

VI. Num scapha etiam nomine instrumenti contineatur.

I. ORiginem & caussas navigationis proximo loco excipit fabricatio & instructio navium. Non autem hujus loci nostrique instituti est, ostendere quomodo naves ex aptâ materiâ convenienti tempore cæsa, quomodo justa proportione ac magnitudine sint exstruendæ : de quibus ipsi artifices rectius judicabunt. Nobis propositum est isthæc solum enucleare, quæ potissimum ex jure de hac materia, quatenus huc facit, observanda sunt. Quantum autem fabricatio & instructio navium ad mercaturæ cultum, & maris portusque tutelam habeat momentum, satis perpendentes

dentes Imperatores ac Principes, architectos & negotiatores etiam præmiis atque beneficiis ad hæc opera urgenda juvandaque allectare voluerunt: nec minus edictis pœnisque absterrere, ad quos ea res non pertineret: vel hæc impedire conantes, aut hosti hanc artem tradentes. Claudius Imp. naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituit, ut testatur Suetonius in vita Claudii cap. XIIX. Et Scævola IC. in *l. 3. de vac. & excus. mun.* muneris publici vacationem præstari notat illis qui (præter annonam adjutam) fabricarint naves marinas certorum modiorum. Senatoribus autem hanc vacationem datam negat: quod illis ex lege Iulia repetundarum navem habere non liceret *d. l. 3. in fin.* Sed & præsides provinc. in ea provincia, in qua administrabant, navem ædificare prohibebantur *l. 46. §. 2. D. de jure fisci*: ne adquirendi & negotiandi promiscua libertate studioque quæstus à publica administratione avocarentur, aut commoda mercatorum interciperent.

II. Capitalis pœna lege R. in illos decreta est, qui docent barbaros artem fabricandi naves, ante illis incognitam *l. 25. Cod. de pœnis.* Per *barbaros* hîc intelligi alienige-

nigenas, qui imperio R. non parent, nec eis amici sunt, colligere est ex *l. 2. Cod. quae res expor. non deb.* Anno Christi MDLXIII. communi conventus Lubecae habiti, & civitatum Hanseaticarum decreto interdictum fuit, ne commercio Christianorum, barbari, & inprimis illius temporis tyrannus Moschorum Iohannes Basilides, rariores artes ipsis ignotas, & quae ad rem *navalem*, militarem & tormentariam pertinent, edocerentur. Sic enim existimabant, ubi classis potestas fieret, non solum in Livoniam, sed etiam in Germaniam effuso exercitu penetraturos; ut notat Thuanus lib. XXXVI. Histor. Ita memoria nostra, inquit idem, Turcos Genuensium lucri cupiditate illectorum frequentatione rem navalem edoctos, Helle pontum transmisisse, & inde Graecis transfugis & piratis adjutoribus classe instructa Constantinopolin imperii Orientalis caput, & mox Macedoniam, Illyricum & universam Peloponnesum in potestatem redegisse constat. Quamvis autem hujusmodi poenae & edicta prudenti & reipub. Christianae utili consilio sint constituta, ne subditi suis ingeniis & arte contra se arment & instruant vires barbarorum; tamen serum esse videtur, ho-

die tale quid prohibere: cum hæc ars omnibus ferme populis nunc cognita sit, aut peritorum industria pecuniæ studio allecta passim tradatur. Hoc tamen nonnullorum populorum statutis adhuc cautum est, ne peregrinis apud se exstruere navem liceat, nisi cum consensu Senatus, & tot nummorum summa soluta, quot amphotarum navis esse debet. ita Statut. Dantisc. part. 1. cap 4. art. 3. sancitum est. Ratio in promtu est, ut hujus commodi magis domestici & cives, quam exteri participes reddantur.

III. Idoneos & peritos architectos ad fabricandam navem adsci sci, ratio ipsa facile docet; præpositis, ubi usus exigit, curatoribus & inspectoribus, qui opus promoveant & exigant; de quibus *l.* 18 §. 10. *D. de mun. & honor.* Vbi vero navem à se fabricandam quis promisit, & hoc specialiter actum est, ut suis operis perficiat, alius ipsi substitui nequ t; nisi aliter convenerit *l.* 31. *D. de solut. arg. l.* 12. §. 6. *D. de usu & hab.* aut nisi per imperitiam, qui peritiam professus est, perdat opus. tunc enim ex damno tenetur; aut si inopia laboret, arbitraria animadversione. *l.* 132. *D. de reg. jur. l.* 12. §. 1. *C. de ædif. priv.* domino autem

tem hic integrum erit alium eligere *Statut. Gedan. p.* 1. c. 4. *a.* 8. Si navis exſtructio averſione locata ſit, i.e. totius pro indiviſo una mercede, periculo conductoris, donec approbetur, locatio facta *l* 36. *D loc. cond.* operis faciendi debitor, niſi conſummationem operi addiderit, non liberatur. Sed aut conſummabit, aut ex diſpendio, quod dominus inde ſenſit, tenebitur *d. l.* 12. §. 8. *de ædif. pr.* facti enim vel operis faciendi obligatio eſt individua, ita ut corpus ex opere locato perficiatur *l.* 5. §. 1. *D. de verb. ſignif. l.* 80. §. 1. *D. ad leg. Falcid. Hag. de uſur. c. X. n.* 82. 83 Si verô certa ac definita forma navis extruenda ſit locata, ſatis erit ſecundum præſcriptum modum ac conventam formam opus eſſe conſummatum. ex conventionis enim forma finem ſuum quoque conſecutum eſt opus: & ipſa conventio actionem format in bonæ fidei judiciis *l.* 7. § 5. *de pact.* quale eſt locatio conductio § 28. *Inſt. de Action.* Conf. *Goedd. ad l.* 5. *de V. S. n.* 13. Si navem fieri ſtipulatus ſim, atque, ſi non feceris ad dictum tempus, centum, hujusmodi pœnali ſtipulatione quaſi novatio prioris obligationis fit, *l.* 44. § 6. *D. de oblig & act.* ita ut poſt moram centum præſtentur. *vid. Bronchorſt. cent.* 4.

aſſert.

*assert.*61.Res autem & pœna simul exigi nequit, nisi nominatim de utroque præstando cautum sit *arg.l.*115.*in fin.de verb. oblig. Hotoman. ill quæst.*10.*fusè.* De hac quæstione, si navis ædificetur ex alienis tabulis, cuius sit, vid.inf.lib.3.cap 1.

IV. Quando navis est ædificata, corpus quoddam ex compositis esse dicitur. Græcis *συνημμένον. Plutarch. in prac. connub. Pomponius Ic. in l.* 30. *D. de usurp.* Sicut ædium unum corpus est ex cohærentibus lapidibus tignis & tecto §. 18. *Inst. de Legat.* Itaque sine dissolutione totius & privatione veri usus non potest strictè dici dividi navis. Huc facit jocus Casselli IurisConf. apud Macrobium 1. *Saturnal. c.* 6. qui mercatori, quomodo cum socio navim dividere oporteret, consulenti respondit: *Navim si dividis, nec tu nec socius habebis*, vel, ut est apud Fabium *lib* 5.*Orat.Inst.c.*4. *Navem dividere volo, Perdes, inquit.* Ita Q. Fabius Labeo Legatus Rom. dolo egit, dum in fœdere cum Antiocho Rege, quo conventum erat, ut captarum navium partem dimidiam reciperet, medias omnes secuit, ut eum tota classe privaret. *Val. Max.*7,3,4. Pars enim dimidia navium integrarum in divisione ipsi præstanda erat, non sectarum.

Proinde

Proinde si pluribus sociis aut hæredibus una navis communis sit, quæ commodè non recipit divisionem, præstat in solvenda societate aut dividenda hæreditate integrā uni adjudicari, & alterum in æstimationem suæ portionis æquam pecuniæ summam alteri præstare. *l.* 192. *D. de reg. jur. Stat. Lub.* 3, 13. Cæterum si navis hac mente resoluta sit, ut in alium usum tabulæ destinentur, licet mutato consilio perficiatur, tamen & peremta prior navis, & hæc alia dicenda est. Sed si reficiendæ navis caussā omnes tabulæ refixæ sint, nondum intercidisse navis videtur, & compositis rursus eadem esse incipit. sicuti de ædibus deposita tigna ea mente ut reponantur, ædium sunt. sed si usque ad aream deposita sit, licet eadem materia restituatur, alia erit. *l.*83.§. 5. *D. de verb. oblig.*

Si quis pactus sit, ne navem peteret, hac dissoluta singulas tabulas petere nequit: sed pacti conventi exceptione submovebitur; nisi specialiter aliud actum sit *l.* 27. §. 8. *ff. de pact.* Totum enim compositum pactus est ne peteret; tabulæ autem sunt pars compositi: quo dissoluto, totum esse non intelligitur. *vid. plura apud Stypman. p.* 4. *Iur. marit. c.* 1. *n.* 178. *seqq.*

V.

V. Navis ædificata etiam, præter commeatum, instruenda est, ut scimus, gubernaculo, malo, antenna, velis, anchoris, & aliis necessariis partibus: quæ membra navis in *l.* 44. *D. de evict.* instrumenta in *l.* 29. *D. de instr. vel instrum. leg.* armamenta in *l.* 9. *de leg. Rhod. l.* 3. §. 1. *de rei vind. l.* 5. *qui pot. in pign.* & *Cæsar lib.* 1. & 111. *belli civ.* dicuntur, ut Græcis ὅπλα. quæ navis gratia parantur *l.* 2. §. 1. *D. ad leg. Rhod. de jactu*, & navis iis utilis ad navigandum redditur *l.* 242. *D. de verb. sig.* Licet autem Iavolenus & Labeo in *d. l. de V. S.* artemonem negent partem esse navis, cum magis sit pro adjectamento; tamen non dubitandum est, quin sit instrumentum navis *Alciat. ad l. CCXLII. de V. S.* quo navis quoque utilis ad navigandum redditur. Quippe rei accessiones & instrumenta, si non essentialem principis rei partem, utique aptam & usui accommodatam constituunt, ut artemon, clavi, remi, scapha, cæteraque quibus armatur & instruitur navis. *Forner. ad l. Malum navis.* Si quis ergo navem cum instrumentis, vel perfectam & instructam emerit, omnes hæ partes à venditore præstandæ erunt.

VI. Sed majoris dubitationis est, ut hoc

ex occasione addam, an, si quis navem cum instrumento legaverit aut emerit, præstanda sit scapha navis? Labeo quidem ita statuebat in *l. ult. D. de instruct. vel instrum. leg.* Sed Paulus, Pomponius, Alfenus & Vlpianus negabant in *d. l. & l.* 44. *D. de evict.* & quidem his argumentis: quod scapha non esset conjuncta navi, ut alia membra navis, sed per se parva navicula, separata à navi: nec ejusdem generis cum instrumento navis. Verùm ad hoc regeri potest: Etiam armamenta separari à navi queunt *arg. l.* 3 §. 1. *ff. de rei vindic.* & tamen necessariæ partes navis sunt *d. l.* 44. *D. de evict.* Et licet scapha non sit ejusdem generis cum instrumento navis, tamen genere convenit cum ipsa navi, nec ab ea nisi quantitate differt; ut ipse Paulus fatetur in *l.* 29. *D. de instr. vel instrum. leg.* Sed quidquid sit, Labeonis sententia stare potest in casu legatæ aut venditæ navis plenè instructæ, & cum omni accessione, sequela & partibus ejus. Vt enim partes ædium dicuntur, quæ perpetui usus causa parata sunt *l.* 242. §. 4. *de verb. signif.* & quibus ædes perficiuntur *l.* 245. *de V. S.* ita scapha potest dici pars navis, quatenus necessarium usum navi præbet, & navigatio sine ea commodè

perfici

perfici nequit. Vide quoque *Basilic. lib.* 53. *tit.* 2. *cap.* 4. Vinnium ad Peck. in tit. de Exerc. act. pag. 80. ubi post alia probat Baldi & Strachæ sententiam, scribentium, publicatâ navi scapham, tanquam separatum quid, non intelligi publicatam; quod & aliàs pœnæ restringi solent.

Cap. III.

De jure navigandi.

I. Finis & usus navis.
II. Quid sit jus navigandi.
III. Illud esse commune, probatur ex jure naturæ, gentium, divino & civili.
IV. Ius aut servitus navigandi per lacum alterius.

I. QVando navis fabricata & instructa est, ad hunc finem & usum paratur, ut naviget, veluti Vlpianus ait in *l.* 12. §. 1. *D. de usufr.* & res ipsa hoc satis indicat. Vt autem constet, justam esse navigationē, de ejus jure nonnulla observabimus.

II. Ius navigandi est innoxia facultas transfretandi ad vicinos aut remotos populos, à jure naturæ, gentium, divino & civili

civili permissa, aut fœderis, amicitiæ, societatis contemplatione ob communionem commerciorum libera; aut jure servitutis in lacu alterius debita. Alii brevius : *Ius ducendi onerarias naves per aquas.* Stypman. Jur. mar. part. 1. c. 3. n. 6, 7.

III. Si verò est libera negotiandi facultas, utique etiam id, sine quo illa commode exerceri nequit, liberum erit, nimirum jus navigandi, aut trajiciendi mare : sive id expresso pacto, sive tacito consensu fiat. Hoc primo juri naturæ convenit. Cum enim non omnia apud omnes hominum usui necessaria proveniant, ex noto Poetæ dicto :

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt; ideò Deus per naturam velut fidam humanæ necessitatis ministram sic ordinavit, ut usibus hominum per navigationes & commercia succurreretur, & societatis humanæ vinculum conservaretur. Tullius 1. Offic. *Servanda est in societate communitas omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit.* Idem ibid. *Quidquid sine detrimento accomodari potest, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia. Non prohibere aqua profluente; Pati ab igne ignem capere.* Hinc etiam *mare* dicitur *natura omnibus*

nibus patere in *l.* 13. *D. comm. præd.* & ex *jure gentium commercia* esse instituta in *l.* 5. *D. de just. & jur.* quod ita communi consensu gentes cultiores semper observarunt; nisi justa cuipiam denegandi caussa subesset. Quo præterea fine Deus usum maris & fluminum omnibus hominibus communem fecisset tam ante quam post diluvium *Gen.* 1. *v.* 28. *Gen.* 9. *v.* 2. nisi omnibus cum effectu patere etiam in navigandi commoditate voluisset? Seneca lib. 4. de benefic. cap. 28. *Deus quædam in universum humano generi dedit, à quibus excluditur nemo. Nec enim poterat fieri, ut ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis. Commune autem bonum erat patere commercium maris & regnum humani generis relaxari.* Hisce consentit Jus Civile, quod mare & litora maris vult esse communia ipso jure naturæ §. 1. *Inst. de rer. div. l.* 3. §. 1. *Ne quid in loco pub.* & fluminum publicorum dicitur communis usus, sicut viarum publicarum & litorum in *l.* 24. *de damn. inf. vid. & Tit. Dig. ut in flum. pub. navigare lic.* Et in jure vetatur aliquid fieri vel ædificari in flumine publico aut mari, quo navigationis usus impediatur. Adversus eum qui molem in mare projecit, utile edictum compe-

tit illi cui hæc res nocitura est *l.* 2. §. 8. *D. Ne quid in loco pub.* aut si quid in mari vel flumine pub. fiat, quo, statio aut iter navigiis deterius fiat *l.* 1. §. 17. *D. de flum ne quid in flum. pub. ripave ejus fiat, quo pejus navigetur, & toto hoc tit. item tit. seq. Ne quid in flum. pub.* Invitarunt insuper veteres Imperatores ac Principes, navigantes immunitatibus, collegiorum jure, successionis commodo, & aliis emolumentis ad navigandi industriam, uti videre est ex *l.* 5. §. 3. *seqq. de jure imm. l.* 9. §. 1. *de Decur. l.* 5. *de mun. & hon. l.* 1. *quod cujusque un. nom. l.* 1. *C. de har. decur. l.* 24. *C. de excus. tut.* aliisque legibus diversorum Principum ac Rerumpub. Si igitur innoxius transitus ac navigatio per mare prohibeatur, prohibens injuriarum actione conveniri potest *l.* 1. §. 9. *ne quid in loco pub. l.* 13. §. 7. *de injur.* & qui alterum in eo quod est juris communis, absque justa causa impedit, ad omnis damni restitutionem bonorum virorum arbitrio tenetur. Si autem juris via, vel arbitrorum judicium spernatur, visque fiat, injusta vis juste & authoritate publica repelli potest. Sed de his prolixius & accuratius egerunt Grotius in toto libello de Mari libero, inprimis

mis in cap. I. VIII. & XIII & Vasquius Illust. Quæst. lib. I. cap. LXXXIX. aliique. Quæ de flumine publico, eadem quoque de lacu pub. certo modo accipias. *Vid. Stypman. part. 2. jur. mar. c.* 6. ubi plura de lacubus, stagnis & minoribus aquis, quæ apud ipsum legi possunt.

IV. Sed & navigandi jus per lacum alterius privatum, vel navigandi servitus imponi potest, ut per istum lacum perveniatur ad fundum vicinum. Atque si servitus sit rustica, debetur prædio rustico *l. 23. §. 1. D. de servit. præd. rustic.* urbana, si debeatur prædio urbano. imo & personalis, si homini id jus constitutum sit. *Zæsius ad d. tit. n. 10. & Stypman. d. loc. n. 57. & seqq.*

Cap. IV.

De Imperio maris.

I. *Libertatem navigandi dominio maris videri restringi.*

II. *Vnde sit illud dominium.*

III. *Quotuplex sit. quid & quale hic intelligatur. Tale dominium maris intra suas*

ditiones quoque habere Reges Sueciæ & Daniæ. Tentata conciliatio de imperio maris diſſidentium.

IV. Modus & finis imperii maris.

V. Num protectio maris dominium adferat.

VI. Quoſque ſe extendat jurisdictio in mari. delinquentes in mari cujus loci forum ſortiantur.

VII. Determinationem certæ navigationis non tollere omnem navigandi libertatem.

VIII. Peregrini quatenus admittantur.

IX. Quid liceat in eos qui hoſtibus res ſubvehunt. Nec illud impedire jus commerciorum, ceſſante bello aut prohibitionis cauſſa.

X. Velorum demiſſionem in occurſu aut conſpectu Regiarum navium, non ſolum imperium maris arguere, ſed etiam honoris argumentum eſſe: nec navigationis libertatem diminuere.

I. AT præcedenti capite dictis obſtare videtur imperium vel dominium maris, quo navigationis uſus ad juris proprii vel commodi publici rationem referri, aliiſque ex arbitrio vel uſu reip. concedi aut ſufflaminari queat.

II. Certum

II. Certum quidem est, primævo jure naturæ & conditione hominum, maris usum & proprietatem omnibus fuisse communem, sed Reges, Principes & Respublicæ liberæ ejus dominium vi imperii in terras & undas illis conjunctas paulatim ad se traxerunt. Ambrosius lib. V. Hexaëmer. cap. XXX. *Principes spatia maris sibi vendicant jure mancipii. Iste, inquit, sinus maris meus est; ille alterius. Dividunt sibi elementa potentes.* Vid. & *l. IX. D. de lege Rhod. de jactu, & quæ in eam notavit nobiliss. Iurisconsultus Iac. Gothofredus cap. VII. de imperio maris.* Idem firmat vetus formula deditionis (Collatinorum) apud Livium lib. 1. in qua non solum urbes, agri, & alia; sed & *aqua* in deditionem venire dicitur. Non tamen Principes aut liberi populi imperium habent in universum mare; nec navigandi libertatem jure naturæ communem tollere possunt aut temerè impedire.

III. Quæ de hac materia jam à viris clarissimis Grotio in Mari libero & in libris de jure belli & pacis, Seldeno in Mari clauso, Rivio in Historia navali, Pontano in Discussionibus Historicis, & ab aliis eruditè prolixeque sunt observata, & ingeniosè

utrinque disceptata, multis hic non repetam, ne actum agam. nec illorum controversias nunc ferè quiescentes resuscitabo: præsertim cum eorum sententiæ iu speciem dissidentes, si rectè acceptentur, commodè conciliari posse videantur. Si nimirum discrimen inter *imperium maris universale*, & *particulare ejusq; modum* rite attendatur. Dominium maris universum & summum nulli hominum, sed soli Domino dominorum competere, liquet *ex Psal. VIII. v. 9. Ps. LXXII. v. 8. Psal. LXXXIX. v. 10. Ezech. XXIX. v. 3. 9. Zach. IX. v. 10.* quod Deus etiam insignibus miraculis V. & N. Testamenti satis manifestum fecit. Et nonne quotidiani instar miraculi est, (quamvis aqua cum terra unum constituat globum, & Deus naturam per media regat) divinique imperii in universum mare fructus, ac beneficium erga mortales prorsus eximium, quod vastum illum oceanum intra terminos suos Deus coërcet, ne terrã impetu suo, violento æstu, ac exundatione, ut interdum minari videtur, (nec absq; damno accolarum maris si suis hoc delictis meriti sint) obruat ac submergat? de quo *Iob. c.* 38, 10. 11. *Prov.* 8, 29. *Ier.* 5, 22 *Amos.* 5, 8. *&* 9, 6 *Syrac.* 43, 25. quod

fluctibus

fluctibus & ventis, quoties ipsi placet, quietem & silentium verbo aut nutu imperat. quod tot homines in tot maritimis & tam periculosis itineribus servat. Cæterum quod Procopius lib. 1. de ædific. orbem in manu statuæ Imperatoris positum fuisse tradit ὅτι γῆ τε αὐτῷ καὶ θάλασσα δεδούλωται πᾶσα, *quia terra ipsi & omne mare servierit*, hoc ad orbem Romanum, qualis tunc erat, latitudine quadam oeconomica, per synechdochen integri referendum esse, rectè notavit Iac. Gothofredus V. CL. cap. VIII. ad l. Deprecatio leg. Rhod. de jactu. Ita Maro de Romanis 1. AEneid.

Qui mare, qui terras omni ditione
tenerent.

Sed mare particulare, ut vocant, vel singulare imperio Regis, Principis aut Reipub. subesse potest, quatenus est in ejus ditione; ita tamen ut usus navigationis & innoxius per id mare transitus etiam aliis ejus jurisdictioni non subjectis jure gentium & humanitatis lege pateat. Ita, ut hodiernum aliorum Principum & Rerump. maritimum imperium intactum relinquam, Reges Suediæ & Daniæ jam â tempore memoriam hominum excedente habent & exer-

cent imperium oceani marisque Balthici, quatenus intra ditiones eorum fluit, vel littora alluit. Etenim ipsa natura videtur hoc jus illis ab initio attribuisse, dum mare Balthicum instar balthei, unde & dicitur, Sueciam, Daniam & Norvegiam cingit. Quò haud incommodè referas illud Taciti in Germania: *Cetera oceanus ambit.* Item: *Latos sinus & insularum spatia immensa complectitur.* Idem clariori adsertione firmat Helmoldus lib. 1. Chron. Slavor. cap. 1. *Sinus hujus maris appellatus ideò Balthicus, quod in modum balthei longo tractu per Scythicas regiones tendatur. Hoc mare multæ circumsident nationes. Dani siquidem ac Sueones, quos Northmannos vocamus, septentrionale littus, & omnes in eo obtinent insulas. At littus Australe Slavorum incolunt nationes, quarum ab oriente primi sunt Ruzi* (Russi) *deinde Poloni* &c. De hoc dominio maris Regum Borealium plura & quidem prolixè notavit cl. Stypmannus part. 1. juris marit. cap. VI. n. 346. & seqq. item 436. & seqq. quibus superiora, ab ipso non observata, addere placuit. Hoc discrimen inter imperium maris universale & particulare ipsi authores ante laudati, si penitius inspicias, agnoscunt.

ſcunt, utut in aliis nonnullis diſſentiant. Illud paucis ſignare placet. Seldenus lib. 1. Mar. clauſ. cap. VI. *Quidquid*, inquit, *adquirunt homines, reſtat ſemper Deo O. M. ut naturæ univerſalis parenti, dominium illud ſupremum tam hominum quam rerum prorſus omnium: quod nemo ſanus negaverit. Sed de dominio humano controverſia eſt; eo ſcilicet, quod uſumfructum & proprietatem qualemcunque, integro ſemper Numinis, quod nequit minui, dominio complectitur.* Et cap. XX. *Humanitatis quidem officia exigunt, ut hoſpitio excipiantur peregrini, etiam ut innoxius non negetur tranſitus.* quem tamen negat imperio maris privato derogare. eundem à territorii dominis temperari ſolere ait pro commodi pub. ratione. Vid. & cap. XXIII. & paſſim alibi. Simile quid Rivius lib. III. Hiſtor. Naval. med. cap. XXXVIII. *Mare* (alicujus territorio ſubjectum) *amicis, hoſpitibus, fœderatis, ſociis denique noſtris patere; hoſtibus verò aut alienis non item, niſi noſtra id voluntate & permiſſione fiat.* Ab hac ſententia non prorſus abit Grotius, ut ipſe Seldenus fatetur lib. 1. Mar. clauſ. cap. XXVI. pag. 218. 219. *In libris*, inquit, *de jure belli & pacis* (lib. 2. c. 2. §. 2. & 3.) *Grotius poſita*

quidem originis privati dominii ratione in eo quod est, loca privatim assignata universorum commodis non sufficere, propter Maris magnitudinem & abundantiam inexhaustam, quæ sufficiat omnibus, in proprium id jus abire non posse concludit. Alia item adjicit de interminata maris natura; de quibus utrisque satis est dictum superius. Sed tandem receptis populorum se moribus dedit, & de Maris proprietate seu dominio privato, ut re extra controversiam interdum concedenda, non semel loquitur. nimirum d. cap. §. 13. & cap. 3. §. 7. 8. lib. 2. quæ apud ipsum in dicto libro, qui in omnium fere manibus est, inspici possunt. Idem Grotius in d. cap. 3. §. 12. ait: *Illud certum est etiam qui mare occupaverit, navigationem impedire non posse inermem & innoxiam, quando nec per terram talis transitus prohiberi potest, qui & minus solet esse necessarius & magis noxius* Et. §. 13. *Ut autem solum imperium in maris partem sine alia proprietate occupetur, facilius potuit procedere: neque arbitror jus gentium obstare.* Idem in cap. V. Mar. Lib. p. m. 44. *Si quid earum rerum per naturam occupari possit, id eatenus occupantis fiat, quatenus ea occupatione usus ille promiscuus non læditur.* Et pag. 63. ibid.

63. ibid. *Omnes qui mare volunt imperio alicujus subjici posse, id ei attribuunt, qui proximos portus & circumjacentia littora in ditione habet.* Et mox: *Deinde verò etiam qui Mari imperaret, nihil tamen posset ex usu communi diminuere, sicut populus Romanus arcere neminem potuit, quo minus in littore imperii Romani cuncta faceret, quæ jure gentium permittebantur.* Pontani denique libr. II. Discussionum Historicarum cap. II. hæc sunt verba: *Mare, si ejus vastitatem videamus, esse numinis ac Dei omnipotentis, ex Psalmo 115. constat. Nam de partibus singulis, deque maribus particularibus nemo negaverit, alicujus esse ea dominii posse.* Ibid. *quod sub finem ejusdem capitis subjicitur, Mare non minus ac Tellurem domimii privati capax esse, lubenter concedimus, si de mari singulari id capiatur, nequaquam si de universali.* Cætera brevitatis caussa prætereo, quæ apud ipsum legi possunt.

IV. Si verò nostrum non est inter illos
tantas componere lites,
audiant Reginam Angliæ Elisabetham tanquam honorariam arbitram, quæ sic per Senatum respondit Hispanico in Anglia

 Legato,

Legato, apud Camdenum, ad annum 1580. *Rei alienæ donationem & imaginariam proprietatem, & præscriptionem, quam obtendat Rex Hispaniæ, nihil obstare, quo minus cæteri Principes commercia in Indicis regionibus exerceant, & colonias ubi Hispani non incolunt, jure gentium nequaquam violato, deducant; nec non oceanum illum vastum liberè navigent: cum maris & aeris usus omnibus sit communis. Nec jus in oceanum populo aut privato cuipiam poßit competere, cum nec naturæ, nec usus pub. ratio occupationem permittat.* Item ad annum 1602. *Principes non habere ejusmodi in mare dominium, ut navigantibus ejusdem usum non minus quam aeris prohibeant.* Item: *Principes non habere jurisdictionem nisi in mari territoriis suis propius adjacente; idque ut navigationes sint tutæ à piratis & hostibus.* Hîc modus & finis istius imperii singularis in mare simul indicatur: ut nimirum hoc imperium ita usurpetur, ut tamen navigantibus justus maris usus integer relinquatur & ut mare purgetur à prædonibus & hostibus. Hunc finem etiam spectavit Strabo lib. XIV. Geogr. ubi de imperio maritimo Rhodi loquitur: ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον, *ad longum tempus*

pus imperium maris habuit, statim addit: *καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε*, *& piraticam sustulit.* Idem Diodorus Sicul. lib. XX. adfirmat: *Rhodios in commodum Græcorum aliorumque transeuntium mare prædonibus purgasse.* Augusti inscriptio Ancyræ reperta:

MARE. PACAVI. A. PRAE-
DONIBVS.

V. Occasione hujus non abs re disquiritur, Num protectio maris ejusque purgatio à piratis, & animadversio in eos confestim det dominium maris? quod non temerè existimandum. Quamvis enim facile demus, eos qui imperium particulare maris habent, navibus præsidiariis in illo dispositis posse & debere mare tueri, prædonibus purgare, atque eos, ut decet, plectere: tutamque transeuntibus navigationem præstare: (conf. *l. un. C. de clasſic.*) quo nomine etiam vectigal pendi non iniquum est; hoc tamen non est reciprocum, ut, qui mare aut flumen protegit, piratas tollit, statim habeat maris aut fluminis dominium. quippe protectio non dat dominium *c. recepimus in fin. ext. de privil. Gail. 2. obs. 54.* Et piratæ tanquam communes ge-

neris

neris humani hostes, etiam à privatis capi supplicioque tradi possunt. qua de re fusius inf. in peculiari capite de Piratis. Accedit, quod protectio & jurisdictio, quæ etiam temporaria esse potest, à proprietate maris distinguenda est. Potest item hostis classe potentior, & victor, imperium maris tenere; sed idem fortuna vertente amittere, vel pace facta priori domino restituere. quod obvia passim exempla docent. Dominium autem ex sua natura perpetuum est. Sed & classes præsidio navigantium disponere atque piratas punire, non ex proprio, sed communi jure descendit, quod etiam aliæ liberæ gentes habere possunt. Sic Hollandi aliquando purgarunt mare prædonibus, cujus rei signum scopæ malo impositæ præferebant. non tamen inde sibi proprietatem maris vindicarunt. Illud interim largiendum est, inter gentes vicinas ita convenire posse, ut capti in maris hac vel illa parte, hujus aut illius reipub. judicio sistantur, atque ad commoditatem distinguendæ jurisdictionis fines describantur: quod ipsos quidem hanc sibi legem dicentes non alios obligat: neque locum alicujus proprium facit, sed jus in personas contrahentium

hentium constituit. *Grot. cap. V. Maris lib.*

VI. Iurisdictionem autem habens in territorio vel districtu mari cohærenti, habere existimatur in mari jurisdictionem usque ad duorum dierum iter, ut Dd. volunt. *Vid. Hieron. de monte Brixiano in Tract. de Finib. reg. cap. 7. n.* 12. 13. Bodinus *lib. 1. de Rep. c. ult.* jure quodammodo Principum omnium maris accolarum communi receptum esse testatur, ut sexaginta miliaribus à litore Princeps legem ad littus accedentibus dicere possit. in cujus rei fidem citat Baldum *in rub. de rer. div. col. 2. & in l. cum proponas de naut. fœn.* per sexaginta autem miliaria procul dubio ex mente Baldi Italica miliaria intelligit. Atque ita judicatum in causa Ducis Allobrogum, ibid. notat. Licet non desint, qui Principibus suis jus ac jurisdictionem in mari longius metari velint. Alii strictius & brevius determinant; præsertim si mare interjacens eo usque se non extendat: nimirum ut unicuique juxta sua littora competat dominium: extra ea, quatenus classe locum occupavit, vel quousque eius territorium juxta mare porrigitur. *Stypman. part 1. Iur. Marit. cap. 5. n. 55. & seq.* Communiter tamen deli-

ctuin.

ctum in mari particulari perpetratum in illa civitate vel repub. puniri solet, ad cujus jurisdictionem mare spectat, cujusque portui locus ille maris propinquior est. *Zuar. de usu mar. consil.* 1. *n.* 3. Sed si crimen in mari inter duas urbes æqualiter distantes commissum sit, ejus cognitio ad utramque per concursum jurisdictionis pertinebit, quia delictum commissum est in confinio, quod est commune utriusque civitatis. Si verò eadem pars maris ad plures pertineat, illi omnes poterunt cognoscere; ita tamen ut sit præventioni locus. Prævenire autem dicitur, qui delinquentem cepit in mari, licet alius judex prius eum citarit. Ita statuit Hieronymus de monte Brix. *d. loc. n.* 9, 10. 11. *& cap.* 25. *n.* 8.

VII. Præterea pactis quibusdam certi termini navigationis definiri possunt à victore, vel ab illo qui mari dominatur: quod exemplis & moribus gentium probant *Grotius libr.* 2. *de jur. bell. e. p. cap.* 3. §. 15. *Pontanus Discuss. Histor. lib* 1. *c.* 21. illa tamen definitio imperium maris non absolutum reddit: ita ut aliorum populorum, ad quos illa pacta nihil pertinent, libertatem navigandi planè tollat, aut eos obliget

obliget *Grot. d. loc.*

VIII. Sed nec domini in suas terras ad quosvis mercatores & peregrinos suscipiendos inviti jure gentium cogi possunt; sed id facient bona cum gratia, vel ex indultu, commerciorum fœdere, vel communi humanitatis lege, modò peregrini ad licitos portus accedant, ibique quod debent vectigal solvant, nec se indignos humana consuetudine & justis amicisque commerciis reddant; nec vetita aut illicita inferant; aut ob justum metum detineantur. *Selden. lib. 1. Mar. clauf. cap. 21. Riv. lib. 3. Nav. hist. med. c. 38.*

IX. Incidit hic illa nobilis quæstio, Num liceat vigore imperii in mare, durante bello prohibere certarum mercium subvectionem hosti subministrandam ab illis qui neutrarum sunt partium, vel ab aliis? Quamvis pro varietate temporum & status hoc à nonnullis populis non eodem modo semper observatum sit, tamen quid communiter & plerarumque gentium jure hic obtineat, scire satis erit. Hoc autem in confesso est, si libera transeundi facultas per alieni territorii mare negata sit illis qui merces hostibus advehebant, eam non tam intuitu do-

dominii maris, quam ne hostem commeatu contra publicum in terdictum juvarent, denegatam esse. Hoc ipse Seldenus, qui etiam ex hac caussa dominium maris assertum it, inficias ire nequit. quippe lib. II. Mar. claus. cap. XX. scribit, quibusdam Principibus & Rebuspub. ab Elisabetha petentibus: ut flagrante inter eam & Hispanum bello, liber ipsis esset per mare Anglicanum transitus cum annonâ in Hispaniam, eam licentiam esse negatam, *non solum dominii maris causa, sed inprimis ne hostibus commeatus adferrentur*. Ibid. refert, cum naves Hanseaticorum frumento onustæ à classiaris Anglicanis in ipsis Vlissiponis faucibus, extra territorium Angliæ marinum captæ essent, quæ per mare Scoticum & occiduum in Lusitaniam tendebant, clamitasse inde Hanseaticos, jura gentium, commerciorum, fœderum violata esse; *navibus ab Angla ita eo solùm nomine, quod ad hostem commeatus deferrent, captis* in territorio, cujus se dominam ne obtendebat quidem Angla. Plura, si lubet, vide apud Seldenum dicto capite & Pontanum lib. 1: Discuss. Histor. cap XIII. Si verò imperii maritimi jus hic forte quis obtendat, tamen

fre-

frequentius ex dicta caussa, quam jure imperii maritimi, edictis publicis prohibitam esse & prohiberi constat earum rerum, quibus hostis vires juvarentur, non verò ita aliarum innoxiarum mercium, transvectionem; idque quodam naturæ gentium aut belli jure. Velut Protestantes responderunt Lusitanis, cum eorum XXV. naves spoliassent, quæ in portu hærentes destinaverant frumentum Hispano tunc hosti subvehere. *Iure belli licere tales spoliare naves, quippe rem edictis & constitutionibus regiis prohibitam esse*, apud Thuanum Histor. lib. LXIV. Quamvis autem non semper ab extraneis hujusmodi edictorum ratio habeatur, sed interdum distinguant tempora, caussas, loca; tamen hoc facere eos suo periculo par est, præsertim si præmoniti sint, ut sibi suoque damno caveant. Hic locum habet illud Amalasuenthæ ad Iustinianum: *In hostium esse partibus, qui bello necessaria hosti administrat*, apud Procop. 1. Goth. Nec est quod quis commercandi libertatem neutrarum partium titulo excuset. Sic enim suum quæret commodum, ne aliis hoc sit fraudi & incommodo. Cum Vrbes Hanseaticæ anno MDLXXXIX. graves insti-

instituerent querelas ad Reginam Angliæ, de interceptis, ab Anglis sexaginta navibus in Hispaniam cum frumento & apparatu nautico tendentibus, quasi privilegia antiqua violata essent, respondit Regina: *se præmonuisse, ne apparatum bellicum ad hostes regni Angliæ subveherent, subvehentes licitè intercepisse, nec aliter potuisse, nisi perniciem sibi & suo populo sponte attrahere maluisset. Privilegia quæ sunt leges privatæ, contra publicam salutem, quæ Lex suprema, non asserenda. Imo illo privilegio Regis Eduardi primi. Hanseaticis indulto diserte caveri, ne merces in terras manifestorum & notoriorum hostium regni Angliæ deveherent.* &c. *Neutralitatis jure ita utendum esse, ut dum alterum juvemus, alterum non lædamus.* Et apud Alb. Gentilem de jur. bell. lib. 2. 22. Regina Elisabetha Hansiaticis civitatibus conquerentibus, naves suas à classe spoliatas Anglica contra fœdus, quo cavetur, ut illæ civitates tutò possent esse amicæ etiam hostibus Angliæ, & cum iis habere commercia, respondit: *Non esse hoc colere cum utrisque amicitiam, si alteros lædas, juves alteros: at imo hoc esse auxiliari hostibus, & cum hostibus adversum*
alios

alios facere. Idem est Ambrosii effatum III. de Offic. c. IX. *Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum.* De illo tamen Hanseaticorum facto vid. quoque Thuan. Hist. lib. XCVI. p. m. 470. 471. Quid hic Lubecensibus in simili negotio Johannes Rex Daniæ responderit, vide Meursium in ejus Vita pag. 47. Si vero subditi foveant hostis vires commeatu, aut aliis mercibus illicitis, non solum pœnæ publicationis & confiscationis advectorum, sed etiam capitis se obnoxios faciunt? ut est in jure *R. l.* 11. *D. de publican. l.* 2. *C. quæ res exp. l. un C. de littor. & itin. custod.* Quin si evidentissima sit hostis nostri in nos injustitia, & exteri eum in bello iniquissimo confirment non tantum civiliter de damno, sed & criminaliter teneri, ut is qui judici imminenti reum manifestum eximit; & in eos statui posse quod delicto convenit, ita ut intra eum modum etiam spoliari possint, censet Grotius *de jure bell. e. p.* 3. 1. 5. Sed si alterius hostis noster fit amicus aut confœderatus, vel cujus causam justiorem esse sciamus, nonne sine offensione fœderis pro eo niti, & plura amicitiæ officia ipsi præ-

præstare licet ? Quamvis conjunct
necessitudo arctior hoc suadere videa
tamen & hic Reges ac Principes co
quos subsidia hosti mittuntur, magis
sibi suoque regno, quam quid hosti
que amicis expediat, curare eaque in
cipere solent. Ut in oratione sua Re
Angliæ Legato Poloniæ, qui nomine
Regis expostulabat jus gentium esse
latum in commerciis cum Hispano a
suo prohibitis, respondit apud Car
num ad annum 1597. *Quod jus gen
toties in oratione usurpas, scire debes, e
tò inter Reges bello licere uni parti nu
vel subsidia ad alteram missa intercipere
providere ne damni quidquam inde sibi
stat. Hoc nos dicimus naturæ ac gentium
esse consentaneum, & non à nobis so
sed etiam à Polonia Sueciaque Regibus f
tatum in bellis quæ cum Muscovitis g
runt.* Verum ne nimis excurram, d
consulatur Grotius *d. lib. III. de Iure
e. p. cap. 1. n. 5. & ib. in Notis fuse, &
III. cap. XVII. n. 3.* Hoc tantum bre
addam : quod bello durante ita, ut dic
est, prohibetur, suspendit tantum
tempus & quidem in certo loco,
tollit commerciorum libertatem,

tota redit cessante bello. Alb. Gentilis lib. I. de jur. belli. cap. XXI. *Tolerent id mali ad tempus. Id nec est impediri commercium, ut neque quum nisi ad loca aliqua impeditur.* Num vero, si privati mercatores advehant hosti commeatum aut pulverem tormentarium, id luet Respublica? de hac quæstione plura dicentur in lib. III. cap. 4. §. 6.

X. Quamvis mos vetus sit, in occursu Regiarum aut liberæ Reip. navium, aut arcis Regiæ, summa vela demittere, de cujus antiquitate Lipsius lib. I. Elect. cap. XXIII. & tormentorum explosione, secundum loci consuetudinem naves tales obvias salutare, respectu, ut volunt, dominii, quod Rex vel Respub. in subjectum suæ ditioni mare habet; tamen honoris quoque caussa fit, etiam illis in locis, vbi vel non alterutri vel neutri maris est dominium. Cujus rei singulare notavit exemplum Sleidanus lib. XXII. histor. *De navibus interceptis, edito scripto Cæsariani ferunt, cum nihil minus quam bellum Cæsar exspectaret, ac suis ut essent pacati mandasset, Gallicum Ducem Polinum in has incidisse, & quasi Reginam Scotiæ veherent, nunciasse illis, ut honoris caussa pro more anti-*

antiquo atque recepto ponerent antennas, vela demitterent, eamque tormentorum tonitru salutarent. Id cum fecissent, inermes fuisse per fraudem circumventos & abductos. Si de hac velorum demissione inter Reges convenire non satis possit, sub certo pacti modo definiri solet. Quod etiam factum est in pactis pacis Regum Suediæ & Daniæ anno MDCXLV. artic. V. XIV. XV. Nec tamen illa velorum demissio navigandi libertatem jure gentium receptam minuit. *Confer. Declarat. Parlam.* Reip. *Anglic. & Respons. Ordinum Holland. de anno* 1652. *Selden. Mar. clauf.* 1. 18. *&* 2. 26.

CAP. V.

De Angariis vel præstationibus navium.

I. Angarias navium non præjudicare libertati navigandi & commercandi.
II. Unde dicantur Angariæ.
III. Quæ sint angariæ navium.
IV. Quo jure imponantur.
V. Ab illis neminem immunem esse.
VI. Caussa hujus oneris.
VII. Pœna dolosè hic agentis, recusantis aut retardantis.

VIII.

VIII. Fide & securitate publica munitas esse angarias navium præstantes.

IX. Num ex damno talibus navibus dato Princeps loci teneatur.

I. QVamvis Angariæ navium sint onus aliquod, quo servire naves tenentur, tamen & hoc non præjudicat libertati naturali commerciorum ac navigationis: quæ juris gentium est. Et angariæ non semper præstantur, nisi caussa & necessitate exigente, ea cessante cessant.

II. Est autem Angariarum vox Persica ut Herodotus lib. VIII. Hesychius & Suidas, & ex illis Brissonius lib. 1. de Regio Persarum principatu p m. 147. notant quæ vox, ex quo Persarum potentia Orientem invasit, ad Hebræos transit, ut observat Grotius in cap. V. Matthæi, & ab illis ad Græcos Idem tangit & simul vocem interpretatur Ioh. Drusius Animadvers. lib. 1. cap. XXVIII. *Si quando reluctantem ac recusanten cogimus ut nobis sit itineris comes in eo significando angariandi verbum ponere Ebræi solent. Ac fieri sane potest, ut sit vocabulum Persicum, & ab angaris sumtum regnis tabellariis apud eandem gentem.* Eadem occurrit Matthæ. c. 5. v. 21. cap. 27. v. 3. 1.

& alibi. *Allusio vocis Græcæ ἄγγω & Latinæ ango apprimè congruit,* inquit Tabor in erudito Commentario Iuris metatorii p. 2: c. 3, n. 4. Congruere quoque videtur Suedicum ånger / & Germ. änger / angst. Sed hæc aliorum curiositati relinquo, Aliàs ἀγγαρεία veteribus Græcis ipsa fuit δυλεία, servitium vel opera quæ ab invito præstatur; recentioribus, transitus & evectio per viam publicam, ut observat Cl. Salmasius in lib. de Fœnore trapezit. pag 276. In pari sensu Iurisconsulti vocem *angariarum* & *angariari naves* in *l.* 4. §. 1. *D. de privil. veteran l.* 7. *Cod. de Fabricens.* acceperunt. quod etiam *servire naves* quidam dicebant. Inscriptio veteris lapidis apud Gruterum pag. DC XLII. licet alia in re:

SUB. L. ARRUNTIO.
STELLA. NAVIS HA-
RENARIA. QVÆ. SER-
VIT. IN. ÆMILIANIS.

Sic nostri Svedi præstationem navium Tiena / servire appellant, Germani & Belgæ pressen quasi *premere* aut *exprimere*. Sed de appellationibus satis.

III. Angariæ navium sunt præstationes earum in transvehendo comitatu Regio vel

vel liberæ Reip. aut militari instrumento, commeatu, armis, equis, exercitu, tempore expeditionis.

IV. Has angarias imponere possunt navibus illi Principes & Respublicæ, quæ jura majestatis habent. Inter Regalia enim referuntur quoque *navium præstationes* in c. un. quæ sint Regalia lib. 2. Feud. tit. 56. Nec aliter exiguntur, quam quia Principes summum jus navigandi in flumine habent. Styp. jur. mar. p. 1. c. VII. N. 11. 12. Vnde ut aliorum regnorum ac rerumpub. ita & Suediæ moribus addictum onus adstringuntur naves: quo fine illis signum unius vel trium Coronarum, quod est Regni insigne, inscribi solet: quo obligantur ad serviendum coronæ in dicto casu.

V. Ab hoc onere nullius navis immunis est. ideò nec diversorum nominum titulo, nec prærogativa personæ, nec privilegio dignitatis aut beneficii hic se quisquam tueri, vel ab hoc onere excusare potest. *privil. Nobil. Sued. art.* 18. 19. *privil. Holm.* 25. *l.* 4. §. 1. *D. de privil. veteran. l.* 18. §. 24. *D. de mun. & hon. l.* 10. 11. *C. de SS. Eccl. l.* 1. 2. *C. de nav. non excus. l. un.*

C. de naut. Tyb. lit. Cod. de Navicular. f. n. p. s. t. Ne ipsorum quidem peregrinorum naves hic immunitatem habent *l. ult* §. 22. *D. de mun & hon. Sixtin. de Regal. lib.* 2. *c.* 13 *n.* 22. sed pro congrua mercede servire tenentur; nihil remorante, etiamsi mercator sub certa pœna promiserint aliò merces devehere. qua de re plenius *inf. lib.* 3 *cap.* 5. §. 7.

VI. Caussa hujus oneris est necessitas & utilitas publica in expeditione Principali aut liberæ reipub. Omnes enim in commune, si necessitas exegerit, convenit utiliatibus pub. obedire *l. Multi C de nav. non excus.* Et adversus jus pub. cessant omnia privlegia *Tabor d. loc. n.* 9.

VII. Si quid in fraudem hujus juris attentatum fuerit, publicatione navis plectitur *l.* 10. *C. de SS. Eccl. l.* 1. *C. de nav. non excus.* Si verò naucleri negligentiâ remorentur obsequium aut alii impediant transvectionem, detineri possunt cum navibus donec pareant, aut ex merito luant, secundum pœnam *l. ult. C. de Fabricens.* expressam, aut arbitrariam in diversis locis. Si quis recta navigatione contemta, litora devia sectatus, annonam pub. aut alia quæ deportanda suscepit, averterit & vendiderit,

rit, jure R. ultimo supplicio afficitur *l.* 3. 4. *C. quæ res venire l.* 7. *C. de Navicular.* Eidem pœnæ obnoxios esse emtores talium rerum quidam volunt, alii verò, pœna extraordinaria affici. *Peck. & Vinn. in d. l.* 7. *pag.* 381. 382. 383.

VIII. Qui angarias navium præstant, aut species annonarias reip. transferunt, fide publica & omni securitate venientes, ac remeantes frui, nec concussiones aut aliquod genus incommodi perpeti debent; decem librarum auri multa his jure R proposita, qui eos inquietare tentaverint *l.* 3. *Cod. de Navicul.*

IX. Si naves in præstatione angariarum diripantur à prædonibus vel hostibus. aut deteriores reddantur, num à Principe, cui istæ angariæ debentur, hoc damnum erit resarciendum? Non videtur: quod subditi non censeantur naves suas locasse Principi, sed obligationi ab ipsa lege sibi impositæ satisfecisse. *Peck. in tit. Cod. de nav. non excus. p. m.* 389. præterquam quòd nemo ordinariè ex alieno facto obligetur, sed suum cuique factum noceat *l.* 155. *D. de reg. jur.* Imò etiamsi locatio exterarum navium facta sit, tamen conductorem teneri

negant:

negant: cum damnum prædonum vel hostium incursu datum casibus fortuitis annumeretur, nec à conductore præstetur, quia absque culpa ejus accidit *l.* 23. *de R. I.* Excipiendum tamen volunt, si onus non nautam sed universitatem respiciat; tunc æquum est per eam succurri *Peck. d. loc.* aut si Princeps ex singulari favore damnum ipsi resarcire velit: aut nisi Princeps ipse vel per suos damnum intulerit, quia proprium factum intervenit, ad satisfactionem tenetur. *Sixtin. de Regal.* 2. 13. 77. *& seqq. latè.* Qui verò per se in tales naucleros prædas egerunt, ordinaria raptorum aut piratarum pœna deprehensi plectuntur *l.* 5. *Cod. de Navicular.*

Cap. VI.

De jure Fluminum, Littorum & Riparum.

I. Flumina publica & privata. Flumina pub. navigabilia inter Regalia referri, nec simpliciter posse illorum, quæ superiorem recognoscunt, fieri.

II. Usum fluminum jure gentium communem esse, non obstante alterius dominio aut jurisdictione.

III. Fluvialia incrementa quibus cedant. num etiam

etiam vasallo. De inundatione ibid.

IV. De ædificatione in flumine pub.

V. Num molendinum in flumine pub. ædificare liceat; num in privato, post alium.

VI. Tutorem non posse alienare molendina pupilli absque decreto judicis.

VII. Vi fluminis in alienum fundum delata quomodo vindicanda sint.

VIII. Num damnum vi fluminis ex ruina ædium, aut in coloni fundo datum in æstimationem veniat.

IX. Si via aut fines vi fluminis confusi sint, quid juris.

X. Littorum usum communem esse. quatenus in illis ædificare liceat.

XI. In littore inventa num fiant occupantis.

XII. Usum riparum esse publicum. quantum in illis facere liceat.

XIII. Ripatica quatenus ad Regalia referantur.

I. SVperest, ut post maris jus de jure Fluminum & quæ eis adhærent, tanquam cognata materia breviter agamus. Flumina vel sunt publica vel privata. Publica sunt perennia, vel quæ semper fluunt. *l.* 1. §. 2. 3. *l.* 3. *D. de flum.* etiam si aliqua æstate exaruerint. *d. l.* 1. §. 2. & quæ sunt communis usus.

Privata, quæ sunt torrentia, & quæ solùm hyeme fluunt, suntque privati usus. quo sensu Marcianus IC. dixit: Flumina *penè* omnia & portus publica sunt *l.* 4. §. 1. *D. de divis. rer.* Flumina pub. navigabilia vel navigationi apta, inter Regalia hodie referuntur *c. un. quæ sint Regalia.* nec sunt eorum qui superiorem recognoscunt, nisi ex peculiari concessione & investitura Superioris, vel consuetudine & præscriptione immemoriali, quæ vim legis habet, illis accesserint. *Sixtin. de Regal.* 2. 3. 31. *Mev. in Ius Lub.* 3. 4. 6. §. 13. 14. *seq.* Generali verò Regalium facta mentione flumina concessa non censentur, nisi disertè & speciatim eorum mentio fiat *Sixtin. d loc. n.* 22. salvis tamen supremo magistratui reservatis, quæ à Majestate divelli nequeunt. inter quæ est jus vectigalis, quod in flumine exigi nequit, nisi à suprema potestate Ordinumque consensu specialiter concessum sit, *Mev. d. loc. n.* 17. 18. Eo titulo etiam Comes Oldenburg. illud in flumine Visurgi usurpatum it. de qua re nuper Ordines Hollandiæ ipsi litem moverunt, ut ex Europæis Relationibus de anno MDCLII. VII. Martii ex urbe Francofurt. & Actis pub. fusius

sius patet. Flumen tamen qua tale proprium est ejus intra cujus territorium fluit, vel ejus cujus in ditione est populus. *Grot. de jur. bell. & pac.* 2. 2. 12.

II. Licet autem Princeps vel liber populus dominium & jurisdictionem habeat in flumine publico quod intra ejus fines fluit, & fructus vectigalium, piscationum & aliorum redituum inde percipiat, omneque impedimentum tollat; usum tamen fluminis & transitum, qui prosit transeuntibus & non noceat dominii authoribus, denegare extra justam causam nequit: quippe qui jure humanæ societatis patere solet. *Augustin. ad c.* 20. *Num. l. un.* §. 1. *D. ut in flum. pub. navig. lic. Grot. de jur. bell. c. p.* 2. 2. 13. Seneca lib. 4. de benefic. cap. 5. *Flumina illa prabitura commerciis viam, vasto & navigabili cursu vadentia.* Aliud tamen dicendum, si Princeps ex justa caussa in suo flumine navigare prohibeat, maximè si in eo nunquam antea liberè navigatum sit *Bartol. in rub. D. ut in fl. pub. n. lic. Stephanus de Iurisdict.* 2. 1. 7. 417 Si verò flumen navigabile sit, ne ductio quidem aquæ ex eo concedi, vel aliud quid fieri debet, quod minus id navigabile efficiat, *l.* 10. §. 2. *D. de aq. & aq. pl.*

a. l. 2. D. de flum. Inde Flumen *publicum* esse dicitur activè & passive. *Activè* ratione imperii in flumen, quod Principi aut libero populo cōpetit. *Passivè*, ratione liberi usus, quod navigantibus in eo concessum est, modò sine aliorum injuriâ, & fluminis detrimento fiat. *Graef. Jur. Pub.* 26. 1.

III. Naturaliter insula in flumine nata & alveus exsiccatus aut derelictus ejus est cujus est flumen, sive patrimonii publici sive privatorum. Idem de alluvionibus statuendum, ut sint Principis aut populi; si flumen sit publicum. Quando fluvius priore derelicto alveo sibi alium facit, ager quem circumit, prioris domini manet. Si paulatim ita auferat, ut alteri parti applicet, id alluvionis jure ei quæritur, cujus fundo accrescit; quod etiam juris gentium esse dicitur. *l.* 1. *C. de alluv. l.* 7. §. 1. *D. de adq. rer. dom.* Si Princeps vasallo cum definito in flumen imperio certi territorii agros dederit, salvo eo quod privatis competit, hic vasallus idem jus in flumine habebit, quod Principis aut populi fuit. Cui verò flumen ipsum datum est, insulas sive limo aggestas, sive factas ex alveo, quem amnis circumluit, suas facit. Si neutrum horum in investitura

vestitura sit expressum, mos regionis, aut longa præscriptio hic locum habebit. Si non imperium in flumine, sed ager in feudum datus sit, alluvio feudo comprehensa censebitur in agro arcifinio, pro ejus qualitate. Ager autem arcifinius dicitur, qui fines hostibus arcendis idoneos ac naturales habet. quales sunt flumina & montes. *Grot. lib. 2. de jure bell. e. p. cap.* 8. §. 8. 9. 11. 12. 15. Inundatio verò naturaliter agri dominium non tollit, si sit temporaria: quia substantiam agri non mutat. Si verò sit perpetua & gravissima inundatio quæ mutata re contingat, præsumitur animus derelinquendi; nisi circumstantiæ boni viri arbitrio æstimandæ aliud suadeant. *Id. ib. n. Lyklama lib. VII. Membr. ecl.* 47. *conf. quæ notavi in Synopf. jur. Diff.* 5. §. 37. 38. *seqq.* Si flumen cursum mutaverit, an simul imperii terminus mutetur: & quæ flumen adjecit, an eis cedant quibus adjecta sunt, de hac quæstione fusè differentes vide *Grotium lib. 2. de jur. b. e. p. cap.* 3. §. 16. 17. 18. & *Heigium lib. 2. quæst. jur. cap.* 40. ut & de tota alluvionis ac insularum materia tit. Cod. de alluv. & alias notas Dig. LL. Basilic. Lib. L. tit. XVI. lib. LVIII. tit. XVI.

Stypman. part. 2. jur. marit. cap. 5. n. 533. & seqq. Aymum, Gryphiandrum & alios.

IV. In flumine pub. licet jure R. cuilibet ædificare & destruere; dum tamen hoc sine incommodo cujusquam ususque publici detrimento fiat. propter quod operis nomine satisdatione in decennium cavetur *l. 7. l. 15. l. 24. D. de damn. inf. l. 1. §. 7. de stipul. prat. vid. & sup. h. lib. cap.* 111. §. 3. Nostris moribus non licet in flumine publico & navigabili ædificare, nisi cum venia magistratus, cui in illud jus est. confer *l. 1. §. 12. l. 2. de flum. & ne quid in fl. p.*

V. Trita quidem est quæstio, Num molendinum in flumine publico absque Magistratus concessione ædificare liceat; attamen, quia de jure fluminum hic sermo est, ex occasione eam paucis discutiemus. Constans autem est Iurisconsultorum assertio, tale quid non licere: ne per id usus fluminis impediatur aut deterior reddatur *toto tit. Dig. ne quid in flum. pub.* Verum in locis & aquis privatis hoc licet: cum hic quisque jure suo utatur *arg.* 24. §. 12. *de damn. inf.* Si non fiat in fraudem alterius, nec commodum naturale: quæ cum ejus injuria intercipiatur *l. 6. 7. Cod. de servit. & aq. l.*

aq. l. 17. *D. de serv. præd. rust. & in Jure Sued. c.* 33. 34. *Bygn. LL. privil. Nobil. art.* 28. Num autem in privato flumine liceat exstruere molendinum, si ante quis in ejusdem fluvii alveo tale ædificarit, & vectigal ejus hoc modo fortè deminuatur? majoris est disquisitioinis Schneidevvinus *ad. tit. Inst. de R. D.* §. *Flumina* hanc esse communem Dd. sententiam observat, hoc alicui licere, sibi faciat, si ut prosit; etiamsi alteri noceat, *arg. d. l.* 24. §. *ult. l.* 26. *D. de damn. inf.* Sed nonne hoc repugnat naturali æquitati? Sic enim sibi quisque prodesse debet, ne alii noceat *l.* 1. § 11. *De de aq. & aq. pl. & dictis loc. jur. Suetic.* Verùm ad hoc reponunt, si non faciat in pravam æmulationem alterius, nec principaliter ut alii noceat, sed suam conditionem meliorem reddat, admitti posse. *arg. l.* 1. §. 12. *& l.* 2. §. 5. *&* 9. *D. de aq. & aq pl.* Et quamvis commodum naturale aquæ non possit alteri auferri, tamen commodum concursus molentium, quod est meræ facultatis & voluntatis eorum, auferri posse putant. Bona enim fortunæ omnibus patere ajunt, *Coppen. Obs. Pract. LXVIII. n.* 15. Limita tamen, nisi tale jus ex privilegio vel

consue-

consuetudine jam sit præscriptum. *Carpzov. Jurispr. for.* 2. 4. 9. 11. *Sixtin. de Regal. libr.* 2. *cap.* 3. *n.* 65. *& seqq. Vid. fuse Stypman. d. Tract. p.* 2. *c.* 5. *n.* 175 *& seqq. n.* 191. *& seqq.*

VI. Occasione priorum illud quoque hic addemus, quamvis molendina vel alia bona pupilli, quæ aquarum periculis obnoxia sunt, tutorem absque decreto judicis vendere posse quidam velint; rectius tamen statuitur, illud tutorem non posse. *arg. l.* 13. *ff. de reb. eor. Forster de successiion.* 7. 21. 34. *& arg. c.* 10. *de jure præd. LL. Sued. civit.* ne forte sit fraudi pupillo.

VII. Res alienæ non per latens incrementum, sed vi fluminis in agrum alicujus delatæ condici quidem possunt *l.* 4. §. 2. D. *de reb. cred.* non tamen aliter tolli, quam si de præterito & futuro damno caveatur *l.* 5. §. 4. *D. ad exhib. l.* 9. §. 1. *&* 3. *de damn. inf. l.* 8. *de inc. r. n.* Si autem culpa hominis concurrat, ex lege Aquilia de damno potest agi *arg. l.* 29. §. 2. *& seqq. D. ad leg. Aquil. Schotan. Exam. Iur. p. m.* 307.

VIII. Damnum vicino ex ruina ædium vi fluminis aut maris datum, velut fatale, non præstatur. Quod enim ædificium tam

firmum

firmum est, ut fluminis, maris aut tempestatis vim sustinere possit? *l.24 §.4.D. de damn. inf.* aliud verò dicendum, si ædificii vitio id acciderit *d. l.* Sed & ob damnum coloni fundo per incursum fluminis dato remissio pensionis fit *l. 15. §. 2. D. loc. cond.* quia hoc quoque per vim majorem accidit.

IX. Si via publica (quæ etiam flumine interveniente constitui potest, si aut vado transiri possit, aut pontem habeat *l. 38. D. de serv. præd. rust.*) fluminis impetu sit amissa, vicinus proximus viam præstare debet *l. 14. §. 1. D. quemadm. serv. amitt.* sed impensâ publicâ, ut Glossæ volunt; licet hoc non semper observetur. Quod autem viam pub. negant intercedere alluvioni, rationem naturalem nullam habet; nisi ager privatus sit, qui viam debeat. *Grot. d. libr. 2. 8. 17.* Si verò irruptione fluminis fines agri confusi sint, & dominus agri usurparit loca, in quibus jus non habet, magistratus loci alieno eum abstinere, & domino suum restitui, terminosque per mensorem declarari jubebit *l. 8. D. fin. reg.*

X. Velut maris, ita littorum usus publicus est, per quæ ad mare fit accessus; licet fortè sint in imperio populi aut Princi-

pis

pis *l. 3. D. ne quid in loco pub. Grot. de jure bell. & pac. 2. 3. 9.* Liberum est ergo ibi exonerare merces, explicare & siccare retia *§. 5. Inst. de rer. div. l. 5. 6. D. eod. l. 14. D. de adq. rer. dom.* Et quod in littore quis ædificat, licet in suo non ædificet, jure tamen gentium suum facit. Si quis igitur velit ibi ædificantem prohibere, nullo jure prohibet, neque opus novum nuntiare nisi ex una causa, potest, si forte damni infecti velit sibi caveri *l. 1. §. 18. D. de novi op. nunc. l. 7. D. de damn. inf.* In eo præsertim littore jure gentium ædificare licet, quod in nullius populi dominium pervenit *arg. d. l. 14. D. de adq. rer. dom.* Vt autem in littore publico vel quod populi est, & in parte maris littori vicina extruere liceat permanens ædificium, id à Magistratu loci impetrare oportet *l. 50. de adq. rer. dom.* Nullo verò jure quis prohiberi potest casam in littore ponere, in quam se recipiat *§. 5. Inst. de R. D.* aliaque, quæ non prohibita sunt, facere; nisi cum alterius damno conjuncta sint, aut usum publicum impediant, aut deteriorem stationem & navigationem faciant: quod non debent l. 2 *l. 4. D. ne quid in loco pub. l. 1. §. 12. 15. 19. 21. D. de flum. art. 28.*
privil.

privil. Nobil. Suet. Hinc cautè legati AEneæ ad Latinum VII. AEneid.

Littusque rogamus

INNOCVVM.

XI. In littore inventa, velut lapilli & gemmæ, jure naturali quidem inventoris fiunt: quia sunt communia, ut littus, & nullius, & in medio posita omnibus. §. 18. *Inst. de rer. div. l. 3. D. eod. l. 1. §. 1. de adq. vel. amit. poss.* Attamen illud hodie vix in usu est: dum hoc quoque jus vi imperii in littora eorum ditioni subjecta à Principibus restringitur, quod Germani vocant Strandtgerechtigkeit, nisi ubi consuetudo benignius cum inventoribus agit, nec omnia fisco tribuit. *Heig ad d. §. 10. Inst. Schultz. in Synops. Inst. tit. de R. D. lit. r.* Collectio tamen succini & gemmarum in littore certo modo interdicta subditis non efficit totius juris gentium eversionem, nec abrogat omnem fluminum aut littorum usum. *Heig. lib. 2. quæst. jur. cap. 40. n. 148.*

XII. Usus riparum etiam jure gentium publicus est, ut fluminis, ad quod patet aditus per ripam. Unde naves ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, retia siccare, pecus

cusper ripam ad flumen appeller
§. 4. *Inst. de R. D. l.* 5. *D. eod. l.* 1. §
ut in flum. pub. n. Qui verò in rip
cat suum non facit *l.* 15. *D. de adq.*
quia in alieno fundo ædificat; quun
proprietas sit eorum, quorum præ
rent *d.* §. 4. *Inst.* & *l.* 5. *D. de R. D.*
re quidam ripam aut reficere littus
versus rapidi amnis impetum; ita
ut hoc naviagationi non sit impec
aut fraudi *l. un.* §. 2. *D. de rip. mun.*
ne quid in loco pub. toto tit. D. de flum
Ne quid in flum. pub. l. 1. *C. de allu*
& 7. *Inst. de interd.*

XIII. Ripatica quoque inter Re
ferri constat ex *c. un. Quæ sine Regal.* c
platione juris, proventuum & con
rum ex ripis. de quibus prolixè *S.*
Regal. 2. 5. 8. & *seqq.* & *Graef. I.*
cap. 36. *n.* 11. & *alij.*

Cap. VII.

De Naufragio.

I. An jure littoris res naufragæ ad d
litoris pertineant.

I

II. *Naufragium ex casu fortuito est fatale, & extra culpam.*

III. *Quomodo culpa naucleri naufragium accidat.*

IV. *Quomodo culpa vectorum in navi, ubi & de commodato.*

V. *Quomodo culpa ductoris.*

VI. *Ejecta navi & naufraga bona non confestim nostra esse desinere, nec usucapi posse.*

VII. *Negatur, omni jure gentium ad littoris dominum pertinere bona naufraga vel ejecta.*

VIII. *Gentium aliquot enumeratio, quæ bona naufraga Fisco applicuerunt.*

IX. *Probatur illud injustè factum esse & fieri, nec inde juris dominium stabiliri, aut justo titulo defendi posse.*

X. *Derelicta tamen bona naufraga ex majori parte jure Fisco inferri.*

XI. *An possessor teneatur Principi ex missa annona, quæ naufragio periit.*

XII. *De hominibus naufragio pereuntibus.*

XIII. *De deposito naufragii causa.*

XIV. *De pœna rapti aut suppressi naufragii.*

XV. *Naufragorum calamitati quomodo subveniendum.*

I. Vt

I. UT materiam de jure littorum pertexamus, in disceptationem porrò vocandum erit, num rectè statuant, qui jure littoris aut regali res naufragas ad dominum qui littori aut flumini imperat, simpliciter & absolutè pertinere volunt. Sed hoc ab humanitate alienum esse mox ostendemus, si de caussis naufragii quædam præmiserimus; & quatenus inde authores obligentur.

II. Naufragium vel casu fortuito & vi majore, vel culpa nautarum, vectorum aut ductoris accidere potest. Si casu fortuito, nemo inde tenetur *l.* 3. §. 1. *D. Naut. caup. st. l.* 1. §. 4. *D. de obl. & act. l.* 26. §. 6. *D. mand.* quia vis major providentiam & industriam humanam superat, nisi culpa casum præcesserit.

III. Si nauclerus ex convento aut debito navem armamentis bene instructam non habuerit: si non constituto tempore, aut si alieno tempore navigarit, vel neglexerit commodè navigandi tempus *l.* 16. §. 1. *l.* 36. §. 1. *D. de rei vendic.* si minus idoneis hominibus navem commiserit *d. l.* 16. §. 1. si per intuta loca sciens navigaverit: si per imperitiam vel incuriam navem vadis aut

scopulis

ſcopulis illiſerit; niſi lumine piſcatorum deceptus in vada inciderit, portum eſſe credens *l.* 10. *ff. de inc. ruin. naufr.* ſi navem plus juſto oneraſit *l. un. C. ne quid. on. pub. i. & ibi Gothofr.* & quocunque modo occaſionem naufragio culpâ ſuâ dederit, inde tenetur, *vid. cap.* 9 §. 1. *LL. Suetic. de Jure nautic. & cap.* 14. *eod.* Qui enim occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur *c.* 10. 11. *leg. Nautic. Rhodior. l.* 30. §. 3. *D. ad leg. Aquil. Benev. Stracchap.* 3. *de Naut.* 1. *vid. & inf. lib. III. cap.* 8. §. 1. *& ſeqq.*

IV. Qui in navi vehuntur & domini mercium quoque ſunt in culpa, ſi vel ſoli vel unà cum nauclero in horum quæ jam dicta ſunt quippiam conſenſerint. Aut ſi ſecum peregrè vel per mare portarint, & naufragio amiſerint ea, quorum uſus illis domi conceſſus erat, eorum æſtimationem præſtabunt: quia hic culpa utentium caſum præceſſit §. 2. *Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. l.* 1. §. 4. *D. de obl. & act.* Aliàs in commodato naufragium, velut damnum fatale, non præſtatur *l.* 18. *D. commod.* niſi, cum poſſet res commodatas ſalvas facere, ſuas prætulerit *l.* 5. §. 4. *D. eod.* Sed hac de re plura *inf. lib.* 3. *c.* 2. §. 6. & 7.

V. Si

V. Si ductor navis se obligarit ad navim absq; omni damno in portum deducendam, ille verò navem impegerit vado aut latenti saxo, inde tenebitur *art. 38. jur. maritim. VVisbyens.* Iure Sued. etiam ad pœnam capitis hoc factum aliquando extendi potest, pro gravitate damni dati, atque si dolo hoc fecerit *c. 14. de jure naut.* Ipse tamen nauclerus non erit extra culpam, si sciverit ductorem minus esse idoneum, & nihilominus navem ducendam ei commiserit. *l. utiq; §. culpa D. de rei vindic.* Ex procellæ tamen periculo ductor non tenetur *d. c. 14.* quia hic est casus fortuitus, ab eo non præstandus *l. 23. de R. I.* Tacitus Annal. 14. 3. 5. *Nihil tam capax fortuitorum, quam mare.* nisi ad vim majorem aut tempestatis periculum se expresè aut generaliter obligarit ductor navis *arg. l. 9. §. 2. D. loc. cond. l. 78. §. 3. D. de contr. emt.*

VI. In ipso naufragio vel naufragii metu levandæ navis gratia ejecta, non statim nostra esse desinunt: quia non sunt in derelicto sed in deperdito *l. 44. D. de adq. rer. dom. l. 13. l. 21. §. 1. D. de adq. vel. amitt. poss.* nec enim eo animo ejiciuntur, quasi quis ea habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi-

navi maris periculum effugiat §. 48. *Inst. de rer. div l.* 9. § 8. *D. de adq. rer. dom. Arist.* 3. *Eth.* 1. *vid. & inf. lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. *de jur. marit.* atque si suspicatus fuerit, in quem locum ejecta sint, postea requirat. velut qui onere pressus, in viam rem abjicit, ut mox reversurus eandem auferat *l.* 8. *D. ad leg. Rhod. de jactu.* Itaque res naufragæ aut ejectæ non possunt usucapi *l.* 21. §. 1. 2. *D. de adq. vel amitt. poss. l.* 7. *D. pro derelicto*; nisi derelinquendi animo expulsæ vel jactæ sint, quod sciat jaciens perituras *l.* 43. § 11. *D. de furt. l.* 58. *D. de adq. rer. dom.* Conjectura etiam de animo derelinquendi capi potest, ut notat Zasius *ad l* 21. *de adq. vel amitt. possess.* si quis merces compositas in sacculum religet, & expositas in mare projiciat. quod tamen magis ex eventu rerum derelictarum quam proposito deperdendi judicandum erit: quum in ejiciente res navis levandæ causa semper præsumatur animus retinendi, quamdiu superest spes recuperandi *conferatur Zasius in Pandect. ad leg. Rhod. de jactu n.* 10. 11. 12.

VII. Quod autem apud Bodinum lib. 1. de Repub. c. ult. Legato Cæsaris coram Henrico 2. Francorum Rege conquerenti, duas

duas naves ad littus ejectas, & ab Iordane Vrsino captas esse easque restitui postulanti respondit Annas Mommorancius magister equitum: Ea quæ ad littus fuissent ejecta, *gentium omnium jure* ad Principes qui littoribus imperant pertinere, in eo magis caussæ quam vero servivit. Verum quidem est, aliquot gentium instituto sic observatum fuisse, non autem ab omnibus, *ut mox* §. 8. *& inf.* §. 10. *probabitur.*

VIII. Nonnulli quidem eruditi ex *l.* 9. *D. ad leg. Rhod. de jactu* colligunt, publicanos apud Rhodios olim legem seu morem bona naufraga fisco applicandi habuisse; eosdem in partem illorum venisse pro custodia vel cura eorum; qua de re fusius *inf. h. cap.* §. 10. Quidam etiam huc referunt illud Syriani Rhetoris: Νόμος τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶναι; & illud Curii Fortunatiani: *Naufragia ad publicanos pertinere.* Hunc morem, ut bona naufraga à publicanis aut fisco vendicarentur, etiam viguisse apud Gallos, Anglos, Neapolitanos, Siculos & alios nonnullos, notant Bodinus lib. 1. de rep. c. ult. Selden. lib. 1. Mar. claus. c. 25. & alii.

IX. Cæterum, ut bona miserorum naufragorum

fragorum statim in Fiscum trahantur, licet à nonnullis gentibus more receptum fuerit, ab ipsa tamen humanitate & æquitate naturali abhorret. Nonne enim inhumanum & iniquum est, calamitosos absque suo facto re sua privari: & fiscum ex alieno dispendio suum quærere compendium? unde qui cum humanitate aliquod commercium habent, hunc morem ut planè barbarum atque injustum passim damnant, *vid. Grot. de jure belli & pac.* 2.7. 1. Imò contra Christianam prorsus charitatem est, cujus afflicta fortuna nostrâ ope esset erigenda, eum ulterius deprimere & ab incitas redigere. *vide Antesium apud Dunth. in casib. consc.* 1049. Sed quidquid hîc inhumanum injustumque habetur, de privatis proprio instinctu absque authoritate pub. res naufragas rapientibus accipiendum esse Principum adulatores ajunt, non de ipsis Principibus ac liberis Rebuspub. quibus bona naufragio ejecta & in littus eorum expulsa, quasi ipsa natura attribuente, in sinum ipsorum & fiscum cadant. id quoque esse partem dominii maris: id jure portus & littoris Fisco deberi, Verùm non est, quod hinc maris dominium stabilire velint:

D cum

cum sit injustus adquirendi titulus, occupare quod aliorum est, non sponte, sed necessitate ejectum. Seldenus lib. 1. Mar. clauf. c. 18. p. m. 148. *Divisio illa rerum è pelago extractarum, simpliciter considerata, non magis asserit dominium ullum in ipso mari, quam prædæ cujuscunque maritimæ ab hostibus ereptæ decima.* Aut si quis dominium in littus vel mare sibi arroget, portusque isthic habeat, non tamen majorem habet facultatem res naufragas capiendi & sibi retinendi, quam quilibet alius. Dominum enim littoris, portus, aut maris nulli dat jus alicui suum absque justa caussa auferendi. *Non concupiscere alienum*, & *suum cuique tribuere* est generalis lex Dei & naturæ, quæ omnes obligat. Si vero bona naufraga in littus ejiciantur, hoc est singulare Dei & naturæ Deo famulantis beneficium, non permittentium ea spolium maris aut aliorum fieri, sed repetentibus dominis ut solatium amissorum adversæque fortunæ cedere. Bodinus lib. 1. de Repub. c. ult. *Barbarum*, inquit, *& antiquis inusitatum est, ut cujus opes ac fortuna naufragio miserè perierint, & quem nostris opibus sublevare debeamus, ejus reliquias quas ad littus ejectas bona fide*

fide restitui oportbat, turpiter diripi patiamur. Sic tamen vivitur, ut qui portus habent (loquitur de quorundam populorum, non omnium, moribus) *eam crudelitatem tum in cives tum peregrinos exsequantur. Ius quaeris; error jus facit. at si non peccatur errore, sed scieutia, scelus est, quod erroris specie praetenditur.* Grotius hic memoria lapsus videtur, quando in Notis ad lib. 2. de jure bell. e. p. c. 7. §. 1. ait: *Quid in mentem venit Bodino, ut talia defenderet?* Non defendit hæc Bodinus, ut videmus, sed acriter carpit. Nec est, quod patroni hujus moris se tueantur illo Iuvenalis:

Res fisci est, quodcunque natat?

hoc enim habet authores Palphurium & Armillatum, delatores & assentatores Domitiani; velut postea in cap. de jurepiscandi fusius probabo. Quanto justius Impp. Hadrianus & Antoninus decernunt, licere unicuique naufragium suum impune colligere *l. 7. l. ult. D. in c. ruin. naufr. Iulianus Basilic.* lib. LIII. tit. III. cap. VIII. *Si res, naufragio in mari facto, in mare abjecta est, adhuc in dominio ejus manet, qui antea eam habuit. & si maris astu in terram ejecta fuerit, potest eam dominus vendicare. δύνα-*

ζει ὁ δεσπότης ἀνακαλεῖσθαι αὐτό. Antoninus in l. 2. C. de Noufragior. *Si quando*, inquit, *naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, Fiscus meus sese non interponat.* QVOD ENIM IVS HABET FISCVS IN ALIENA CALAMITATE, VT DE RE TAM LVCTVOSA COMPENDIVM SECTETVR? Ex hoc æquitatis fundamento Rex Poloniæ Sigismundus anno MDXCVIII. decidit, ut res ex naufragio receptæ domino illarum restituerentur, ut notat *Lipsky Obs. Pract. t. 2. c. 44. n. 2.* & Gail. lib. 1. Obs. Pract. c. 18. n. 6. testatur, mandata sine clausula contra consuetudines de bonis naufragis jure littoris Fisco addicendis in Camera Imperiali non se, mel decreta fuisse.

X. Derelicta tamen bona naufraga, quorum certo tempore non apparet dominus, pro majori parte Fisco inferre, minorem partem inventori pro cura & custodia eorum assiganre, æquitati & jure gentium consentaneum videtur. Ius Suedorum hac de re in *c. 36. de Furt. LL. prov. & c. 14. eod. LL. municip.* ita constituit: Inventor rei

rei naufragæ in littus ejectæ publicè significabit rem inventam, cujus dominus si intra annum & diem compareat, & rem suam legitimis indiciis probet, duas partes ricipiet dominus; unam retinebit inventor, (sed dimidium inventæ rei in fundo maris, *c. 15. d. LL.*) Possunt etiam quidam privilegio legi eximi, ut suum recipiant pro æqua asservationis mercede. quod olim hic Lubecensibus & Stralsundensibus indultum est; & Suedis apud eosdem. Si intra annum & diem non advenerit ad suum vendicandum, duas partes capiet Fiscus Regius, tertiam inventor. quod ab æquitatis normâ non videtur alienum. Qui enim in tempore indicat rem inventam, eo ipso testatum facit, se lucrandi aut retinendi animum non habere, nec in aliena calamitate compendium affectare, sed vero domino suum bona fide restituturum, qui si intra præscriptum tempus, quo commodè potuit, se non sistat & suum repetat, pro derelicto habere præsumitur *arg. l. 43. §. 5, 11. D. de furt. l. 1, 2. D. pro derelicto:* & sic tanquam bonum vacans quod possessorem non habet, aut qui jus suum omisit, Fisco ejus qui mari aut flumi-

ni imperat cedit; portioque attribuitur inventori, ut industriæ & curæ merces. Quod jus etiam aliarum gentium moribus receptum est. Speciatim de bonis naufragis ita constitutum est in jure Iutico *lib.* 3. *c.* 61, 63. Scanico *lib.* 8. *c.* 3. in jure maritimo Danico *art.* 49, 73. in jure Norvegico *c.* 26. *de jure mercandi.* In pactis pacis inter Magnum Regem Suediæ & VValdemarum Regem Daniæ anno Christi MCCCXLIII. *In aliquo regnorum nostrorum seu dominiis passi naufragia res amissas liberè, absque impeditione quorumlibet, recolligant & recuperent, quamdiu non pro derelicto habuerint res amissas.* Vid. & fœdus Sveo Danicum de anno MDXXXIV. in Gustavi I. Chron. p. 2. pag. 23. Simile quid in jure Prussico lib. 4. tit. 19. art. 5. §. 4. In Edicto Belgarum anno 1447. publicato: in pacto inter Henricum VII. Regem Angliæ & Philippum Archiducem Austriæ anno 1495. inito. Quamvis etiam eruditi quidam velint, ut sup. §. 8. tangebatur, lege Rhodiorum simpliciter bona naufraga Fisco fuisse addicta, idque colligant ex l. *A'ξίωσις D. ad leg. Rhod. de jactu*, tamen olim in lege Rhodia constitutum fuisse veresimilius est, ut domino intra præ-

fixum

fixum à lege tempus non apparente, præter partes Fisco debitas, partem sibi sumerent pro naufragorum bonorum cura & custodia publicani. Ita quidem Grotius in Florum sparsione ad Ius Iustiniani legem Rhodiam explicat: *Solebant*, inquit, *publicani bona quorum non apparebat dominus, in custodiam suam sumere, & pro ea custodia partem sibi aliquam vindicare. Ea pars quæ esset, definitum erat lege Rhodia navali, quæ pro jure gentium in illo mari vigebat: sicut apud Galliam leges Oleronis: apud omnes Thransrhenanos populos leges VVisbyensis.* Iac. Gothofredus in erudito Commentario ad l. Deprecatio IX. leg. Rhod. de Iactu cap. XI. hac de re ita judicat: Potuisse lege Rhodia insulanis aut maritimis civitatibus id competere, ut in partem aliquam naufragii venirent, vel ob sumtus in faces ignesque flagrantes pro securitate navigantium, vel ob operam in colligendis & asservandis naufragiis impensam, vel loco portorii aut vectigalis pro mari à latronibus purgato: ut jam non esset Prædæ species ex mente Eudæmonis, sed remuneratio quædam impensarum & operæ, adeoque mos seu lex maris ex instituto Rhodiorum. Sed ne modum excederet, Antoni-

num temperari voluisse secundum Imperatorum constitutiones. Idem Gothofredus quomodo dicta Lex nona ad leg. Rhod. de jactu sit emendanda & legenda, c. 7. laudati Commentarii ostendit. Ejusdem legis emendationem aggressi sunt alii viri doctrina eximii Grotius, Petitus, Seldenus & nuper Salmasius: quorum observationes compendio contraxit Cl. Vinnius ad dictam Legem pag. 276. & quæ emendationis menti legis ipsi convenientiores videbantur, observavit, uti apud ipsum legere est. Ei quoque non fit veresimile, lege Rhodia naufragia omnia statim & sine dilatiore fisco vindicata fuisse, quo nihil possit excogitari crudelius. cum contra lex Rhodia, ut Legum nauticarum vetustissima, tantopere commendetur ob æquitatem à Strabone & aliis authoribus.

XI. Si subditi vel alii certam quantitatem mercium aut annonæ Principi mittere jussi sint, missæque naufragio absque possessorum culpa perierint, ad alia horum vice mittenda minimè obligantur *l. 4. C. de Naufrag. & ibi Peck.* quia semel munere suo functi sunt, & de naufragio casu facto non tenentur; nisi culpa eorum intervenerit.

nerit. Ita judicatum à supremo Senatu Mechliniensi, tum & Brabantino, testatur Christinæus *decis.* 66. *n.* 2. *& Vinn. ad d. l. pag.* 401.

XII. Si quis funem anchorarium data præciderit opera, quo alligata erat navis, quæ vi maris aut fluctuum abrepta in naufragii malum inciderit, & aliquis hominum naufragio perierit, damni dati & capitis pœnæ obnoxius erit author; *secundum jus Suecitum cap.* 5. *&* 9. *de jure nautic.* quia causam mortis præbuit *l.* 15. *D. ad leg. Corn. de Sicar.* De jure succedendi naufragio pereuntibus, vid. inf. lib. III. cap. 2. §. 14. Et quod naufragio perit, an hæredi vel legatario pereat, ibid. §. 13. aliaque huc pertinentia.

XIII In deposito naufragii causa, quod interpretes depositum miserabile & necessarium adpellant, si fides violata sit, actio in duplum datur contra illum apud quem res deposita est aut hæredem ejus *l.* 1. §. 1. *D. depositi* §. 17, 23. *Inst. de Act.* Sed hac de re plura lib. 3. c. 2.

XIV. Procurrere ad prædam ex naufragio rapiendam, Petronio crudelitas dicitur in Satyric. *in l.* 3. *D. de Fer.* atrox *injuria* ap-

pellatur in *l.* 44. *de adq. rer. dom.* & in *l.* 43. *de furt.* non solum *rapinæ* & *furti*, sed in *l.* 7. *D. de inc. ruin. naufr.* expresse *latrocinii species* habetur. Hinc etiam pœnam furti ve qua dupli *in jure R. d. l.* 44. *D. de adq. r. d. l.* 1, 3. *D. de inc. ruin. nauf. Nov. Leon.* 64. *Basilic. lib. LIII. tit.* 3. *circa f. & in LL. VVisigothor.* 7, 2, 18. vel bonorum publicationem *l.* 18. *Cod. de furt.* aliamve pœnam extraordinariam aut graviorem pro personarum & rerum condtione meretur *l.* 3, 4, 7. *D. de inc. r. n. l.* 1. §. 1, 2. *ad leg. Iul. de vi priv.* imò ultimum supplicium *l.* 3. §. 4. *de Sicar.* & nonnullorum populorum statutis pœnam suspendii. Hic autem non solùm edictorum severitate, sed etiam seria exsecutione opus est. qua de re memoria dignum exstat factum & Constitutio Andronici Comneni Imp. (apud Nicetam Choniatem lib. 11. Annal.) ad quem quum querelæ de impunita naufragorum direptione delatæ essent, & aulæ proceres hoc malum pro deplorato haberent, quod vetustate corroboratum medicinam respueret, ille respondit: *Nihil est quin ab Imperatoribus emendari queat: nec ullum peccatum est, quod vires eorum superet. Superiores au-*

tem

tem Imperatores aut rem stultè sunt aggressi, aut se dolore injuriis simularunt: non enim inutilibus literis, sed ense coercere hoc malum debuissent: quod, pravos mores non corrigendo, confirmarunt. Et cum dicto severam pœnam in naufragorum spoliatores statuit, addito etiam supplicii fulmine in negligentes exsecutionem ejus.

XV. Pium autem & humanum est, verè naufragorum, qui res suas amiserunt, & qui non culpa sua in hanc calamitatem inciderunt, nec eam mentiuntur, rationem habere *arg. l.* 37. §. 1. *D. de neg. gest.* eorumq; sublevare fortunas vel ex publico, ut fecit Theodericus rex Gothorum, *apud Cassiodorum Var. Ep.* 4. 7. & remissione vectigalis *Graef. Iur. pub.* 30, 11. vel dilatione moratoria debiti, *de qua Carpzov. Iur. for.* 4, 30. 46. vel stipe; vel ex communi sodalitatum arca, qualis olim apud Græcos erat. *Casaub. in Charact. Ethic. Theophrasti p. m.* 199 *seqq. Grot. in Luc. c.* 6. *p. m.* 683. & hodie in bene constitutis Rebuspub. esse solet. Si verò major quædam summa, ab imicis corrogata eis suppeditetur, vel debiti remissio à creditoribus fiat, æquum est ipsos restituere, cum ad meliorem fortunam redie-

rint; [ita tamen ne egeant] *arg. Tob. c. 1. v. 17. & cap. IV. v. 21, 22.* nisi animo donandi, nec repetendi facta sit. *l. 53. D. de reg. jur.*

Cap. VIII.

De Jure Portus, Portorii & Vectigalis.

I. Portus descriptio.

II. Ad portus instaurationem conferenda opera communes.

III. Portum esse publicum, & inter Regalia referri.

IV. Finis, usus & privilegia portus.

V. Inquisitio navium. Literæ conductus maritimi. Designatio mercium. Principalis prælationis jus.

VI. Portorium. Vectigal. quis illud instituere & quomodo possit.

VII. Pœna commissi. Eâ quoque hæredes teneri.

VIII. Quæ naves sint immunes.

IX. Errore viæ, vi aut tempestate in alienum portum acti, tutum ibi receptum & egressum jure genitum habent.

X. Nisi

X. Nisi sint hostes aut piratæ; quos ibi certo modo persequi licet etiam alieni territorii hominibus.

I. POst Fluminum & Littorum jura nunc Ius Portus illis conjuncti se offert. Portus est conclusus locus, quo importantur merces & exportantur, *l.* 59. *de verb. sign.* Aliàs statio, quod ibi tuto naves stare possint. *l.* 1. §. 13. *D. de flum.*

II. Ad portus instaurationem, quia publicæ utilitatis gratia fit, omnes subditi loci conferre operas debent *l.* 7. *C. de oper. pub.*

III. Portus intuitu fluminis quo ambitur, & vectigalis quod ex navium statione penditur, est publicus, & hodie Regalibus accensetur. §. 2. *Inst. de rer. div. l.* 4. §. 1. *D. eod. c. un. quæ sint Regal.*

IV. Portus, quà publicus, non solùm mercibus exonerandis inservit, sed ut naves ibi tutum receptaculum habeant, & jure debito ac securitate fruantur navigantes, quatenus innocuum iter & stationem quærunt. Hinc Portus & Navalia privilegio pacis publicæ gaudent *arg. l.* 1. §. *stationem D. de flum. cap.* 2. *jun. Nautic. Sued. c.* 1. §. 1.

de

de viol. jur. Reg. c. 14. *de homic. vol.* Et prohiberi nemo libero ingressu aut egressu portus jure gentium potest; nisi quem istius loci dominus pro hoste habeat, aut metuat ut hostium partibus studentem. Megarensium querela quondam justa visa fuit, quod contra jus gentium & libertatem Græciæ portu Atheniensium excluderentur. *Diodor. Sicul. lib.* 12. *Plutarch. in Pericl. Cun. in causa postliminii p.* 262. Nihil etiam in littore aut ponte portui proximo fiet, quo portus aut stationis usus impediatur *l.* 1. *D. de flum. arg. c.* 19. *de jure naut. Sued.* Quæcunque naves ex quolibet portu dimissæ, nullam concussionem vel damnum sustinebunt *l. un. Cod. de lit. & itin. custod.*

V. Hoc tamen juri portus debetur, & Principis loci jurisdictioni, ut præfectus portus inquirat, quæ navis & unde venerit, quid vehat. *d. l. un. Cunæus in cauf. postl. p.* 279. Hoc est consentaneum ei juri, quod portubus & rei maritimæ passim apud alias nationes impositum est. Sic AEnea cum classe sua in Evandri portum delato, Pallas apud Maronem 8. AEneid.

Quò tenditis? inquit:
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis an arma?

Vt

Vt Magiſter navis à ſui loci magiſtratu literis commeatus ex more hodierno maritimo aut paſſus maritimi, ut vocant, epiſtolaque aſſertoria, vulgò *certificationem* appellant, inſtructus ſit: vel inventario ac deſignatione mercium omnium navi impoſitarum in inſtrumento contractus nautici rite confecta (Gall. *lettres de charte partie*) ac profeſſione ſpeciali, quæ ex viſitatione & excuſſione navis recta deprehendatur, & ſolutione juſti vectigalis impleatur. Cauſſa eſt, ne magiſter navis aliud pro alio, aut ſub alieno titulo profiteatur: ne quid illicitum invehat evehatve: ne quid occultet & ſupprimat: ne quid alienum, quod vectigal debet, ſuo, quod forte immune eſt, admiſceat: atq; ut evitetur longa detentio, pœna publicationis bonorum aut commiſſi. quod pactis & juri diverſorum populorum atque ſpecialibus Vectigalis ordinationibus congruum eſt. Naves tamen immunes, & tam mercium ratione quam proprio jure ac pirvilegio exemtæ, non neceſſe habent iſtam mercium profeſſionem apud publicanos, inquiſitionem & viſitationem ſubire, quam aliæ naves vectigali oneratæ ſubeunt. *Peck. in tit. Cod. de*

Navi-

Navicular. & Vinn. ib. pag. 378. nisi quod quorundam populorum pactis generalem certificationem publicano ostendunt. vid. pactaGustavi I. cumLubecensibus inChron. part. 1. pag. 221. quomodo hoc cautum sit legibus pacis inter Regna Suediæ & Daniæ *vid. art.* 5, 6. *& seqq. Pacific. Sueo-Dan.* Nonnullis quoque populorum institutis jus prælationis Princeps loci in mercibus invectis vi Regalium in portum habet, ut, quod ipsi placet ex mercibus, pro justo pretio emat eligatque præ aliis. velut in jure Sued. *c. 1. de jur. naut. c. 33. de jur. merc.* cautum est. Huc respexitChytræus inChron. Saxon. part. 2. p. m. 211. ubi de Gustavo I. & Lubec. agit: *Naves ac merces invectas ac evehendas primum Regis ministris inspiciendas præbere; ac si quid Regi ex mercibus emere aut retinere libeat, jus προτιμήσεως ipsi concedere cogit.* Idem veteri jure Norveg. *c. 9. de jur. merc.* constitutum fuit.

VI. A portu dicitur Portorium, pecunia quæ Fisco vel Reipub. penditur ex mercibus aut venalitiis quæ huic oneri subjacent. *Cujac. ad tit. Cod. de Vectig. & comm.* Vectigal autem appellatur à vectura, vel invectione & evectione mercium, quod solvi

vi debet non ſolùm pro nudo tranſitu, ſed etiam pro fide & ſecuritate pub. & onere tuendæ navigationis adverſus vim & piratas, & juvandæ per ignes nocturnos ac brevium ſigna, pro expoſitione & venditione mercium? *Prem. init. Tract. de Securit. promiſſ. & Fide pub. p. m.* 14. *Grot. de jur. bell. c. p.* 2, 3, 14. *Camden. Hiſt. Angl. pag.* 842. (Huc etiam referas quam vocant *palorum pecuniam*, de qua in privil. Amſt. p. 28, 29. & in Statut. Dantiſc. p. 1. art. 22. Chytr. Chrō Saxon. ad annū MDLXXXIV.) Vectigal autem inſtituere eſt ſummi imperii *l.* 10. *D. de publican l.* 2, 3. *C. Vectig. nov.* 1. aut quibus hoc concedit ſuprema poteſtas; aut quibus tempore memoriam hominum excedente adquiſitum eſt. Hoc non privatæ, ſed publicæ, non alienæ ſed ſuæ poteſtatis ac moderationis pro ſtatus pub. conditione Principes eſſe volunt. Camdenus p. 3. Hiſt. Eliſab. pag. 351. *Principes vectigalia quæ ſemel intenderunt, vix unquam relaxant; qui hujuſmodi Regalia (ut vocant) ad cujuſque regni jus & libertatem ſpectare, nec externæ moderatoni ſubjacere judicant.* Extra neceſſitatem tamen & utilitatem pub. non augeri, reſpectumque

ad

ad merces habere, leges pacti & modum causæ non excedere fas est. *l.* 7, 8, 13. *C. de Vectig. Grot. de jur. bell. & pac.* 2, 2, 14. *Sixtin de Regal.* 2, 6, 45. & 47. *seqq.* Sed nec illicitè ac per vim extorqueri debet *l.* 6. §. 5. *D. de publican. & vect.*

VII. Si quis non professus fuerit omnes merces, pro quibus vectigal debetur, in commissum cadunt aut Fisco cedunt occultatæ vel *inscriptæ*, ut veteres loquebantur, id est non scriptæ. Lucillius lib XXVII. Satyr. apud Nonium: *Facit idem quod illi qui inscriptum è portu exportant clanculum, ne portorium dent.* Item si vetitæ merces advehantur, vel cum illis ad hostile solum navigetur, eædem in commissum cadunt *l.* 11. *D. de publican. & vectig. l.* 2. *Cod. quæ res exp. non deb.* Pœna verò commissi etiam hæredes defraudantis tenet, si modò vivo eo qui, deliquit, quæstio mota sit, & sententia declaratoria subsecuta, qua declaretur illud crimen fuisse commissum *l.* 8. *l.* 11. §. 3. l. 14. *l.* 16. §. 13. *de publican. Sixtin. de loc. n.* 171.

VIII. Naves tamen à vectigali immunes hic excipiuntur, quæ immunitas mutuis inter vicinos aut confœderatos pactis

instituti,

institui, vel pro rerum & temporum ratione tolli potest. *Vid. art.* 1.2. *seqq. & art.* 18. *Pacific. Sueo-Danic. de anno MDCXLV.* Sed & errore viæ, vi tempestatis, metu piratarum aut aliorum hostium probabili, aut reparationis causa naves ex necessitate in portum actæ vel relatæ, pro non soluto vectigali, commisso non vindicantur *l.* 15. *l.* 16. §. 8. *D. de publican.* nisi quod quarundam gentium instituto pecuniæ aliquid pro tuta statione præstari solet, quam vulgò vocant *pecuniam anchorariam. vid. art.* 12. *Pacific. Sueo-Dan.* Merces quoque quas semel in isto portu exonerare cæperunt, ibidem vendere quorundam populorum moribus necesse habent.

IX. Alàs jactatæ naves mari & expulsæ errore itineris, vi aut tempestate in alienum portum, velut ad alienum præsidium confugientes, ibi ex communi gentium jure fidam stationem habere liberèque recedere solent. Hoc jus gentium intuetur Virgilius IV. Georg.

Deprensis olim statiò tutissima nautis.

Et Latinus apud eundem VII. AEneid. sic invitat socios AEneæ:

Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,

(Qualia

(Qualia multa mari nautæ patiuntur in a
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis
Ne fugite hospitium.

In fœdere pacis & commerciorum i
Henr. VII. Reg. Angl. & Philippum Du
Burgund. etiam hoc pactum est percuss
ut naves vi aut tempestate in alterius
tum depulsæ tutum ibi receptum, liber
que inde egressum haberent c. 21. *dicti*
qui verò eas diripiunt, vim piratarum
re exercent Cæsar lib. III. de bell. civ
insula Pharo habitantes Ægyptii naves
imprudentia aut tempestate paulullum su
su decesserint, more prædonum diripere co
verunt. Libertatem sanè commercio
& navigationis tollit, & ingentia na
munera in injuriam vertit, qui publicam
curitatem in portu denegat his, quos
longæ navigationis languor, aut temp
tum vis ex alto appulit. Cum hos in
nam fidem confugere, & ei se ac sua c
mittere necessitas extrema & misera
casus adigit, prope est vt hi in eadem c
esse videantur, qui periculi vitandi causa
est naufragii, ruinæ tumultus gratia res
apud aliquem deponunt; uti Cunæ
causa postliminii p. m. 262, 263.

ditè differit. *vid. & inf. lib. 2. c. 4. n. 6. & seqq.*

X. Si verò sint hostiles vel piraticæ naves, aut pro iis habeantur, illis accessum denegari nihil est mirum unde socii AEneæ pelago jactati, tutumq; accessum à Didone petentes ajunt apud Maronem 1. AEn.

Non nos aut ferro Lybicos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes, & stringere remos.

Lesbios unicè laudat Pompejus, quod uxori, sibique licet jam à Cæsare victo & profugo liberum tamen accessum & recessum in suum portum dederint, apud Lucanum lib. VII. v. 244. & seqq. cum hoc voto:

Da similes Lesbo populos, qui Marte subactũ,
Non intrare suos infesto Cæsare portus,
Non exire vetent.

Quin & hostilium navium continuam persecutionem & in eas excursionem in alieno freto vel portu excusandam putant, si periculum sit in mora. Fit enim hoc vim hostis nobis imminentem à finibus nostris propulsandi, non alieni aut vicini territorii fines violandi animo. Et jus ac necessitas defen-

defenſionis nullum limitem ſeu terminum agnoſcere, omnique injuria carere videtur. *Beſold. de jur. territ. c.* 3. *n.* 4. Sic Gedanenſes anno MCCCCLIX. Boruſſiæ magiſtri claſſem uſque ad Gothlandiam perſequuti ſunt, & naves quaſdam ibi interceperunt; etſi contra proteſtante Rege Daniæ.

CAP. IX.
De jure piſcandi.

I. Ius piſcandi omnibus commune eſſe primævo jure naturæ, gentium & divino.
II. Quod poſtea inter Regalia relatum, unà cum fructibus ejus.
III. Iure Regalium & legibus piſcationum non poſſe tolli omnem piſcandi libertatem.
IV. Libertatem piſcandi in alieno mari aut freto exteris quoque certo modo concedi poſſe ab illo qui imperium in illud habet.
V. Ius piſcandi ſubditis & privatis quatenus competat.
VI. Quatenus hæredibus competat.
VII. Per piſcationem non impediendum eſſe navigationis uſum.

I. Sed

I. SEd & hoc Portus beneficium est, ut jus piscandi in eo sit commune; nec in portu solum, sed etiam in fluminibus publicis & mari: quia portus & flumina publica sunt, mare autem commune est, idque primævo jure naturæ, & gentium §. 2. *Inst. de rer. div. l.* 5. §. 1. *D. eod.* quod in jure divino fundatum est *Gen.* 1. *v.* 28. *Gen.* 9. *v.* 2.

II Verum hoc non simpliciter est naturale, sed in mari nullius ditioni subjecto; atque si incertis locis non aliter lege aut moribus cautum sit: quos observari debere jus ipsum naturæ dictat. Lex enim civilis etsi nihil potest contra jus naturæ permittere aut prohibere, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare quod naturaliter licebat. *Grot. de jur bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 2 §. 5. *& cap.* 3. §. 8. 9. *seqq. & cap.* 8. §. 5. Et Cujacius lib. 4. Obs. c. 2. ait: *Mores ubique jus gentium passim subegerunt, adeò ut ne in flumine quidem publico piscari liceat.* Ex quo enim Principes imperium in aquas ipsorum territorio subjectas sibi vendicant, promiscuæ piscandi libertati fibulam quandam lege sua imposuerunt. Inde factum est, ut piscationes in mari aut flu-

flumine pub. tandem inter Regalia referrentur *c. un. Quæ sint Regal.* quæ longâ consuetudine ex tacita civium conventione firmata sunt: ita ut hodie non amplius de jure quærendo, sed quæsito tuendo disceptetur. *Graef. Iur.pub.c.*40. *n.* 3. Hinc lacus piscatorii in censum domini deferri dicuntur in *l.* 4. §. 6. *D. de censib.* Et jus piscandi cum Feudo à superioribus conferri *Sixtin. de Regal.* 2, 18, 30, vel aliis ex venia concedi *c.* 29. §. 1 *de Jur. ædif. L L. prov. Suet.* aut alio justo titulo in alium transferri; vel piscatio publicè locari pro certis reditibus aut exactionibus Fisco inferendis potest. exceptis tamẽ quæ hamo capiuntur. Hamorum enim usus in quacunque civitate receptus, in aquis publicis ab omni exactione liber est. *Graef d. loc. n.* 3. Sic jure Regalium Sueciæ Reges habent suas decimas ex piscationibus publicis, aut alios proventus ex locatione vel concessione piscationum in mari aut fluminibus publicis hujus regni, suosque peculiares tractus aut ductus piscationum, quos *Alveos Regios* aut *Venas Regias* sua lingua vocant. *vid. Recess. Holm. de anno* 1643. *art. ult.* Sic Regibus Lusitaniæ præter alios maritimos reditus cedunt quoque

balænæ

balænæ ejectæ. *Georg. de Cabedo decis. Lusit. par. 2. dec. 48.*

III. Eodem jure Regalium Princeps certum piscandi modum præscribere subditis suis ex usu publico & consensu potest. Ad conservationem enim eorum quæ juris quidem gentium sunt, absque gentium tamen læsione reipub. bono conducunt, Princeps leges proposito suo convenientes ferre potest, uti in halecum captura Ordines Hollandiæ fecerunt, *notante Graefio dicto cap. n. 4.* & alii Principes ac Respublicæ in aliorum piscium captura possunt. Istæ tamen leges omnem piscandi libertatem subditis penitus adimere, omniaque fisco vendicare non possunt, certè non debent. quod Domitianus & ministri ejus tentabant. quo nomine Iuvenalis eos urbano sale tangit sat. IV. ubi de rhombo in mari Hadriaco capto, & à piscatore Principi destinato loquitur:

Quis enim proponere talem
Aut emere auderet? cum plena & littora multo
Delatore forent: dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,

E *Depastum-*

flumine pub. tandem inter Regalia referrentur *c. un. Quæ sint Regal.* quæ longâ consuetudine ex tacita civium conventione firmata sunt: ita ut hodie non amplius de jure quærendo, sed quæsito tuendo disceptetur. *Graef. Iur. pub. c.* 40. *n.* 3. Hinc lacus piscatorii in censum domini deferri dicuntur in *l.* 4. §. 6. *D. de censib.* Et jus piscandi cum Feudo à superioribus conferri *Sixtin. de Regal.* 2, 18, 30. vel aliis ex venia concedi *c.* 29. §. 1. *de jur. ædif. L.L. prov. Suet.* aut alio justo titulo in alium transferri; vel piscatio publicè locari pro certis reditibus aut exactionibus Fisco inferendis potest. exceptis tamẽ quæ hamo capiuntur. Hamorum enim usus in quacunque civitate receptus, in aquis publicis ab omni exactione liber est. *Graef d. loc. n.* 3. Sic jure Regalium Sueciæ Reges habent suas decimas ex piscationibus publicis, aut alios proventus ex locatione vel concessione piscationum in mari aut fluminibus publicis hujus regni, suosque peculiares tractus aut ductus piscationum, quos *Alveos Regios* aut *Venas Regias* sua lingua vocant. *vid. Recess. Holm. de anno* 1643. *art. ult.* Sic Regibus Lusitaniæ præter alios maritimos reditus cedunt quoque

balænæ

balænæ ejectæ. *Georg. de Cabedo decis. Lusit. par. 2. dec. 48.*

III. Eodem jure Regalium Princeps certum piscandi modum præscribere subditis suis ex usu publico & consensu potest. Ad conservationem enim eorum quæ juris quidem gentium sunt, absque gentium tamen læsione reipub. bono conducunt, Princeps leges proposito suo convenientes ferre potest, uti in halecum captura Ordines Hollandiæ fecerunt, *notante Graesio dicto cap. n. 4.* & alii Principes ac Respublicæ in aliorum piscium captura possunt. Istæ tamen leges omnem piscandi libertatem subditis penitus adimere, omniaque fisco vendicare non possunt, certè non debent. quod Domitianus & ministri ejus tentabant. quo nomine Iuvenalis eos urbano sale tangit sat. IV. ubi de rhombo in mari Hadriaco capto, & à piscatore Principi destinato loquitur:

Quis enim proponere talem
Aut emere auderet? cum plena & littora multo
Delatore forent: dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,

 Depastum-

Depastumque diu vivaria Cæsaris, inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti,
Si quid Palphurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum est pulcrumque ex æquore toto,
Res fisci est ubicunque natat. donabitur ergo
Ne pereat.

Vide colorem ac ingenium calumniæ, quæ fingit rhombum Imperatoris vivario aut piscinæ inclusum, in dominio ejus fuisse, ideoque inde elapsum occupantis fieri non posse, sed dominio suo restituendum esse, ubicunque deprehensus recognoscatur. Palfurius autem & Armillatus speciosiori palpo omnia Principis fisco attribuunt, quæcunque alicujus pretii in mari reperiuntur. Huc referas illud Ambrosii, quo invehitur in tales Principes Hexaemer. lib. V. cap. XXX. *Piscium jura sicut vernaculorum conditione sibi servitii subjecta commemorant.* Sint priores in mari finibus suis circumscripto aut flumine pub. piscandi partes Principi, sint ipsi magni inde fructus, & sua Regalia. non tamen omnia in Fiscum trahere potest. hoc enim ipsius naturæ beneficio prorsus repugnaret, quæ

non Principis ſolum ſed cæterorum quoque hominum cauſſa piſces comparavit (vid. *l.* 28. §. 1. *D. de uſur.*) igitur illis quoque partem eorum lubens concedet, quæ natura non invidet aut denegat ceteris hominibus. Seneca lib. IV. de benefic. cap. V. *Animalia omnis generis, alia in ſicco ſolidoque, alia in humido innaſcentia, alia per ſublime dimiſſa: ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret.* Hujus naturalis tributi partem bonus Princeps, incolumi ſuo jure & piſcationum fructu, cæteris haud invitus permittere ſolet. Seneca lib. VII. de benefic. cap. V. *Sub optimo Rege omnia Rex imperio poßidet, ſinguli dominio.* quæ nimirum juſto dominio adquiri poſſunt. Et cap VI. *Cæſar omnia habet. fiſcus ejus privata tantum ac ſua. & univerſa in imperio ejus ſunt, in patrimonio propria.* Abſque tamen venia Magiſtratus præfectique portus Regii directione piſcatio in publico non eſt permiſſa, *jure portus Svedico Caroli octavi, art.* 14. & 25. *c.* 29. §. 1. *de ædif. LL. prov. Svec.*

IV. Quin ſi exteris ex pacto, vel precario, aut indulgentia Principis, aut pro annuo vectigali, certâve pecuniæ ſummâ

piſcatura, in freto aut mari ejus ditioni ſubjecto, velut paſtio in agro compaſcuo ad certum ac determinatum modum concedi poteſt, atque conſtituto tempore renovari ſolet; quidni idem concedatur indigenis? Exteris autem dicto modo concedi poſſe, ſtatuit Leo Imp. Novel. 56. in fin. *Sicut terrenis locis præter voluntatem domini ex alieno fructus percipere nemini conceditur; ſed ſi quis fructus ex alieno colligit, eos vel benignitate domini percipiat, vel pro loci uſu vectigal ſolvat neceſſe eſt. Sic etiam maritimis oris obſervari præcipimus.* Idem teſtantur hujus facti exempla. Seldenus lib. 2. Mar. clauſ. cap. 20. pag. 437. *Ex fœderibus cum vicinis Principibus initis toties ejuſmodi libertas ita utrinque fuit indulta, ut conſtante fœdere, velut ager compaſcuus tam federato utenti quam Anglo domino mare deſerviret.* Sic Hollandis jus piſcandi haleces in mari Britannico conceſſum eſſe conſtat ex fœdere pacis ac mutui commercii, quod initum eſt Londini anno MCCCCLIX. inter Henricum VII. Regem Angliæ, & Philippum Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgund. Hollandiæ Comitem; & integrum exſtat in Apologia Boxhornii pro Navigat. Holland. inprimis cap. 14. Iiſdem,

ut & Anglis aliquando in Scania, Norvegia idem à Regibus Daniæ ac Norveg. indultum esse, ex Annalibus constat. *vid. Pontan. lib. 1. Discuss. Histor. c. 21.* Quod autem Grotius lib V. Mar. lib. p. m. 53. vult. *exteris jus piscandi ubique immune esse debere, ne servitus imponatur mari, quod servire non potest (l. 13. comm. præd.)* hoc quidem ita esse oporteret, si nudum jus naturæ & gentium ubique sequeremur; & lege vel pacto non aliud constitueretur ab eo, qui imperium in suæ terræ undas sibi arrogat. quâ ratione motus Grotius postea diversum sentit in lib. II. de jur. belli & pac. cap. II. § V. *De feris*, iuquit, *piscibus, avibus illud notandum est, qui imperium habet in terras & aquas, ejus lege posse impediri aliquos, ne feras, pisces, aves capere, & capiendo acquirere eis liceat: atque hac lege teneri etiam exteros. Ratio est, quia ad gubernationem populi moraliter necessarium est, ut qui ei vel ad tempus se admiscent, quod fit intrando territorium, ii conformes se reddant ejus populi institutis. Nec obstat, quod sæpe in jure Romano legimus, jure naturæ aut gentium liberum esse, talia animalia venari,* (aut capere) *hoc enim verum est quamdiu lex civilis nulla in-*

tercedit, sicut lex Romana res multas quebat in illo primaevo statu, de quibu gentes aliud constituerunt. In foedere R Galliæ & Angliæ pactum initum, pi ram utriusque subditos libere exercer e toto mari, quod hinc portu Scard gensi & Southamtoniensi, illinc Fla extremo & Sequanæ fluvii ostio ter tur. Tempus item ab autumno int nuarias, quæ sequerentur, Kalendas ceri. Ecce limites tum loci, tum tem piscaturæ positi, uti notat Seldenus in clauso, dicto sup. loco. Modum ergo cipes hic suis & exteris vel ex convent vel vi imperii in suum fretum præsc queunt.

V. In fluvio autem alicujus pr proprioque ipsi solum domino, no absq; furti crimine piscari licet: is en privatum non publicum aut comm usum ac dominium pertinet *l.* 13. *l.* 14. *D. de injur. c.* 25. *Iuris Suet.* By *c.* 29. Tiuf. II. 9. Sf. nisi specialiter tal alii concessum sit à domino; aut nis amnis pluribus vicinis pro portione cen tium prædiorum communis sit. *Oetinger lib.* 1. *de jure & controv. limit.*

n. 29. *&* *d.c.* 25. Bygn. *c.* 16, 17. Widerbo *Vl.* 14. *HL.* Quamvis verò pisces passim vagantes ludentesque in stagnis, videantur in naturali sua libertate versari, atque sic occupanti cedere; quod etiam volebat Nerva IC. & solos pisces inclusos piscinæ à nobis possideri dicebat in *l.* 3. §. 14. *D. de adquir. vel. amitt. possess.* attamen nostro seculo rectius contraria opinio prævaluit, ut pisces etiam stagnis inclusi à nobis possideantur & in dominio nostro sint, quippe pisces non minus stagno privato includuntur, quam piscina: nec alio hæc differunt, quam quod altera angustior, altera laxior custodia est. *Grot. de jur. bell. e. p. lib.* 2. *c* 8. §. 2. Quid? quod termini piscationis limitibus distingui possunt, ut in jure Suetic. c. 6. Bygn. ll. Vid. *Oetinger lib.* 2. *cap.* 3 *de jure & controvers. limit.* nec eos transgredi licet. *Vid. Chronic. Gustavi I. part.* 2. *pag.* 297. 300. Ubi verò nulli sunt limites, per vices aut pro rata piscari moris est, si sit usus amnis pluribus communis qui prope ripam præd a possident. *arg. l.* 31. §. *uno ff. de neg. gest. & per superiora, init. h.* § Nec adeò ad rem facit, quod pisces non dicantur esse fundi secu ndum juris subtilitatem *l.* 15. *D. de*

act. emt. fundi enim propriè esse dicitur, quod terræ affixum est, & terra se tenet *l.* 17. *eod.* satis est quod in piscina & stagno nostro sunt, ejusque tanquam accessio & fructus. Vnde piscatio etiam ad fructuarium pertinet *l.* 9. §. 5. *D. de usufr.* nisi inundatio longior eam impediverit: quod tamen alluvio decedens restituere potest. *l.* 23. *quib. mod. usufr. am.* Sed & quasi possessionem juris piscandi in diverticulo maris aut fluminis publici sibi privatus longi temporis usu (inprimis qui memoriam hominum excedit) adquirere potest, & alium eodem jure uti prohibere. *l.* 7. *D. de divers. temp. præscr. l.* 45. *D. de usurpat.* nisi desinens uti, ante legitimum præscriptionis tempus jus suum amiserit. Si verò maris proprium jus, id est exigua maris portio in privatum fundum, ad exemplum villæ Luculli aliorumque, admissa sit (ut explicat Grot. d. lib. 2, 3, 10.) vel diverticulum maris ad aliquem pertineat, & ille animum possidendi non interrupto plurium annorum usu testatus sit, & tamen prohibeatur jus suum usurpare, interdictum uti possidetis ei competere Paulus dixit: quia ad privatam non publicam causam hæc res pertinet.

& de jure fruendi agitur *l.* 14. *D. de injur.* quod juri naturæ convenire Grotius dicto loco confirmat. Extra diverticulum verò maris idem juris non erit, ne communis usus impediatur. Ante ædes igitur meas aut prætorium ad mare situm ut piscari aliquem prohibeam, usurpatum quidem est, tametsi nullo jure; adeo ut Vlpianus, si quis prohibeatur, injuriarum agi posse dicat *l.* 13. §. 7. *D. de injur. Grot. Mar. lib. c.* 5. *p. m.* 48. In lacu tamen qui mei dominii est, utique piscari aliquē pohibere possum. *in fin. l.* 13. *de injur.* nihil remorante, quod pisces dum in lacu sunt, in naturali sua laxitate versari videantur. *Cujac. lib.* 4. *obs. c.* 2. lacus enim meus est, ergo & proventus fructusque ejus. *per sup. notata.* Si quis duorum maritimorum fundorum dominus unum vendat, alterum retineat, eique hanc legem vel conditionem dèt, ne ab emtore contra eum in certo maris loco certarum specierum piscatio exerceatur; quamvis mari quod natura omnibus patet, servitus privata lege imponi nequeat; quia tamen bona fides legem contractus servari exposcit, persona possidentis & in ejus locum succedentis per hanc venditionis legem obliga-

 tur.

tur. *l. venditor fundi D. com. præd.* idque naturali æquitati consentaneum est. quod etiam in territorio & lege populorum posse locum habere, notat *Grotius cap.* 5. *Mar. lib.*

VI. Pisces custodiæ causa piscinæ immissos rebus hæreditariis annumerari, & ad possessoris defuncti hæredes pertinere, extra dubium est, per *l.* 15. *ff. de act. emt.* & *l.* 3. §. 14. *ff. de adqu. possess.* Sed si pisces multiplicationis causa in stagnum sint conjecti, cedere hæredibus defuncti possessoris aut vasalli eo tempore, quo stagnum mox est piscabile, Pragmatici notant: fructus enim de proximo recolligendos pro recollectis haberi. *Carpzov. Iur. for.* 3, 32, 26. At si tempus mortis magis est propinquum tempori immissionis piscium in stagnum quam piscationi, tunc pisces unà cum fundo ad novum possessorem pertinent. *Idem d. loc. def.* 27.

VII. Cuicunque verò vel in mari aut flumine publico, vel eorum diverticulo piscari fas & jus est, ita piscabitur, ne per id usus navigationis impediatur. *l.* 1. & *toto tit. D. Ne quid in flum pub.* Theodoricus Rex Gothorum apud Cassiodorum lib. V.

Var.

Var. Ep. XX. *Comperimus quosdam sepibus cursum fluminis, quantum ad navigandi studium pertineat, incidisse. quod volumus modis omnibus amputare. nec tale aliquid permittatis quenquam ultra præsumere, sed inviolati alvei tractus navium relinquatur excursibus. Scimus enim retibus non sepibus esse piscandum.*

Cap. X.

De Jure Stapulæ.

I. An jus Stapulæ stringat liberum commerciorum & navigationis usum.
II. Stapulæ & Geranis etymon.
III. Quid sit jus Stapulæ.
IV. Unde ortum ducat. quis ejus finis.
V. Distinguendum à Nundinis, pendet à jure emporii.
VI. VII. VIII. IX. X. Quibus modis adquiratur & usurpetur.
XI. Negociationum libertati non posse præjudicare in universum, & mercibus non expressis Stapulæ jus.
XII. Excipitur casus necessitatis & annonæ caritatis.

XIII. Obligati ad exponendas certo loco merces, novas elusiones non quærent.

I. SEd nonne Ius Stapulæ liberum navigationis & commerciorum cursum sistere aut ei præjudicare videtur, dum certo loco merces sistit ac moratur? Hoc disquirere operæ est. Sed ordine progrediemur, dum hoc argumentum excuti dignum tractamus: deque ejus origine & natura paulò accuratius agemus.

II. Stapula non à *stabulando*, ut nonnulli volunt, dicta est, quasi certis locis merces stabulentur, sed à voce mercatoribus nostratibus usitata Stapel appellatur, quod velut in gradus erectionem & coacervationem rerum, inprimis mercium signat. Inde alia cognata nomina deducta sunt, ut *Stapa*, quod veteribus Saxonibus forum fuit, & *Staplum* pro tribunali. Cl. Salmasius cap. V. Observat. ad Ius Atticum & Rom. *Ἀγορὰν παρέχειν dicuntur, qui omnia quorum vita indiget ad victum suppeditant. Stapam vulgò dicimus ex antiquo Saxonico* Stapen/ *quod forum Latinè expositum in vetustissimo Lexico Latino Saxonico olim videre memini apud Marquardum Freberum Heidel-*

Heidelbergæ. Inde facere stapam, *vulgò dicimus, quod Græcis erat* ἀγορὰν παρέχειν, *Latinè commeatum præbere.* Itaque Stapa est à Stapel quod in foro in acervum essent erectæ & cumulatæ hujusmodi res quæ ad annonam vel commeatum spectabant. Et *Staplum* Regis pro tribunali accipitur in Legibus Ripuariorum tit. 33. §. 1. tit. 65. §. 5. tit. 75. ita dictum à Germ. Stap vel Staffel *gradu*, quod ad illud tribunal, suggestu quodam erectum, gradibus adscenderetur. inde Suedicum quoq; klockstapel vel klockstappen turris, vel locus æris campani nolis destinatus, deductum, & Stapulstäder / civitates quæ jure stapulæ gaudent, ut vulgò loquuntur. magis Latinè dicas *stata maris emporia*; aut *civitates privilegio stationis mercium donatas. Stapulæ jus* alio quoque nomine *jus Geranii* nuncupatur. Quid hîc esset Geranium, primò dubitavi. Sed ubi penitius vocem excussi, notionem ejus deprehendisse visus sum. Vt enim *Stapel* est vetus vox Gotho-Teutonica, ita hanc quoque esse puto, dictam vulgò Krane / quæ signat Saxonibus & Belgis *gruem*, ut & machinam illam tractoriam, quam aliàs rotam aut *tympanum versatile* mechanici

vocant

vocant, quo circumacto in exoneratione navis sustolluntur & in terram demittuntur vasta onera & graves ac ponderosæ merces. quod à Vitruvio lib. X. de Architectura cap. IV. & à Philandro in Notis ad dictum locum Vitruvii ita describitur: *Tympanum quod Græci etiam γέρανον appellant, est rota ambitus magni genus, cujus circumactæ, calcantibus hominibus affixas pro gradibus regulas, axis fune obvolvitur, atque ita onera extolluntur, aut sublata deprimuntur.* Ejusdem meminit Lucretius lib. IV.

Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit machina nisu.

Huic machinæ tractoriæ *gruis* nomen inditum est à formæ quadam similitudine, quod *axem* quasi *rostrum gruis* protendit. rostrum verò gruis Græcis est γεράνιον, inde *geranium* Lat. Est ergo *jus Geranii* per metonymiam idem quod jus *exonerationis*, quæ inter cetera fit etiam illâ machinâ tractoriâ. Huc referas illud Lehmanni in Chronico Spir. lib. 4. c. 22. p. m. 363. Die ander eygenschafft oder gerechtigkeit der Staffel ist von alters gewesen / vnd noch / nemlich Kauffhaus/

haus / Krane / Schiffer vnd Kärcher / deßgleichen / Kauffhaus Obhern/ Kranenmeister &c. Hoc jus *Geranii*, vel *exonerationis* Germani aliàs vocant Niderlage â *deponendo merces*.

III. Ius Stapulæ est potestas sistendi in suo foro restringendique merces, speciali emporii beneficio certis civitatibus competens. Boxhornius in Theatro Hollandiæ, ubi de Dordrechto loquitur, ita describit: *Est Stapulæ jus quo potestas conceditur aliunde invectis mercibus quasi manum injiciendi, ab instituto cursu retrahendi, ac denique ita sistendi, ut non prius, quam publico foro divendita ibi fuerint, alio transferantur.*

IV. Est hoc jus vetus, cum crescente mercatura introductum, priscisque Græcis dudum usurpatum, ut inf. h. cap. §. IX. indicabo. Inprimis in illis locis institutum, ubi commoditate situs, maris & fluminis pub. beneficio jus emporii exerceri potuit. Facit jus Stapulæ ad urbium & commerciorum incrementum, ad copiam annonæ & mercium, ad subsidia reipub. opesque parandas. Scopus ejus præcipuus est utilitas reip. aut peculiarium civitatum: ne exteri promiscua rerum necessariarum coemtione indige-

indigenarum commerciis incommodent; sed ut ipsi hujus rei quæstum ad se & ad suum forum transferant.

V. Non tamen jus Stapulæ cum Nundinis, quæ statis temporibus celebrantur, est confundendum: cum multæ civitates jus mercatus generalis ac nundinarum habeant, quæ tamen jus Stapulæ non habent; nisi & hoc peculiariter sibi concessum probare possint. unde in definitione juris Stapulæ dixi, *speciali emporii beneficio* competere. Pendet enim jus Stapulæ à jure emporii. Et qui jus emporii, id est jus de exponendis mercibus habet, transeuntes merces ad suum portum & forum trahere potest. Chytræus Saxon. Hist. p. 1. ad annum MDXI. *Vladislaus emporii veteris jura tunc Vratislaviæ innovavit, ne quis Polonus aut Germanus negotiandi caussa Vratislaviam præteriret, sed utraque gens Vratislaviæ merces suas deponere ac vendere cogeretur.*

VI. Illud autem jus emporii non privata authoritate, nec aliquo prætextu juris aut onerum præstationis in mari, sed certis & legitimis modis adquiri potest & debet: nimirum ex privilegiis superioris qui jura majestatis habet; vel ex præscriptione memoriam

moriam hominum excedente, vel ex lege pactisque liberarum civitatum aut rerumpub.

VII. Rex aut Princeps qui nullum superiorem agnoscit (etiamsi forte alterius majestatem comiter observet) Stapulæ jus haud dubiè concedere potest: cum habeat authoritatem condendæ legis, aut contra eam ex usu pub. dispensandi *l. ult. Cod. de Legib. Besold. in Thesaur. Pract. in* v. Staffelgerechtigkeit. Hinc etiam quando flumina pro certo pretio elocant, vel alio modo concedunt aliis Principes, præter alia sibi in signum superioritatis reservare solent jus ponendæ stapulæ. *Stypm. p. 2. Iur. mar. c. 5. n. 120, 121.* Si tamen privilegium ex falsa relatione ac importunitate petentis vel obreptitiè in fraudem alterius à Principe impetratum sit, impetranti non prodesse, nec aliis obesse æquius est. *l. 3. C. qui legit. p. s. i. i. h. l. 5. C. si contra jus vel ut. p. Edict. Theuderici Regis Gothor. c.* 129. Et quamvis Principis sit æstimare, quem modum sui beneficii esse velit *l.* 191. *de reg. jur.* non tamen præsumitur, nisi probetur, alteri jus quæsitum privilegio velle auferre: ne ex beneficio fiat injuria *l. 6. Cod. unde vi. Elb. Leonin.*

nin. consil. 67. *n.* 3. Moris enim non est, beneficia ad alienam injuriam porrigi *l.* 40. *D. de admin. & peric. tut. l.* 4. *Cod. de emanc. lib.*

VIII. Insuper antiqua consuetudine & usu, vel longa præscriptione juris emporii stapulæque possessionem vel quasi firmari constat. Eam tamen continuam, nec interruptam esse oportet: nec uti ei per contrariam observationem vel usum, vel privilegii abusum, protestationem & interpellationem legitimam sit contraventum *arg. l.* 1, 2. *Cod. de præscr. long. temp. Aretin. consil.* 11. *n.* 4. Cumprimis hîc locum habet præscriptio memoriam hominum excedens, quæ vim privilegii & instar legis habet. *arg. l.* 2. *D. de aq. & aq. pl. Klock. de Contribut. cap.* 1. *n.* 272.

IX. Sed & liberæ Respublicæ ac Civitates, quæ jus imperii habent, de certis mercibus non aliò quam in suum emporium importandis pacisci possunt, aut legem condere. Talem Athenienſium legem refert Demosthenes in orat. contra Phormionem, *quæ extremum illi supplicium minitatur, qui Athenis habitans aliò quopiam frumentum vexerit, quam in Atticum mercatum.*

tum. εἴ τις οἰκῶν Ἀθήνησιν, ἀλλοθί που σιτηγήσειεν, ἢ εἰς τὸ Ἀττικὸν ἐμπόριον.

X. Ab illis verò, quibus licet, hoc jus ita usurpabitur, ut ultra licitum non extendatur, & ut in certis ac specialibus constituatur mercibus, & ad certa restringatur loca: ne una respub. civitas aut provincia monopolium orbis, aut plurium urbium & provinciarum (contra *l. un. Cod. de monopol.*) exercere velle videatur: neu quod toti corpori debetur partis alicujus ex privato arbitrio fiat. id enim directè pugnaret contra pub. utilitatem & communem societatem: quod ne quidem permissu Imperatoris licet. *l. un C. de monopol. l.* 6. *Cod. si contra jus vel util. p.* (monopolii tamen limitationem vid. apud Grotium de jur. b.c.p.2,12,16.) Tum & pro mercibus destinato loco exponendis æquum, non nimium exigatur portorium. Pro iisdem in vendendo & emendo justum exigatur & solvatur pretium, non quantum illicita conventione pactum sit *d. l. un.* quæ est injuria, reparatione digna *Grot. d. loc.* Sed & invehentes, bonæ notæ merces adferant: quæ in nonnullis locis ab inspectoribus recognosci & improbæ rejici solent. *Lebman.*

man. d. Chr. Spir. Limnaeus lib. 2. Iur. pub. c. 9. n. 32.

XI. Licet ergo negociatio & navigatio libera sit in mari & fluminibus publicis navigabilibus, hoc tamen salvo jure Stapulæ intelligi volunt. *vid. Leonin. d. consil. Lindem. in exeges. de jure protimis. th. 26.* Et quamvis nemo cogi possit, ut hoc vel illo loco exponat merces suas *Mynsing. cons. 19. n. 3.* & contra cogentem mandata sine clausula, ut vocant, decerni obtinerique possint *Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 3. n. 40. 41.* extra territorium enim suum jus dicenti impune non paretur *l. 20. D. de jurisdict. l. 1. §. 1. D. quod quisque jur.* & quod juris gentium ac publicè utile est, privatorum pactis mutari nequit *l. 38. D. de pact.* attamen Princeps vi imperii in suas terras & portus cogere potest etiam peregrinos in ipsius terris mercantes, ne ad quosvis & vetitos, sed licitos portus naves suas appellant ibique negotientur. *vid. Stenonis Sturii de jure Stapulæ privilegium Stockholmensibus anno 1502. concessum in ejus vita, & Ordinat. Gustavi Magni de Mercat. art. 1. & diplomata de civit. Stapul.* Et quibus civitatibus hoc privilegium concessum est,

nc

ne quis eas prætervehatur aut præternaviget cum certis mercibus, sed ibi merces suas venum exponat, illæ jus & facultatem restringendi merces ad suum portum, etiam invitis dominis mercium, habent. *Besold. in Thesaur. Pract. d. loc. Mev. Iur. Lub. lib. 3. tit. 6. art. 7. n.* 7, 8, 9, 10. Quod quamvis durum esse & libertati commerciorum præjudicare, alienoque juri derogare videatur; aliud tamen sentiendum erit, si civitas hoc speciale beneficium à Principe rite impetrarit *arg. l. 2. §. si quis à Princ. D. ne quid in loco pub. Fab. in Reg. Iur.* 191. *p. m.* 755. Potest enim Princeps vel Respub. legem rebus suis, quam vult, dicere *arg. l.* 21. *C. mand.* quamvis personæ, ad quas res spectant, sint alterius jurisdictionis *l.* 22. *c. de* 55. *Eccles. Stypm. p.* 3. *Iur. mar. c.* 6. *n.* 106. 107. 108. Peregrini quoque in aliquo loco versantes, negotiantes & contrahentes, tanquam subditi temporarii, legibus & juri istius loci subjiciuntur. *Grot. de jure b. e. p.* 2. 11. 5. Illa tamen peculiaria jura & beneficia libertati navigandi in totum, aut mercium, privilegio non expressarum, arbitrariæ evectioni frenum injicere nequeunt, nisi extrema necessitas aliud in singulari casu facere compellat.

XII. Ne-

XII. Necessitas enim exemta legi in gravi annonæ penuria non solùm prohibere potest evectionem frumenti domestici, sed etiam, si hoc non suppetat aut sufficiat, Magistratus in mari navigantes adigere potest, ut in civitates annonæ penuriâ laborantes advehant frumentum ibique pro justo pretio vendant; etiamsi ejus in privilegio de jure Stapulæ mentio facta non sit *l.* 1, 2. *Cod. ut nem. lic. in emt. spec. se exc.* Ita Byzantini in pari casu naves frumentarias Atticorum ad se diverti & frumentum venum exponere compulerunt, ut notat Aristoteles 2. *Oeconom. vid. & c.* 3 1. *Iur. Suet. de precef. cur.* Cessante tamen necessitate hoc onus relaxandum est, cum non sit perpetuum sed stante solùm necessitate duret. Alìàs negociatores & navicularii domestici, qui annonæ ultrò serviunt, immunitate quadam gaudent in LL. R. *l.* 5. §. 3, 4, 5, 6. *D. de jure immun.* nec detineri ullo modo, nec exactionem ullam pati debent. *l.* 1. *Cod. de Navicular. & in eam Peck. & Vinn.* Et nostris moribus immunitate à vectigali ad adferendam annonam peregrini allici solent, quando annonæ caritas patriam premit.

XIII. Qui

XIII. Qui verò ad jus Stapulæ adſtringuntur, illis non integrum eſt, ad hoc declinandum novas vias aut eluſiones quærere: ne per indirectum ſequantur, quod directò vetitum eſt. *Nicol. Everard. jun. conſil.* 9. *n.* 82. Qui plura de hac materia deſiderant, conferre poſſunt, quæ de controverſiis Iuris Stapulæ in Albi inter Reges Daniæ, Duces Holſatiæ & Hamburgenſes non ſemel agitatis Thuanus & Chytræus in ſuis Hiſtoriis poſteritati tradiderunt; ut & Acta iſtarum controverſiarum utrinque publicè edita. Item Vbbonem Emmium in deſcriptione Groningæ pag. 45. 46. ſeqq. ubi de Groningenſium & agricolarum controverſia Iuris Stapulæ prolixè agit; & alios qui hanc materiam ex profeſſo tractant. etſi mihi paucos videre contigit.

DE

JOH. LOCCENII DE JURE MARITIMO ET NAVALI
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.
De Navigationis Securitate.

I. Continuatio propositi ordinis.
II. De maris & navigationis incommodis & periculis.
III. Istorum incommodorum metu non esse fugiendam navigationem: cum etiam terrestre iter habeat sua incommoda & pericula.
IV. Periculorum maritimorum remedia, divina & humana.
V. Divina quæ.
VI. Humana triplicia.
VII. Ratione maris, fluminum & portus.
VIII. Ratione domini mercium & vectorum.
IX. Ratione magistri navis & nautarum.
X. Alia quædam specialia remedia & munimenta adversus hostes & prædones maris,

maris, procellæ & naufragii periculum, in sequentia capita remittuntur.

I. POstquam navi fabricatæ & instructæ maris viam quasi aperuimus, & jure navigari ostendimus, nunc quibus modis etiam tuta navigatio præstari possit, exponemus.

II. Quamvis autem magna sint maris & navigationis commoda, magna tamen quoque pericula incommoda & mala circumstant navigantes, metuenda ex procellis, syrtibus, cæcis & latentibus scopulis, hostibus, piratis, aliisque adversis: quæ *maris casus* Tacitus Annal. 15,46,2. vocat; & à Plinio libr. II. Nat. Hist. cap. XLVI. & proœm. lib. XIV. & alibi, Propertio lib. II. eleg. VI. & aliis luculenter descripta sunt.

III. Veruntamen ob adversa non aversanda est navigatio: quum ne quidem in terrâ desint mala, quæ bona comitantur; ob quæ tamen bona non fugimus. Agricola quidam fertur aliquando ex nauta quæsivisse, ubi parens ejus & avus mortem oppetiissent; respondit nauta: vel in navi, vel in mari. Agricola, Cur ergo, inquit, tu

tu navem & mare non reformidas & vitas? Nauta reponens, interrogavit rusticum, ubi ejus majores obiissent, respondit rusticus: Domi & in lecto; cur ergo, inquit nauta, domum & lectum non horres ac refugis? Sic enim se res habet, tam terra, quam mari curæ, pericula ac metus se socios addunt vel invitis. Pulcrè Flaccus lib. II. Od. XIII.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. navita Bosphorum
Pœnus perhorrescit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata.

Idem lib. II. Od. XVI.

Scandit æratas vitiosa naves
Cura, nec turmas equitum relinquit
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Idem repetit lib. III. Od. I. Nonne in terra iter facientes sæpe quasi terrestre quoque naufragium faciunt? dum gravi tempestate suborta in locis solis ac sterilibus, aut infidis arenis in æstate, aut acri hieme, & in viis superatu difficilibus ipsis nivibus obruuntur. Nonne quod in mari piratæ, hoc in terrâ latrones faciunt? præterquam quod bonorum jacturam modò in bello, modò

incer-

incendio, modò alio casu facimus. Petronius Satyrico: *Non sola mortalibus maria hanc fidem præstant. Illum bellantem arma decipiunt: illum diis vota reddentem penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excußit. cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas. Si benè calculum ponas, ubique naufragium est.* Verè ergò Hesiodus lib. I. oper. & dier.

πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Plena est terra malis, & plenum est æquor iisdem.

IV. Vt tamen ista navigationis incommoda vel evitentur, vel minus infesta ac periculosa sint, adversus ea certis se præsidiis munire licet: quæ possunt esse divina & humana.

IV. Præsidia divina, & quidem potissima, sunt Dei providentia & cura, ubique tam in mari quam terra præsens. Quum adquisitio rerum ex commodis maris vel navigatio inter benedictionis divinæ partes referatur. *Gen.* 49. *v.* 13. *Deut.* 33. *v.* 19. *vid. & sup. lib.* 1. *c.* 1. & navis *benedictum lignum* appelletur *Sap.* 14. *v.* 7. non est dubitandum, quin si navigationem rectè instituentes se Deo commendent, Deus illos

 tanquam

tanquam in via sua ambulantes servaturus sit. *vid. Psal.* 107. *v.* 23. *& seqq. v.* 28, 29. *Sap.* 14. *v.* 3, 4, 5, 6. Aut si illis in mari pereundum sit, seria delictorum pœnitudine ducti, & Christi merito nixi, Deo animas suas commendent: atque sic in vocatione sua beatè decedent. Si autem fluctibus obruto non contingat sepultura, non adeò interest periturum corpus terra an fluctus consumant.

Cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Etiamsi verò fiat esca piscium corpus, nihilominus æquè particeps erit resurrectionis mortuorum & cælestis gloriæ in Christo Servatore decedens, atque alterius corpus in terrâ putrescens, vermiumque cibus, de quo divina testimonia omni exceptione majora habemus: *Servat omnia ossa ejus; unum ex illis non frangitur.* Psal. 34. v. 21. Et Apocal. 20. v. 13. *Reddidit mare mortuos, quos habebat.*

VI. Post divina præsidia sunt humana, quæ hominum ingenio atque industria parari possunt; vel contemplatione maris, fluminum, & portuum; vel domini mercium & vectorum; vel magistri navis & nautarum intuitu consideranda.

VII. Con-

VII Contemplatione maris, fluminum & portus præsidia humana ita se pensitanda offerunt: Vt impedimenta maris & fluminum tollantur, & omne id prohibeatur, quo deterior navigatio reddi possit. de quo in *tit. Dig. de Flum. & Ne quid in flum. pub.* Vt flumina, ubi commodè fieri potest, purgentur, retentur & profundiora reddantur, illorum jussu & authoritate, quorum ea de re potestas est. Ne saburra navium in mare aut flumen exoneretur, in fraudem & detrimentum profundi, sed aliò avehatur. quod etiam *jure naut. Hanseatic. art.* 39. cautum est. Vt non solum phari, speculæ & ignes nocturni, ad indicandum portum tutumque accessum, aliaque brevium signa excitentur, sed etiam vasa grandia ad fundum lapidibus & catenis defixa, & supra undas eminentia certis intervallis disponantur; unde profunditas maris exploretur, pulvini, syrtes ac vada evitentur; & ad istorum vasorum metas cursus innoxius dirigatur. E re quoque est, prohiberi naves istis vasibus alligari, ne loco transmoveantur. Iste autem modus vasa in flumine prominentia habendi (quod in transcursu notandum) non semper arguit domi-

 nium

nium in mari aut flumine publico: cum etiam ab illis qui dominium tale sibi non vendicant, usurpari soleat in securitatem navigationis, & libertatem commerciorum illis in tali loco concessam. Ne navibus periculum sit à balenis, ubicunque illis mare est infestum, remedium fertur navigantibus, castoreum dilutum aqua & in mare effusum. Hoc tanquam aconito petitus grex balenarum, totus repente dissipatur & in profundum fertur; uti testatur Zieglerus in Schondiæ descriptione p. m. 485. Magistratus & præsides provinciæ præcaveant ne piscatores noctu lumine ostenso fallant navigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves & qui in eo sunt deducant *l.* 10. *D. de inc. ruin. nauf.* Purgabunt etiam mare piratis, ne navigantes infestent, aut falso lumine ad scopulos & in prædam alliciant. Vtile quoque est, ut qui præcedunt & vela laxant, ignem in summâ navi habeant, ad evitandum incursionis periculum; & navis prætoria, quoties opus est, plura luminum insignia præferat, qua de re in Cap. seq. Vt fragmenta navium aut alia signa isthic, ubi perierunt naves, intacta relinquantur: qui-

bus

bus exitiosa navigantibus loca significentur; quod Regis Arabiæ edicto olim cautum memorat Diodorus Siculus lib. III. Biblioth. Hist. Si non adsit portus naturalis aut satis commodus, ita arte exstruendus est, ut expeditum ac tutum præstet navigantibus accessum. quo nomine laudatur Trajanus Imp. in Arcu ipsius honori Anconæ in portu erecto, uti est in Inscriptionibus Gruteri CCXLVII. 6. his verbis:

IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ. TRAJANO. OPTIMO. AUG. GERM. DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVII. IMP. VIII. COS. VI. PP. PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI. SENATUS. P. Q. R. QUOD. ACCESSUM. ITALIÆ. HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECUNIA. SUA. PORTU. TUTIOREM. NAVIGATIONUM. REDDIDERIT.

Portus etiam ita exſtruendus eſt, ut naves in eo ad anchoras ſtantes tueatur ab tempeſtatibus: ne ſit

Statio male fida carinis;

neve fiat, quod Propertius ait 2, 28.

Cum ſæpe in portu fracta carina natet.

Modum verò exſtruendi tutum portum accuratè deſcribit Vitruvius lib. V. de Architectura cap. XII. Aggeres contra vim aquarum exſtruantur, littora & ripæ muniantur: ut iſthic commeantibus hominibus & adjacentibus oppidis ac urbibus periculum abſit. cujus operis famâ in veteri lapide laudantur M. Aurelius Antoninus, & M. Aurelius Alexander *Inſcript. Grut. CLXIII. conf. tit. D. de rip. mun. & tit. Cod. de alluv.* In portibus & oſtiis fluminum diſponantur ſtationes, excubiæ & naves ſpeculatoriæ: ut hoſtium aut piratarum ingreſſus aut exitus prohibeatur; aliave navium pericula & inſidiæ avertantur. Ita Dido apud Maronem 1. AEn. laboravit

fines cuſtode tueri;

& apud Lucanum lib. IX. Ptolomæus rex AEgypti in ſuis littoribus ſpeculatores conſtituit. Lucanus d. lib. v. 472.

Iam

Iam rapido speculator eques per littora cursu,
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.

Solent etiam apud nonnullas gentes navalia & stationes, in quibus classes, & vires nauticæ adservantur, curiosis populi & peregrinorum oculis, ut olim apud Rhodios (teste Strabone) occlusæ esse: ne res ad hostem aliosque, qui eas ignorare debent, temerè dimanent. Expedit verò plurimùm regno ac reipub. in mari & majoribus fluminibus habere classem armatam etiam tempore pacis, quæ piratas excludat, hostes cohibeat; & suis transitum aut transvectionem mercium & annonæ præbeat; ad exemplum Romanorum, qui in mari supero & infero, in Rheno, Euphrate & Danubio, tales naves armatas & triremes dispositas habuere. *Lips. lib. 1. de magnitud. Rom. cap. V. Anton. AEmil. orat. VII. pag.* 159. 160.

VIII. Dominus mercium operam dabit, ut fidum ac peritum navis magistrum, navemque probè fabricatam & armatam eligat, cui merces suas committat. Ex monito Hesiodi exiguas naves laudet, sed ma-

gnas oneret; non solùm lucri caussa, sed ut merces magis in tuto sint. Non tamen omnem suam substantiam navi imponet, sed plura domi relinquet. Nec omnes merces aut pecuniam uni navi credere sapientis est, sed per plures naves dividere præstat: ut, si una pereat, reliquæ in salvo sint, secundum illud in Gnomologia Gruteri:

Tua omnia uni nunquam navi credito.

Quod desumtum ex illo Comici in Adelph. a. 2. sc. 2. *Potius quam venias in periculum servesne an perdas, totum dividuum face.* Quod de mercibus dictum, multò magis de hominibus accipiendum, ne quis omnem familiam uni navi cum periculo vitæ committat: quæ quò pluris facienda, quam alia fortunæ bona, eò cum majori cura habenda est. quod Antigonus apud Livium lib. XL. cautè monuit suos. *Antigonus*, ait Historicus, *sæva tempestate jactatus, cum in eadem nave secum suos omnes habuisset, præcepisse liberis dicitur, ut & ipsi meminissent, & ita posteris proderent: ne quis cum totâ gente simul in rebus dubiis periclitari auderet.* Vectores cum Antisthene, quantum possint, ea sibi viatica parent, quæ cum naufragio simul enatent. Si ignorantes in piratica

nave.

nave vehendi sint, in tempore, si possint inde clam discedant; aut si hoc non possint, satius est ipsos aurum, quod penes se habent quam vitam perdere. Aristippus cum aliquando navigaret, accepisset que navem, in qua erat, piraticam esse, depromtum aurum numerabat, dein quasi imprudenti & invito lapsum è manibus jactavit in mare, ingemuitque graviter, sic evasit vitæ periculum, postea dixit: *Præstat hoc ab Aristippo perdi, quam Aristippum propter illud.* Vectores nec per se nec per res suas impedimento sint aut remoræ laborantibus nautis, præsertim ubi imminet periculum, quieti silentium nautis sine certamine ad ministeria exequenda præstent; ut Scipio suos milites apud Livium monebat. *vid. quoque art. 18. Iur. marit. Caroli 9.*

IX. Magister navis, cui totius navis cura præcipuè mandata est, præ ceteris adhibere diligentiam & sollicitudinem tenetur rebus quibus præest. inde enim dicitur magister *l. 57. D. de V. S.* Tam sedulam curam navis & mercium in ea gerat oportet, quam diligens solet paterfamilias rerum suarum. Idem peritos rei nauticæ, fideles & industrios ministros conducat: eos bene regat

& curet. Ipse vigilans & sobrius navem ingrediatur, caveatque ne per suorum imprudentiam, fraudes & incuriam, aut per suam temulentiam & negligentiam occasio cuicunque periculo præbeatur. Ex avaritiâ navem non nimis oneret, ne onere ipso deprimatur. Quidque suo & commodo loco reponat; ut, ubi opus fuerit, in promptu sit; nec incommodet navi. Hesiodus lib. 2. op. & dier.

φόρτον δ' εὖ πάντα τίθεσθ.

Bene onus quodcunque locato.

Columella lib. XII. de re rust. cap. 2. *Ubi tempestas incessit, & est rite disposita navis, suo quidque ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, cum est à gubernatore postulatum.* Foros navis puros & liberos ab impedimentis habeant nautæ: ne hæc obstent laborantibus. Ne longius differant navigationem, commodo & minus periculoso tempore navigent: quale est æstivum, cujus beneficio ventorum acerbitas mitigatur. Tempore verò hyemis navigatio sæpe periculosa, semper incerta est, ut dicitur in *l*. 6. *Cod. de offic. rect. prov.* Germanicus Cæsar in Phænom.

Hiems portu fugienda peritis.

Confer

Confer Hesiodum 2. op. & dier. inprimis Vegetium rei milit. lib. 5. cap. 9. de commodo & incommodo navigationis tempore. Si socii itineris Apostoli Pauli, hic ejus consilium sequuti essent, in tantum maris discrimen non venissent *Act. cap. 27.* Ignota maris aut fluminis majoris loca, vel aggestione arenæ vel latentibus saxis infesta, ne quis temerè naviget absque ductore & fundi exploratore. *vid. Polyb. lib. 4. Hist. p. m.* 309. Præsagia tempestatum fideliter observet, ut malum, quod minantur, in tempore, quantum potest, præcaveat ac prævertat. Synesius de insomn. *ἀτέκμαρτα πλεῖ. Inconsideratè navigat, nulla signa observans.* Serenitati cœli & tranquillitati maris ne nimis fidat: eodem die, quo luserunt naves, sorberi possunt. Lucretius lib. 2.

Infidi maris insidias viresque dolumque
Vt vitare velint; neve ullo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.

Ad pyxidem nauticam, tabulas hydrographicas & brevium signa cursum rite dirigant gubernatores, aliaque sedulò faciant nautæ, ad quæ ex fide officii obligantur: ut post Dei opem, navem salvam in portu sistant.

sistant. Naufragio autem imminente, miseris vectoribus scaphâ excipiendis cito succurrant: ut prius periculo subducant homines, deinde bona, quæ possunt, quo nomine ipsis peculiare industriæ præmium debetur.

X. Alia specialia subsidia, ac munimenta adversus hostes & prædones maris, tempestatum & naufragii periculum sunt Societas navalis bellica, piratarum persecutio, jus postliminii, assecuratio, ut vocant aliaque hujusmodi; quæ cum diffusiorem contineant materiam, in sequentibus Capitibus ordine tractabuntur.

Cap. II.
De Societate navali bellica, vel Admiralitate, ut aliàs vocant.

I. Societas navalis, vulgò Admiralitas, hujus etymon.
II. Antiquitas & causæ Societatis navalis.
III. Conductio navium Admiralitatis ad usum belli, vel defensionem adversus hostem.
IV. Collegium Admiralitatis.

V. Ad

V. *Ad quid obligentur socii classis.*
VI. *De ordine inter navigandum, & pugna navali strictim.*
VII. *De detrimento & commodo communi pro rata.*

I. Societas navalis vel bellica vel pacata est. Bellica est, coitio plurium navium armatarum ad vim piratarum & hostium propulsandam, si occurrat. Græcis dicitur συμπλοια, vel ὁμόπλοια, quod conjunctim una classe navigetur. Hodie vulgò dicitur *Admiralitas* ab *Admiralio* vel Thalassiarcha aut maris præfecto, qui præest Collegio Ammiralitatis vel Societatis navalis. *Admiralii* verò vel *Amiralii* nomen ab Arabico *emir*, seu *amira*, quod *dominum* vel *præfectum* signat, deducendum putant. *vid. voss. de vit. serm. 2, 2.*

II. Est antiqua hujusmodi Societas navalis, non heri aut hodie primum inventa. Siquidem jam sua ætate Salomo rex Hebræorum Societatem quandam classicam cum Hiramo Rege Tyriorum inivit de qua inf. lib. III cap. VI. plura. Et dictio illa Græca ὁμόπλοια indicio est, jam olim apud Græcos in usu fuisse, nec apud illos solum

sed

ſed etiam Romanos. cujus rei locupletem teſtem Tullium habemus, qui lib. XVI. ep. I. ad Atticum ita ſcribit: *Dymæos agro pulſos, mare infeſtum habere nil mirum.* loqui eum de Dymæis piratis patet. Mox ſubjungit modum occurrendi illis: *In ὁμοπλοίᾳ Bruti videatur aliquid præſidii eſſe.* Idem epiſt. 4. d. lib. *Hæc navigatio habet quaſdam ſuſpiciones periculi: itaque uti conſtituebam ὁμοπλοίᾳ.* Ex his ſimul liquet, quænam cauſſæ olim fuerint & adhuc ſint hujuſmodi Societatis navalis, nimirum ut adverſus piratas, hoſtes aut alios invaſores naves, negotiatorum tutetur illisque ſecuritatem viæ præſtet; vel etiam rempub. aut portus defendat. idcircò tot armare naves ſolent, quot opus eſſe vident vel magiſtratus loci, vel privati mercatores, authoritate tamen vel permiſſu magiſtratus. inde hæc *Societas bellica* nuncupatur *Grot. de jur. bell. c. p. 2, 12, 4.* à qua differt Societas navalis pacata, de qua inf. §. VII. & lib. III. cap. VI.

III. Aliquando naves à Collegio Ammiralitatis conducere ſolent extranei bellum navale gerentes, & ſibi adjungere ad firmandum vires, ac defenſionem adverſus hoſtes; & quidem ſuis ſumtibus ac con-

venta

venta mercede, quam jura permittunt *arg. l. 9. §. 1. D. quod met. cauſ.*

IV. Collegium verò Ammiralitatis, quale etiam in hoc Regno luculenter conſtitutum eſt, authoritate publicâ tractat negotia, quæ ad claſſis publicæ exſtructionem, armaturam & expeditionem ſpectant; una cum Navalium & portuum munitione & conſervatione. Habet idem ſuum forum ac tribunal peculiare, quo res ad juſtitiam & diſciplinam navalem facientes devolvuntur.

V. A collegio Societatis navalis emiſſi navium ſocii obligantur vel patriæ ſuæ, vel communi cauſſæ ad fidam & ſtabilem conjunctionem, auxilium & defenſionem tam munitarum quam non munitarum navium, ſive hoſte, ſive pirata, aut alio fatali caſu ac periculo ingruente; idque ex fide juramenti & conſcientiæ ſuæ. Separantes ſe à Societate claſſis bellicæ ante tempus, aut in ipſo rerum diſcrimine, vel arbitrariam, vel corporalem pœnam pro delicti conditione, ex vigore diſciplinæ militaris ſubire ſolent.

VI. Quomodo verò ordines inter navigandum à prætoria & proprætoria navi, reliquaque

liquaque classe sint observandi, qua ratione peculiari vexilli erectione aut velorum adductione, aut tormenti explosione, aut nocturno insigni plurium luminum, quando imminet hostis, vel ignota classis, vel tempestas oritur aut nebula, signum ad præcavendum periculum dari debeat, & quæ alia huc spectant, hæc certis articulis exprimi solent, quales etiam in Archivo Admiralitatis hujus regni adservantur. *vide quoque edicta Ordinum Holland. anno* 1644. *edita, quæ sua lingua* Placcaten *vocant tom.* 1. *pag.* 323. *& seqq. &* 429. 430. Item quomodo in pugna navali acies instruenda sit, venti commodum hosti intercipiendum aut inutile reddendum, hostilès naves adoriendæ, aut insidiis circumveniendæ, præda cautè agenda, aliaque hujusmodi ad artem aut disciplinam militiæ navalis spectantia, aliis ex professo hæc tractantibus, ipsique experientiæ relinquo.

VII. Quamvis in societate navium pacata vel negociatoria, ubi confertur pecunia cum pecunia, lucrum & damnum sit commune, tamen hoc non ita observatur in societate navali bellica, sed legibus & pactis differt. In societate navali adver-

sus piratas utilitas communis est ipsa defensio, interdum & præda pro rata. Moris etiam est æstimari naves & merces in illis, atque ex his summam confici: ut damna quæ eveniunt, & vulneratorum impendia ferantur à dominis navium & mercium, pro parte quam habent singuli in ea summa. quod juri naturæ consentaneum est. *Grot. de jur. bell. e. p. 2, 12, 25. arg. L L. VVisigothor. lib. V. tit. 5. c. 5. Ordinat. de Admiral. in constit. & privil. Amsterod. p. 450. Edicta Ordin. Holl. tom. 1. pag. 323.*

Cap. III.
De Piratis.

I. Piratas esse publicos hostes. quatenus à privatis invadi possint, aut aliis superiorem agnoscentibus.

II. Persecutio piratarum in alieno territorio quousque licita.

III. Capti ab illis retinent suam libertatem. Non debent esse pignori redimentibus eos à piratis. quod cum limitatione accipitur.

IV. Datum alicui liberationis sui à piratis causâ irrevocabile est. *V. Num*

V. Num Magistratus loci ex damno à piratis dato teneatur.

VI. Contrahens cum prædone in quantum obligetur.

VII. Num piratis fides publica debeatur, num illis jurata fides servanda sit.

VIII. Inter prædones communi dividundo judicium locum non habere. Rapta ab illis bona ubicunque reperta, vindicari posse.

IX. Pœna piratarum, & receptatorum.

I. CVm in præcedenti Capite dictum sit, societatem navalem adversus piratas coiri, de Piratis quæ in jure occurrunt & nostri sunt instituti, in hunc locum rejicere placuit. Licet autem olim rudi seculo & inter barbaros prædari, virtutis militaris ab otiosis exercendæ materia quædam, & maris gloria sit habita, tamen scimus prædones maris ipso jure diffidatos esse, ut loquuntur, i. e. quibus feida vel bellum indictum est, *Vinn. ad Peck. de LL. Nautic. p.* 370. quia sunt publicæ fidei & juris gentium violatores, & tanquam hostes publici, ob insignem illam malitiam quam exercent in mari in deprædandis alienis navibus, & tollenda libertate navigationis

gationis

gationis & commerciorum. Vnde etiam à privatis invadi possunt & apprehendi propria authoritate. *vid. Ius Svetic. c.47. de viol. jur. Reg. LL. prov. c. 24. jur. civit.* salvâ tamen Magistratui loci jurisdictione criminali & instructione de modo persequendi piratas. Ita Cæsar privatus adhuc piratas, à quibus captus fuerat, classe tumultuaria persecutus est, ipsorumque naves partim in fugam conjecit, partim mersit; & cum Proconsul neglexisset in eos animadvertere, ipse in mare reversus eos cruci suffixit. Sed hoc eo forte referri posse putat Grotius lib. 2. de jur. b. e. p. cap. 20. §. 8. ubi judicia nulla sunt, ut in mari. Satius tamen est navigantes instrui mandatis à publica potestate ad persequendos piratas, quoscunque in mari deprehenderint, & proximo judicio sisti: ut data occasione uti possint, non quasi ausu proprio, sed ut publicè jussi. *Grot. d. loc.* §. 14. Civitatibus tamen superiorem agnoscentibus jus persequendi piratas in fluminibus publicis illas alluentibus & puniendi à suprema potestate, tuendæ liberæ navigationis & commerciorum causa, concedi posse & concessum fuisse, experientiæ fide comprobatur.

11. Pira-

II. Piratarum, quos Magistratus per suos in suo territorio cœpit persequi, continuare persecutionem potest etiam in alieno territorio, ibique eos comprehendere: ita tamen ut ibi judicio sistantur, nec in propriam jurisdictionem, nisi cum istius loci Magistratus consensu, deducantur, *l.* 1. *C. ubi quis de curiali c.* 1. §. *si judex de pac. ten. Gail lib.* 1. *de Pace pub. c.* 16. *n.* 25 *seqq. Id. c.* 9. *de Arrest. imp. n.* 12. *VVehner in Pract. observ. verb.* Freybeutter.

III. A piratis capti, liberi manent, nec jure fiunt capientium servi *l.* 19. §. 2. *D. de captiv. & postl. rev.* Nec redemtus à piratis debet esse pignori redimenti eum. Liberi enim hominis obligatio non eo valet, ut jus pignoris in eo constituatur, velut in his quæ quis de bonis suis obnoxia facit *l.* 6. *C. quæ res pign. ob. l.* 12. *C. de obl. & act.* In causam tamen pignoris detineri potest, donec solvat pretium; licet ista detentio eum in servitutem non detrudat *l.* 3. §. 3. *D. de hom. lib. exh. l.* 20. §. 1. *qui test. f. p. l.* 2. *C. de postl. rev.* Itaque redemtus omninò obligatur aut datum pro se pretium redemtori, si potest, statim restituere, aut idoneè pro se cavere, aut, si ita velit redemtor, laboris

obsequio

obſequio vicem illi referre; incolumi tamen ipſius libertate & jure poſtliminii. *l. ult. C. de poſtlim.* Sed & unus pro uno aut pluribus captis ea conditione mitti poteſt, ut pecuniam pro ſe & reliquis adferat, & niſi redeat, ut retenti pro eo ſolvant, in quem magiſtratus judicium, ubicunque conveniri poterit, reddet. *l. 21. D. de neg. geſt.*

IV. Si quis aliquem â piratis eripuit, & aliquid eo nomine ab ipſo accepit, hæc donatio eſt irrevocabilis; ſi tamen donatio, non merces eximii laboris appellanda eſt; quod contemplatione ſalutis certo modo æſtimari non placuit. *Paul. V. Sent.* 11. §. 6. *& Vlpian. l.* 34. §. 1. *D. de donat. & ibi Gothofred. in Not.*

V. Num ex piratarum in mari paſſim graſſantium, aut publicè in hoſtes emiſſorum facto, ob prædas in amicos, ſocios aut eos qui neutrarum ſunt partium actas, Magiſtratus loci teneatur? eſt quæſtio juris pub. aut gentium, & ventilatione digna. Certis modis eos vel extra bellum vel in bello teneri certum eſt, quidquid etiam coloris vel excuſationis hîc quidam obtendant; ſi nimirum non fecerint, quæ jure gentium debeant, nec adhibuerint, quæ poſſunt.

ſunt, ad eos prohibendos. Cum Romani (apud Polybium lib. 2.) per Legatos de injuriis Illyriorum apud Reginam eorum Teutam expoſtulaſſent, & piraticam in Italos ab illis exercitam impoſterum prohiberi deſideraſſent, reſponſum acceperunt à Regina, *curæ ſibi fore, ne qua Romano populo publicè ab Illyriis fieret injuria; cæterum ut impediat, quo minus privatim quam poteſt quiſque utilitatem è mari capiat, hoc verò Regibus nequaquam in more eſſe.* Verum quid ex hoc Reginæ reſponſo aliud colligas, quam eam ſuis etiam extra belli neceſſitatem prædandi licentiam conceſſiſſe? & hoc morem regium ſcilicet vocat. Si rectius ſentire voluiſſet, ſatis ſcire potuiſſet, hoc verè regium eſſe, quibuscunque poſſis benefacere, & non ſolum à ſuis, ſed etiam peregrinis vim & injuriam prohibere, debitaque ſeveritate plectere. qui verò ſcit & prohibere poteſt, nec prohibet, ipſe quoque in culpa eſt. Vnde Grotius ait de hoc facto lib. 2. de jur. b. e. p. c. 21. *Teucæ Reginæ Illyriorum non accipitur excuſatio, quod diceret non à ſe, ſed à ſubditis piraticam exerceri: neque enim prohibebat.* vid. & Alb. Gentil. lib. 1. de jur. bell. c. 21. *Injuſtitiæ*

eſſe,

esse, non solum si ipse inferas injuriam, sed etiam si ab iis quibus infertur, non propulses, si possis, Cicero 1. Offic. docet. Et 3. Off. *Sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertinet, quam alteri adquirere, concessum esse non repugnante natura. Illud verò naturam non pati, ut aliorum spoliis nostras facultates & opes augeamus. Neque verò hoc solum natura, sed & legibus populorum ita constitutum esse, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri.* Sed & si belli maritimi necessitas incumbat, præstat delectis domesticis, aut militibus nauticis mercenariis, qui sub duce & disciplina degant, aut sociorum ope, quam colluvie pessimorum hominum piratis adversus hostes uti, qui licentiam spoliandi nacti, facile præscriptos mandati fines excedunt: ut ne quidem amicis, aut aliis, à quibus vel ipsi vel eorum patroni nunquam læsi sunt, parcant. quod ipsa re compertum, cum quædam Vandalicæ civitates, aliis molitionibus ad liberandum custodia Margaretæ Reginæ Albertum Regem quondam Suediæ frustra adhibitis, coëgissent copias piratarum ad deprædandum in mari Suedos, Danos & Norvegos, & portus ipsis ad distrahendam prædam pa-

tefecissent, id non solum magnæ apud vicinos invidiæ; sed & maximo iisdem aliisque detrimento fuit: dum effreni ista licentia tandem in quosvis promiscuè navigantes usi sunt piratæ. adeò ut necesse esset vim illam una cum ipsis authoribus è mari Balthico junctis regnorum & maritimarum civitatum viribus profligari. Ex neglectu ergo tenentur magistratus, si, dum pro onere tuendi maris vectigal accipiunt, suas naves præsidiarias & excursorias ad explorandam maris securitatem, ad purgandum illud à piratis in mari non habeant; aut siipsi piratas adversus hostes emiserint, ad coercendum eorum contra socios & amicos licentiam non ea adhibeant, quæ possunt ac debent remedia: quo nomine damnati sunt olim ab Amphictyonibus Scyrii. Quæsitum aliquando ex facto est apud Belgas, cum Ordinis potestatem prædarum in mari ex hoste agendarum per codicillos plurimis dedissent, & eorum non-
„ nulli res amicorum rapuissent, desertaque
„ patria mari vagarentur, ac ne revocati
„ quidem domum redirent, an rectores
„ eo nomine tenerentur: aut quod malo-
„ rum hominum usi essent opera, aut quod
„ cau-

cautionem non exegissent. Responsum "
est, eos in nihil amplius teneri, quam ut "
noxios, si reperiri possent, punirent aut "
dederent: præterea in bona raptorum jus "
reddi curarent. Nam ipsos injustæ præ "
dationis causam non fuisse, nec quicquam "
de ea participasse: prohibuisse etiam le- "
gibus, ne amicis noceretur. Cautionem "
ut exigerent, nullo jure fuisse obligatos, "
cum possent etiam sine codicillis omni- "
bus subditis hostem spoliandi potestatem "
facere; quod & factum olim esset: neque "
talem permissionem causam esse cur da- "
mnum datum esset sociis, cum possent "
privati etiam sine permissu tali naves ar- "
mare & in mare progredi. Mali verò an "
futuri illi essent, provideri non potuis- "
se: neque verò vitari posse, quominus "
& malorum opera utamur, alioqui nul- "
lum colligi posse exercitum. Neque verò "
si quid milites aut terrestres, aut nautici "
contra imperium amicis nocuissent, re- "
ges teneri. quod Galliæ & Angliæ testi- "
moniis probatum. Vt verò sine culpa sua "
ex ministrorum facto quisquam teneatur, "
non esse juris gentium, ex quo dijudican- "
da esset hæc controversia, sed juris civilis, "

 nec

„ nec generalis, sed adversus nautas & alios „ quosdam ex rationibus peculiaribus in„ troductum. In hanc partem & his argumentis à supremi auditorii judicibus contra Pomeranos quosdam pronuntiatum est; ad exemplum rerum in causa non dispari ante duo secula judicatarum. *Grot. de jur. bell. c. p. 2, 17, 20.* Sic, cum Gallicus apud Reginam Angliæ Legatus conquestus esset, Montgomerium Anglorum auxiliis contra fœdus ad Rupellam navigationem suscepisse: & mercatores Anglos Rupellanis obsessis rem annonariam subministrasse; respondit Regina, se fidem fœdere in„ terpositam sancte servare & servaturam. „ auxiliares illos piratas esse & extorres; in„ jussu suo solvisse; signa ementita prætu„ lisse, atque ut in eos animadvertere„ tur, se peroptare; apud *Camdenum ad annum* 1573. Si verò quorundam subditorum piraticam exercentium ita perpetuum sit maleficium ac juri naturæ contrarium, ut, quod faciunt, credantur facere omninò magistratu suo improbante, & in eos judicium postulari non possit, ab illis res recuperare & ultionem exposcere licebit tanquam à deditis, At alios innocentes

co

eo nomine armis impetere, est contra pacem. *Grotius de jure belli & pacis 3, 20, 32.*

VI. Si vecturas navium alienarum, quas prædo, tanquam putativus dominus, ut loquuntur, locavit aut exercuit, à conductore acceperit, aut eo nomine quid ei solutum sit, hoc quidem conductorem, qui cum eo bona fide contraxit, liberat; nisi sciens prædonem esse ei solverit, tunc enim ipsi domino obligatur. Si verò contrahens cum ipso domino vel ejus servo, prædoni solvat, non liberatur. *l. 55. D. de condict. indeb. arg. l. 8 8. D. de solut. & ad utrumque legem Gothofr.* Item prædoni commodati & depositi actionem jure gentium competere statuit jus R. si dominus non appareat *l. 64. D. de judic. l. 16. commod. l. 1. §. 39 l. 31. §. 1. D. depos.*

VII. Sed dubium esse potest, num piratis jurata fides servanda sit: quia *piratæ sublatis commerciis rumpunt fœdus generis humani*, ut de illis loquitur Florus 3, 6. Et ut Tullius 3. Offic. monet; *Pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum eo fides esse non debet, nec jusjurandum commune.* Si quid ergo metu ex-

G 3 presse-

presserint, repeti potest. Verum quidem est, non eam specialem juris communionem cum pirata esse, quæ jure gentium in solenni & pleno bello cum hoste est: ne ex scelere lucrum capiat; & *Absurdum est prædones securos esse*, ait lex 13. de noxal. act. Confer Tacitum Annal. 3, 73, 3. hinc etiam piratæ jus legationis non habent, nisi illud fide data nanciscantur. *Grot. de jur. b. e. p.* 2, 18, 2. *Paschal. Legati c.* 12. Attamē quia homines sunt, dicuntur habere communionē juris naturæ. Inprimis si fidei datæ juramenti quoque religio accesserit, ea non solum hominem homini, sed ipsi Deo obligat: contra quem metus exceptio non est, ut contra hominem. Promissum ergo juratum in re permissa servandum est, vel ideò, quod affirmatio religiosa est, quæ nulla elusione temerari debet. Glyco apud Senecam controv. VI. Ὅρκος ἐστὶ πίστωμα καὶ παρὰ πειράταις τηρούμενον. *Iusjurandum est firmamentum etiam apud piratas ratum manens.* Tullius d. lib. *quod affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum est.* Et in c. si vero 8. de jurejur. dicitur: *Non nos alicui dare materiam volumus veniendi contra proprium juramen-*

juramentum, ne autores perjurii videamur. Anton. Fernand. in Theol. moral. p. 35. *Qui latroni* (Piratæ) *minitanti mortem promisit cum juramento centum* (*quod facere secundum se nullum est peccatum*) *tenetur sub juramento promissum implere.* Sed adi Grotium hæc accuratè & fusè exsequentem *in de jure bell. & pac. lib. 2. c. 13. §. 15. & lib. 2. c. 17. §. 19. & lib. 3. c. 19. §. 2. 3. 4. 5. c. 21. §. 19. c. 23. §. 2.*

VIII. Vtut prædones rapta æqualiter dividant, tamen inter eos communi dividundo judicium locum habere negatur in jure R. *l. 7. §. 4. D. comm. div.* nec si precario possideant, nec clam: injusta enim est possessio. precaria verò justa quidem, sed quæ non pergat ad judicii vigorem. Quin & bona piratarum naufraga impune subripere transmisit Frid. Imp. *l. 18. C. de furt.* ubi tamen authoritatem & dispensationem superiorum intervenire satius est: ne alia pro aliis forte surripiantur. Res autem à piratis raptæ, ubicunque repertæ vindicari possunt à vero domino. *vid. cap. seq. 4. §. 4.* aut si is, qui piratis iterum eripuit, probare possit, sibi ejus rei dominium justo titulo ante adquisitum esse. Ei tamen

qui

qui suo sumptu possessionem rei alienæ adeptus est, tantum ex naturali æquitate est rependendum, quantum dominus ipse ad rem recuperandam libenter impensurus erat. Ipsa enim facti possessio, præsertim recuperatu difficilis, est aliquid æstimabile, & in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior. *Grot. de. jur. b. c. p.* 2, 10, 9, *&* 3, 9, 16. Quamvis hæc lege civili aut statutis populorum pactisque aliquantum varient. *Grot. d. loc.* §. 17. *& in Not.* ubi LL. Hispanicas & Venetas in hanc rem ad testimonium citat. *vid. quoque Ius Lub. lib. 6. t. 4. a. 2. & tit.* 5. Hujusmodi tamen leges non obstant exteris, quo minus res suas vindicent. Hoc etiam est utile institutum, ut piratis ad portum aliquem appellentibus non permittatur istic vendere bona spoliatorum, nec aliis emere, sed nave & bonis istis sub arresto & tuta custodia positis reserventur rapta in utilitatem læsorum & aliorum quorum interest, illis restituenda, si sufficientibus documentis, vel in eorum defectu jurata assertione probent esse sua. *vid. pact. commerc. inter Henr. R. Angl. & Philippum Burg. cap.* 16.

IX. Piratæ capti & damnati, ultimo suppli-

supplicio solent affici, eorumque bona publicari. etiam jure Suetico c. 24. de viol. juram reg. in LL. civit. & c. 42 LL. prov. eod. quam *generalem consuetudinem* Peckius ad l. 10. D. de inc. r. n. n. 3. vocat. Nec aliud meruerunt publicæ fidei violatores, & innocentium sanguinis ac fortunarum prædones. Si tamen ita invaluerint, ut formidabiles se fecerint, rectè recipi ac defendi, pœnam quod attinet, censet Grotius de jur. b. c. p. 2, 21, 6. quia intersit humani generis, ut si aliter non possint, impunitatis fiducia à maleficiis devocentur. Sed aliud dicendum erit, si armis debellari possint vel ab illis, in quorum ditione grassantur; vel cum vicinorum Principum auxilio. Nec piratæ solùm, sed & receptatores eorum capitis pœna obligantur. *arg. l. 3. §. 3. D. de inc. ruin. nauf. c. 42. de viol. jur. reg. LL. prov. Sued.* Pessimum enim genus hominum sunt receptatores, sine quibus diu nemo latere potest. Atque si apprehendere possint prædones istos, & tamen pecunia vel subreptorum parte ab illis accepta eos dimittant, meritò severiori pœna digni sunt *arg. l. 1. de recept. l. 1 C. de his qui latr. vel al. cr. r. o.* Quin & eo

nomine urbes aliaque loca bello impetita & expugnata constat. Iulinum in Pomerania, olim piratarum quoque receptaculum, VValdemarus rex Daniæ expugnavit & solo æquavit. Hamburgenses agri Hadeleriani partem Septemtrionalem, in qua Ritzbuttela arx, præfecti sedes, sita est, juxta Albis ostium, ante ducentos amplius annos, inferioris Saxoniæ Ducibus armis ea occasione extorserunt, qudo piraticam factitantes isthic foverent; ut refert Vbbo Emmius lib. 2. rer. Frisic.

CAP. IV.

De jure postliminii navium.

I. Vnde Postliminium dicatur.

II. Quid illud sit.

III. Num adhuc sit in usu.

IV. Quæ naves aut res non habeant jus postliminii.

V. Quæ habeant.

VI. VII. VIII. IX. X. Navis tempestate in communis amici portum acta, num habeat jus postliminii, si eam hostis cui ademta est, postea repetitum veniat à communi amico.

XI. Num res in hostium navibus repertæ censenda,

senda sint hostiles, & capientium fiant. ut & res hostiles cum amicorum navibus.

I. SI verò naves nostræ à piratis, aut hostibus captæ sint, ut possunt, *l. 2. & 5. ff. de captiv. & postl. rev.* num jus postliminii habeant, è re est disquirere. Postliminium ita dictum est quasi postilimen, ἐπάνοδος. *Scalig. ad Festum in Postliminium*; vel à *post* & *limine*, quod sit reditus in pristinum limen aut fines suos. Vnde eum qui ab hostibus captus est, & in fines publicos postea pervenit, postliminio reversum recte dicimus. §. 5. *Inst. quib. mod. jus. pat. pot. solv. & Grot. de jur. b. e. p. lib. 3. c. 9. §. 1. 2.* ubi de vocis origine plura.

II. Postliminium ita describit Paulus IC. in *l. 19. D. de capt. & post. rev.* Postliminium est jus amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in pristinum statum restituendæ, inter nos ac liberos populos regesque, moribus legibusque constitutum. Nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum, hoc si recuperemus, dicimur postliminio recipere. Inque naturali æquitate introductum est, ut, qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines suos aut

nostros rediisset, pristinum jus reciperet. Pomponius quoque in *l.* 5. *D. eod.* Postliminii jus competere ostendit aut in bello aut in pace. Et aliquem postliminio reversum, si aut ad amicos nostros perveniat, aut intra præsidia nostra esse cœperit. Illud ex paritate rationis consensu gentium receptum est. *Grot. dicto loco* §. 2.

III. Etsi de mobilibus (inter quæ etiam refertur navis *l.* 20. §. 4. *D. quod vi aut clam*) generalis est regula, ut postliminio non redeant, sed in præda sint, tamen ab hac regula olim excepta fuere quæ in bello usum habent: ut recuperandi spe homines ad ea alacriores redderentur. *Grot. d. loc.* §. 14. Hujusmodi sunt naves longæ & onerariæ: non verò piscatoriæ, actuariæ & aliæ naves voluptatis caussa paratæ. *Cic. in Topic. Ael. Gallus apud Festum in Postliminium, Marcellus in l.* 2. *D. de captiv. e. p. r.* non arma, nec vestes *l.* 2. §. 2. *&* *l.* 3. *de captiv.* Salmasius tamen in observat. ad Ius Attic. & Rom. pag. 740. etiam lusorias naves, sed ad belli usum paratas hoc jus habere notat. Sed scire refert, num illud jus postliminii, quale apud veteres erat, adhuc in usu sit. Equidem Grotius dicto loco §. 15. *&* 19. hoc jus

jus hodie inter Christianos evanuisse notat, sublata ejus necessitate ob restitutam vim ejus cognationis quam natura inter homines esse voluit. Nisi quod locum habere possit, si res sit cum gente tam barbara, ut sine indictione belli aut justa causa omnes externos & res eorum hostiliter tractare pro jure habeat.

IV. Hodie naves ab hoste captæ, communi inter Christianos & Europæos populos sive jure sive consuetudine, postliminio non recipiuntur, si hostis eas non eodem die navali pugna iterum amiserit, sed per viginti quatuor horas in potestate victoris fuerint. Tunc enim verè captæ & proprii juris factæ censentur. *Grot. de jur. b. e. p.* 3. 6, 3. *Cuneus in causa postliminii p.m.* 265. 267. 273. 274. *Graef Iur. pub. c.* 4. *n.* 25. Ea quæ piratæ nobis eripuerunt, non opus habent postliminio: quia jus gentium illis non concedit, ut jus dominii mutare possint *arg. l.* 24. *l.* 27. *D. de captiv. & post. r.* quo innixi Athenienses Halonesum quam ipsis prædones, prædonibus Philippus eripuerat, ut *redditam* à Philippo, non ut *donatam* volebant accipere. Sic emendandum apud Grotium in mea edit. de jur.

b. e.

b. c, 3, 9, 16. pro *redditas*, & *donatas*, ut facile liquet.

V. Si verò tales sint res, quæ aut se ipsas ingenio aut fuga aliave arte hosti subduxerint, aut virtute & vi militum nostrorum hostibus pulsis superatisve ereptæ iterum sint, aut ab hoste redemtæ, aut gratis dimissæ, si mox intra fines aut præsidia propria esse cœperint, aut si ad regem socium amicumve devenerint, non solum quoad personas, sed etiam ex paritate rationis, quoad res captas postliminio idoneas, statim postliminio rediisse videntur *l.* 5. §. 1. *l.* 19. §. 3. *l.* 26. *D. de capt. & postl. rev. Cunæus in causa postlim. p. m.* 248. 249. *& seqq.* Idem p. 256. hoc commune jus gentium esse ait.

VI. Sed quid si navis mercibus onusta hosti jure belli ademta & occupata, adversis ventis aut tempestate per plures dies nullo hoste insequente provecta aut commeatu post longam navigationem indigens in communis amici portum devenerit, num repetens jus postliminii habebit, vel num licebit repetenti eam navem cum mercibus in territorio communis amici recipere, an verò occupantis erit & manebit? Posteriorem sententiam, quæ juri gentium

gentium & consuetudini convenientior, præ priori amplectendam arbitramur. Illam cum solidis rationibus & prolixè defenderit Cl. Cunæus in peculiari Dissertatione de causa postliminii, pro Genuensibus contra Turcas, quanta possum brevitate contraham, & quod ad præsens institutum apprime faciat, cum nonnullis à me observatis hic apponam. Rationes autem præcipuæ hæ sunt: qui vi tempestatis repulsus fines proprios attingere nequit, si cum præda ab hoste capta ad regem aut rempub. sociam aut amicum confugerit, apud eundem tutum receptum habebit. Vt enim victor intra propria præsidia tutus est ita si amici fidem elegerit, & in ejus præsidia se & sua contulerit, etiam illic publico nomine tutus erit *arg. l. 19. §. 3. de capt. & postl. r.* Is verò cui res illæ jure belli ademtæ sunt, frustra eas in communis amici territorio repetitum venit. quod enim belli sors occupanti dedit, in pacato loco apud communem amicum meritò sibi servabit; nisi aliter pactis conventum sit: ut quod alter bellantium ab altero captum in portum communis amici deduxerit, in eo postliminii jus sit. ut factum est in secundo

cundo fœdere quod inter Romanos & Carthaginenses ictum refert Polybus lib. 3. his verbis: *Si qui Carthaginensium aliquos ceperint, queîscum fœdere scripto juncti sint Romani; qui tamen sub Romanorum imperio non erunt; hos in populi Romani portus ne deducunto.* Carthaginiensibus & eorum amicis par jus fore, ibidem additur.

VII. Qui verò nullo hujusmodi pacti vinculo obligatus ad communis amici, cui pax cum utraque parte est, portum pervenit, ex publica caussa tutus est. Et serum est atque inutile, hostem tentare in alieno territorio vi suum alteri adimere; aut cum communi amico agere, ut sibi restituat. Nihil enim hostile aut violentum vel ipse molietur, vel alterum agitare intra suos fines contra alterum patietur, quem fide publica in portum suum admisit. Dux Carthaginensium abstinuit manum à Scipione in Syphacis portu, apud Livium lib. 28. Nec Syphax quicquam alterutri, quod captum ante ab altero esset, ademisse & alteri restituisse dicitur. quippe hostilem actum ab extraneo exerceri in alieno portu & quidem communis amici, pugnat contra reverentiam, quæ portui alieno debetur,

betur, & communis amicitiæ respectum. Amicum verò ab justo hoste captum alteri auferre, ut alteri adjiciat, quid aliud erit, quam effectum rerum extra territorium suum utiliter ab amico gestarum, in territorio suo rescindere & inutilem reddere: & uni nocere, ut alteri prosit? cum tamen utriusque partis amico jus utrique integrum relinquere fas sit. Et cum Princeps non solùm tanquam publicus hic fidejussor sit, ut securè tutòque in ejus territorio vivatur, sed etiam violentiæ ultor adversus quoscunque, præstetque publicam apud se securitatem omnibus, non sinet fœderatorum alteri vim fieri ab altero: multo minus ipse alterius fœderati gratia vim faciet alteri: ne inde injuriarum occasio nascatur, unde remedia nascuntur *l. meminerint Cod. unde vi.* Et cum in portu communis amici utrique hosti tuta debeat esse statio, non videtur ea esse tuta, in qua alteri adimitur, quod jure belli in mari captum possidet. *Cun. d. loc. p.* 258. 259. 260. 261. ubi hoc firmat rebus judicatis Gallorum & Hollandorum, in paribus caussis, ex communi jure gentium & civili decisis.

VIII. Sed

VIII. Sed adferuntur argumenta in contrariam sententiam. 1. ab hostium capta non prius fieri capientium, quam intra præsidia deducta sint *l. postliminii* §. 1. *de captiv. Grot. de jur. bell. e. p.* 3. 6. 3. & 3. 9. 16. *Alb. Gentil. advocat. Hisp. lib.* 1. *c.* 1. 2. 6. 7. At respondetur, istam legem *postliminii* loqui solùm de captis civibus eorumque servitute, secundum jus vetus recepta, non vero de cæteris rebus in bello captis, quæ jure gentium fiunt capientium per solam possessionis apprehensionem *l.* 5. §. 7. *l.* 51. §. 1. *de adq. rer. dom. l.* 1. §. 1. *de adq. vel am. poss.* quæ Cunæus in causa postliminii fuse & accurate deducit pag. m. 268. & seqq. Nec obstat, quod Cunæus alibi non solum res captas sed & personas, ex paritate rationis huc refert. p. m. 249. Nam tales intelligit, quæ postliminio recipi possint. quod non semel in suo Responso de causa postlim. adserit, p. 248. 249. 250. Quidquid vero clarissimi interpretes disputent de prædâ prius in præsidia deducendâ, quam fiat possidentis, aliud tamen consuetùdine & moribus Europæorum hodie observatur, ut nimirum præda capientium fiat, & præsertim naves hostium, de quibus

bus hic sermo est, si à victore per diem & noctem possessæ fuerint, ut sup. h, cap. §. IV. dictum est, idque vel constitutionibus vel usu Hispanorum, Gallorum, Hollandorum aliorumque navigationes exercentium ita receptum est.

IX. Objicitur 2. quod exutus nave & mercibus hostis, tamen animum eas in continenti recuperandi retinuisse præsumatur: atque sic adhuc in possessione sit, si non quoad corpus, tamen affectionem *l.* 3. §. 6. *l.* 8. *D. de adq. vel amitt. poss.* Sed ad hoc reponitur: Si quis vi & armis possessione dejectus sit, is utique eam amisit *d. l.* 3. §. 9. Præterea si quis statim animo recuperandæ prædæ hostem insecutus sit, & ita fugientis vestigia presserit, ut is, ubi iterum de præda jam jamque dimicandum cernit, in portum regis amici se recipiat; eo casu conflictus perdurasse, & animus possessionis in continenti recuperandæ adesse præsumitur; non vero, si quis nullo hoste insequente per dies plures prædam possederit, & intra amici portum deduxerit. *Cun. p.* 253.

X. Objicitur 3. Non licere res hostiles captas per alienum territorium ducere. *Alb. Gentil. lib.* 1. *Hisp. adv. c.* 6. *&* *lib.* 2. *de*

jur.

jur.belli c.22. quia mutato territorio, mutatur potestas: & ibi locum habet postliminium *l.5.* §.1.2. *D.de capt. & postl.rev. vid. & Besold.de jure territ. c.* 3.*n.* 4. Attamen mutato territorio, non mutatur fides & securitas publica, cujus causa, ceteris paribus, ubique favorabilis est. Et quousque postliminium hodie sit in usu, jam sup. §.3.4.5. dictum est. Sed utut sit, hoc tamen eo produci non potest, ut ob tempestatis causam & ex alia necessitate quis, cum præda justis armis in mari capta, in portu amici ad anchoras stare prohibeatur. quod tamen jus gentium permittit, & ex alterna humanitate proficiscitur, & inter innoxias utilitates est, quæ utenti commodæ, concedenti non molestæ sunt *l.* 1.§.11. *de aq. pluv. Cunæus d.resp.*277.278.279.

XI. Vt hoc quoque, quamvis adeò directe huc non pertineat, addam, tamen ex occasione huius capitis, inprimis §. 1. & 8. ubi de navibus & rebus ab hoste captis agitur: res in hostium navibus repertæ præsumuntur esse hostiles, donec contrarium probetur. Si verò probetur non esse hostiles, capientium non fiunt, etsi apud hostes inventæ: præsertim si domini ho-

stium

ſtium non ſint ſubditi, nec hoſtilis animi. Si verò hoſtis in illis rebus jus aliquod habeat quod poſſeſſioni connectatur, ut pignoris, ſervitutis, retentionis, occupantibus adquiri poſſunt *Grot. de jur. b. e. p. lib.* 3. *c.* 6. §. 5, 6. 26. Sed nec amicorum naves in prædam veniunt ob res in illis hoſtiles; niſi ex conſenſu dominorum navis id factum ſit *arg l. Cotem. D. de publican. Zuar. de uſu mar. conſ.* 2. *n.* 6. alioqui res ipſæ ſolæ, non naves, in prædam veniunt. *Grot. in Not. ad d. loc.* §. 6.

Cap. V.

De Averſione periculi, vulgò Adſecuratione.

I. Vocum excuſſio.
II. Veteribus non planè ignotum fuiſſe hunc contractum. hodie notiorem eſſe.
III. Num ſit licitus. & qualis.
IV. Definitio ejus.
V. Quid nomine periculi hîc veniat.
VI. VII. VIII. Forma adſecurationis. Abſque dolo ſit.

IX.

IX. Quando incipiat & desinat Assecuratio.
X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Quid & quantum hic utrinque præstandum, vel non præstandum.
XVIII. Satisfactio de periculi pretio.

I. OFferunt se reliqua præsidia adversus navigationis periculum, & quidem ordine *Aversio periculi*, ita dicta, ut non obscurum est, quod aliquis alterius periculum in mari aversum it, aut in se recipit. Aliàs nuncupatur *Sponsio*, Lusitanis *Aposta*, teste Petro Santerna Lusitano in Tractatu de Assecurat. Vulgò *Adsecuratio* adpellatur, & mercatoribus contractè *Asseurantie*; quod nimirum alter alterum ex convento securum vel indemnem reddat de periculo navis & mercium. veluti aliàs *securum* aliquem *facere* dicimur, cavendo pro eo quod à nobis petiit *l. 1. ff. qui satisd. cog.*

II. Hunc contractum olim vix cognitum, nunc inter receptissimos esse, notat Grotius de jur. b. e. p. 2. 12. 3. in fin. Veteribus tamen non planè ignotam fuisse susceptionem periculi vel damni ex certa conventione, constat ex illo Livii lib. XXIII.

Vt

Vt quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatisque vi publico periculo essent. Simile quid lib. 25. Præcipuè ex isto Suetonii in V. Claudii c. 18. *Negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset.* Peculiarem verò Assecurationis, ut vocant, contractum ante annos ducentos, nec multò longius inter Italos, postea Hispanos cœpisse, inde ad Belgas migrasse, conjectura quadam colligit Stypmannus *p. 4. Iur. marit. cap. 7. n. 9. 10. 11. 12.* quia vero apud mercatores hodie receptissimus est, & magis illorum foro quam juri R. aliive cognitus, non ægre feret Lector, si non solum quæ à Iurisconsultis de hoc argumento observata, sed etiam quæ statutis florentissimorum emporiorum & praxi mercatorum recepta sunt, breviter annotem, quæ sequi ita licebit, quatenus ipsi æquitati, consuetudini regionum legibusque non refragantur, eadem pro rerum, temporum & locorum conditione juste moderari ac dispensari superiorum authoritate integrum erit.

III. Est hic contractus licitus: quia fit de re licita, & ex pacto legitimo: dum unus in se suscipit rei periculum, quam alteri sal-

vam

vam præstet etiam cum conditione lucri licet minoris, pro certo pretio suscipienti in se periculum solvendo. Et hoc fit citra labem usurariam, & fraudem ullam. Etsi enim illi, cui res salva, minus lucrum accedit, majus illi qui periculum in se recipit, tamen idem respondebit periculo, arbitrio boni viri. Et est contractus quidam separatus à mutuo, uti fusè ostendit Zœsius *in Commentario ad Digesta tit. Pro socio n.* 25. Sed qualis propriè sit contractus, inter Iurisconsultos non satis convenit. Nonnulli volunt transire in formam emtionis & venditionis, ob pretium quod datur ratione periculi; & quod periculi eventus dicatur emtus &c. Quidam volunt esse contractum innominatum aut præscriptis verbis Facio ut des; ut: *suscipio periculum, ut des pecuniam*; alii volunt esse stipulationem, alii alium contractum. Horum omnium rationes & argumenta prolixè examinat Stypmannus *part. IV. Iuris marit. cap. VIII. n.* 21. *& seqq.* ipse verò statuit contractum nominatum esse, sed qui constet suis pactionibus à reliquorum contractuum natura discretis *n.* 159. *& seqq.* ubi vide.

IV. Sit

IV. Sit ejus talis deſcriptio : quod ſit Averſio periculi conventio idonea de præſtanda indemnitate rei vel mercium , pro certo pretio transferendarum. Brevius: Contractus indemnitatis pro certo pretio. *Stypm. d. loc. n.* 262.

V. Sub nomine periculi, de quo fit cautio, comprehenditur omnis caſus qui accidit in mari, à tempeſtate, ab hoſtibus, prædonibus, repræſaliis ut, vocant, arreſtis, aliiſque modis uſitatis & inuſitatis, citra fraudem & culpam contrahentium , aut domini mercium vel navis. *Grot. introd. Jur. Holl. part.* 24. Periculum autem vel per ſpeciales caſus exprimi ſolet, & ſic ad non expreſſa quis non tenetur. Vel principalibus caſibus enumeratis generalis clauſula ſubjici ſolet, & ſic ad omne periculum tenetur. *Rittershus. ad l. contractus* 23. *de reg. jur. cap.* 18. *pag* 236. 237. E contra omni periculo ſuſcepto, poteſt quis limitare conventionem, excluſa una vel altera ſpecie, e. g. piratarum incurſu; & tunc excluſio unius facit incluſionem reliquarum. Sed & in certa ſpecie periculi poteſt reſtringi, ne reſpectu hujus vel illius caſus locum habeat, præſertim ſi ille caſus non facile ca-

veri queat. *vid. Stypman. dicto loc. n.* 335. *& seqq.*

VI. Adſecuratio (liceat vulgo receptam vocem retinere) vel purè & ſimpliciter, vel ſub certis conditionibus, die, loco fit *arg. l.* 4. 5. *D. de naut. fœn.* & cum certi pro periculo pretii ſtipulatione. Aſſecuratio ſimpliciter facta de primâ navigatione intelligi debet. *Santerna p.* 3. *de Aſſec. n.* 30. *& seqq* Sermo enim ſimpliciter prolatus de uno & primo accipiendus eſt *arg. l.* 89. §. 1. *D. de verb ſignif.* Periculi pretium ex communi æſtimatione peti ſolet. *l.* 63. *ad leg. Falcid. Grot. de jur. bell. c. p.* 2. 12. 23. de quo inter contrahentes ex æquo & bono vel arbitrio bonorum virorum conveniri poteſt. Certum enim præmium, ut vocant, definiri nequit, ſed prout navigatio longinqua vel brevis, & loca pluribus vel paucioribus periculis obnoxia ſunt, ita majus vel minus præmium Aſſecurationis paciſci moris eſt. *Vid. artic.* 1. *Conſt. de ſolut. præm. aſſecur. in privileg. Amſt. p. m.* 197. *col.* 1. *& in ordinat. Antwerp. de Aſſecur. pag.* 445. *Stypman. d. loc. n.* 348. 349. *& ſeqq.* Sed cum in Formulâ Aſſecurationis ſecundum hodiernum mercatorum ſtylum conceptâ:

ceptâ, quæ exſtat in dictis Privil. præcipua contineantur, quæ ſpectant ad ſubſtantiam hujus contractus, eam ex Belgico in Latinum ſermonem verſam hic in gratiam lectoris apponere placuit:

Nos ſubſcripti promittimus & obligamus nos ad avertendum periculum, vel (ut vulgò loquuntur) *aſſecurandum, velut aſſecuramus omnes & ſinguli tenore hujus viri NN. ad ſummam mercium ſubjectam NN. in corpus navis cum tormentis ſuis, inſtrumentis, aliisque apparatu & huic adhærentibus, pertinentis ad NN. vel alium. Navi nomen eſt NN. capax amphorarum NN. cujus magiſter eſt NN. Illius periculum præſtabimus ab hora & die, quo ſolverit dicta navis, & appulerit cum tormentis, munitione, inſtrumentis, & quæ eis annexa ſunt in portum NN.* (vel ut aliæ quædã Formulæ habent: *ab hora & die, quo prædictæ merces deportatæ ſunt in portum NN. vel navalia, inferendi dictæ navi cauſſa. & durabit iſthæc aſſecuratio, donec dictæ merces pervenerint in portum NN. & exoneratæ atque in ſalvo fuerint, abſque ullo detrimento & incommodo.*) *Nominatæ autem navi licebit navigare prorſum, rurſum, flectere dextrorſum, lævorſum, & ab omni latere; atque ex neceſſi-*

tate vel sponte ingredi tales portus, qui nauclero & navis commodi bonique videbuntur. Atque si ex necessitate vel voluntate praescriptæ merces exonerentur, & alteri navi majori vel minori iterum inferantur (quod illis propria authoritate facere licebit, absque nostri consensus expectatione) præstabimus prædictum periculum, quasi dictæ merces nunquam exoneratæ essent. Cavemus etiam vobis de omni periculo maris, tempestate, igni & vento, amicis, inimicis, arrestis & detentionibus à Rege, Principe, Repub. quascunque faciendis, de represaliis, de nequitia vel incuria naucleri & nautarum, aliisque casibus qui huic navi contingere possint, cogitatis vel incogitatis, usitatis vel inusitatis, nullis exceptis. Nos vestri loco constituimus, ad vos tutos præstandos ab omni damno & incommodo. Atque si prædicta navi malum (quod Deus avertat) acciderit, obstringimus nos hoc ipso vobis vel vestris mandatariis ad omne detrimentum, quod passi estis, resarciendum, nimirum singuli pro rata summa nominata, tam primus quam ultimus assecurator, idque intra proximum trimestre, ex quo, ut decet, certiores facti fuerimus de periculo & damno. In quo casu damus vobis

& aliis omnibus plenam potestatem, tam ad damnum quam lucrum nostrum, vobis invicem suppetias ferendi, in servanda prædicta navi eique annexis, in onerando vel exonerando, in juvando quibus opus fuerit, aut vendenda nave pretioque ejus distribuendo, si res ita postulet; absque requisitione nostri consensus & veniæ. Solvemus etiam expensas cum causa damni dati, sive quid servatum fuerit, sive minus, & de expensis factis fidem habebimus ei, qui illas fecit, ad præstitum ab ipso juramentum, absque omni contradictione. Contenti etiam sumus, ut NN. velut nobis fidem dedit, solvat nobis pretium aversi periculi vel assecurationis, post tres proximè sequentes menses, nimirum NN. *pro centum. Vt verò omnis prolixitas evitetur, æquè æstimabimus observabimusque hunc Assecurationis contractum, atque si coram Iudicibus factus esset; & tam firmum ac ratum habebimus, atque si omnes in eo clausulæ ita essent formatæ, ut sibi quisquam eas imaginari posset, in vestrum commodum & nostrum detrimentum. Omnia absque fraude & dolo* &c. Submittentes nos juri, consuetudini & judicio (cameræ Assecurationis) *In rei fidem obligamus nostras personas & facultates tam præsentes quam*

quam futuras, renunciantes, ut honestos homines decet, omnibus cavillationibus & exceptionibus, quæ huic contractui adversa esse possint. Actum. NN.

VII. Assecurationem in scriptum, ut solet, redactam oportet exprimere nomen nautæ, navis, ubi onerata sit, quò navigare velit. Item determinare mercium qualitatem, quantitatem, numerum & mensuram, & quidem bona fide factam in navibus amicorum (non hostium) in præsentia testium, aut coram Notario & publicis personis. Non etiam sunt dissimulandæ merces, aut plures quam revera in navi sunt, fingendæ. Suscipiens enim periculum pro iis solum tenetur, quæ tempore periculi aut naufragii in navi fuerunt. Nec alienæ pro suis assecurationi offerendæ sunt, nec vetitæ & illicitæ pro licitis indicandæ; pro quibus si forte ab ignorante promissore periculi cautum sit, is cui cautum est ad earum æstimationem agere prohibetur: quia in dolo fuit; aut si integræ & salvæ domum venerint, susceptori periculi pretium pro iis petenti non denegabitur. ille enim bona fide pactus est. *Santer. p. 3. n. 13. seq. 43. seqq.* Tormenta & apparा-

apparatum bellicum assecurare volens, vel etiam carinam, hæc omnia ante discessum à peritis æstimari curabit. quæ tamen æstimatio non præjudicabit aversori periculi, si probare possit, æstimationem ex affectu, collusione aut alia mala arte majorē æquo factam esse. *art* 10. *Ord. Antv. de Assecur.*

VIII. In hoc contractu bona fide versandum est, ut natura ultro citroque obligationis postulat. dolus commissus cum æstimatione damni arbitrariè puniri solet, vel gravius pro ratione delicti. Itaque in fraudem primi Assecuratoris vel emolumentum assecurati bona non cavebuntur ab ipso altero inscio pluribus locis, aut supra constitutum. Vel si citra fraudem pluribus locis assecurata sint, prior assecuratio velut sufficiens pro omnibus bonis solum rata erit. *vid. fusius art.* 14. 15. *Ord. Antvv.* Vltimus assecurator tantum in aversione periculi participabit, quantum primus, sive damnum sit sive lucrum. *art.* 23. *Assec. Amst.* Si contrahentium alter rem de qua agitur, aut salvam quo destinabatur pervenisse aut periisse sciverit: quia propria materia hujus contractus est damnum sub ratione incerti, contractus erit nullius momenti

menti. *Grot.* 212, 23. *Elb. Leonin.consil.* 22. *n.* 7. Si tamen assecuratus sibi caveri curasset in eventum boni aut mali nuntii: in eo casu assecuratio rata erit, si susceptor periculi probare nequeat, ei, cui cautum est, ante cautionem constitisse de damno aut jactura; & assecuratus vel is cui cautum est, ab ea suspicione se juramento liberare paratus sit (*art.* 6.21. *Ord. Amst. de Assecur.*) Si assecurator sit factus malæ fidei, ejus contractui renuntiari & de integro cum alio contrahi potest. Vel si, antequam factus malæ fidei, sit suspectus de non solvendo, cautionem cautionis præstare debet, ut dominus mercium servetur indemnis, ad similitudinem fidejussoris indemnitatis. *arg. l. decem.* 116. *de V. O. l.* 8. §. 12. *D. de fidejuss. Santern. d. loc. n.* 556.

IX. Assecuratio initium habebit à tempore mercium in navalia translatarum ut imponantur navi, & durabit usque dum merces in destinato portu salvæ sint exoneratæ, nisi aliter convenerit: aut aliud lege definitum sit. Exoneratio verò non ultra quindecim dies (nisi cum periculo domini) differetur, exceptis necessariis obstaculis, quæ probanda. *art.* 13. *Assecur. Antverp.*

Si

Si assecuratio ab uno portu ad alium facta sit, absque mentione mercium in terram exonerandarum, inchoabitur à tempore impositarum navi mercium, & finietur tempore navis destinatum portum ingressæ: *cum ibi steterit in salvo ad anchoras per viginti quatuor horas. d. art.* 13. quod eo fine inter mercatores observari probabile est, quia navis in ipso quoque portu vel ostio periclitari, ut dicitur in *l.* 4. *D. ad leg. Rhod. de jactu*, & aliquando damnum pati potest, secundum illud Propertii lib. 3. el. 6.

Fallit portus & ipse fidem,

nec semper verum est, quod Anacharsis percontanti, *quæ securissima navis esset*, respondit: *Ea quæ in portum venit*. Ducentas fermè naves in ipso portu Tiberis violentia tempestatis tempore Neronis absumsit. Tacit. Annal. XV. 89. 2. Proinde ad diem & noctem pro damno in portu, donec merces in salvo sint, caveri voluerunt constitutiones. Assecuratio non ad præteritum sed futurum & imminens periculum & damnum extenditur. Nam præteriti periculi susceptio ac rerum jam deperditarum promissa securitas, ex juris communis dispositione non habet vires: tum quia res, ad

quam

quam fit securitatis promissæ relatio, tempore quo fit promissio non existit, aut non est in nostro commercio: tum quia nihil continet præter aleæ ac vanæ sponsionis speciem, quæ non fundatur super aliqua justa causa, sed duntaxat super inopinata & inconsulta captione alterius contrahentium: quæ tanquam reip. damnosa, & ad inconsultos contractus respiciens, à jure non probatur: maximè si pura sit, nec conditionem pro causa habeat. *Dd. in l. à Titio D. de V. O. in l. quibus D. de aleat. Elb. Leonin. conf.* 22. *n.* 2.3.4. Imò si conditionem adjectam habeat, tamen conditio in præteritum collata nulla est *l.* 10. §. 1. *D. de condit. inst.* sed vel statim perimit obligationem, vel omnino non differt. §. 6. *Inst. de V. O. l.* 100. *D. eod.* Attamen si in præteriti damni notitiam non pervenerit assecurans, permittitur talis assecur. in *Const. Amst. art.* 20. *ad Assec.* non verò quæ fit in sponsione vitæ hominum aut itineris *art.* 24.

X. Aversor periculi vel assecurator, ex conventa conditione se generaliter ad pericula maris aut navigationis obligans, de quovis casu etiam improviso tenetur; nisi culpa domini mercium aut navis intervenerit.

nerit, *ut sup. dixi* §. 5. ut si non fecerit quod diligens & cautus faceret, aut quod ex pacto debet: si quid per negligentiam, imperitiam aut moram admiserit. Itaque si assecurator caverit de periculo respectu illius temporis, quo navigatio minus erat periculosa: navarchus autem vel dominus navis ob frivolam causam vel per negligentiam distulerit navigationem in alienum tempus, navigationi valde incommodum: & sic obortâ procellâ merces cum navi perierint, non erit hoc periculo assecuratoris, sed domini navis, nisi aliud convenerit. Mora enim cuique sua, non alii nocere debet *Reg. Iur. Can.* 25. Item si contra pactum navarchus mutaverit destinatum iter absque necessitate, lucri sui caussa: idque inscio aut invito perculi susceptore; aut navigarit mare infestum piratis vel hoste, idque præsciverit, sed nolente & excipiente hunc casum assecuratore: vel non dirigens cursum ad eum portum de quo convenerat, navem illicitis mercibus onerarit, quæ publicatæ sunt, ad id non tenebitur assecurator *arg. l.* 3. *C. de naut. fœn.* Item si magister navis extra directum cursum proprio consilio, non compulsus tempestate jactum

fecerit

fecerit, non erit periculo assecurantis. quia ad pericula in ordinariâ viâ contingentia se obstrinxit, vel ad extraordinaria pericula ex necessitate, non culpa nautæ accidentia. Hic itaque mercator regressum habebit ad nautam *Quintin VVeits. de contrib. p. m.* 465. *col.* 1. Ille verò dolus etiam pœnâ arbitrariâ dignus est, si is, cum præstatur ab alio periculum, fraude sua effecerit, ut res in navi perirent, & ementitus sit, casu vel naufragio periisse: ne ipse, sed alter qui cavit de periculo, damnum subeat. Velut olim quisdam publicani apud Romanos Posthumius & L. Pomponius fecere, cum populus R. cavisset de periculo à vi tempestatis, in rebus portatis ad exercitus Rom. illi ementiti fuut facta naufragia; & ea ipsa quæ vera renunciaverant, fraude ipsorum facta erant, non casu. in veteres enim quassatasque naves paucis & parvi pretii rebus impositis, cum mersissent eas in alto, exceptis in præparatas scaphas nautis, multiplices fuisse merces ementiebantur. cujus fraudis populus severus vindex fuit, ut refert Livius lib. xxv.

XI. Aliàs ex jactu mercium tenetur assecurator vel receptor periculi, quia jactus

& perditio propter casum æquiparantur *l. 4. ff. ad leg. Rhod. de jactu*. Cum autem locus sit contributioni propter istum jactum, sublevabitur assecurator in tanto minus solvendo, quam dominus fuerit consecutus. *Santerna part. 4. de Assecur. n. 44.*

XII. Ex casu contingente in ipsa navi culpa magistri navis, ut si merces non bene reconditæ, nec diligenter servatæ, ab humore aut muribus corruptæ fuerint, inde non assecuratorem, sed navarchum teneri volunt. Si verò merces à tempestate aut procella humidæ & corruptæ fuerint, inde tenebitur assecurator. *Quint. VVeitz. de Contrib. p. 460. in fin.*

XIII. Quod verò Santerna part 4. de Assecur. n. 19. & seqq. statuit, damnum tertii nimirum gubernatoris culpa datum non liberare assecuratorem à præstatione periculi; quia factum tertii non impediat obligationem committi; certum quidem est ita jure fieri, si se generaliter ad omnes casus etiam culpa nautæ datos obligarit. Aliàs non nisi de casib. fortuitis tenetur; nec de culpa gubernatoris; sed ipse nauclerus, si (ut in præsenti casu) non idoneo gubernatori navem commiserit. *l. 16. §. 1.*

D.

D. de rei vindic. conf. art. 27. Assecurat. Amst.

XIV. Si in una & eadem navigatione merces transferantur ex una navi in aliam, & novissima deperdatur cum mercibus, num promissor vel assecurator tenebitur de tali periculi eventu? Hic inspicienda est forma assecurationis, an in ea mentio sit facta novissimæ navis, an minus. Si mentio facta sit; utique ex lege conventionis tenetur, modo absque dolo & culpa alterius iste casus acciderit. Si mentio non facta sit, non tenetur. Si tamen merces in scapham trajectæ fuerint navis onustæ levandæ causa, quia intrare flumen vel portum non poterat, ut magna navigia portibus se gravatim insinuant, uti Petronius in Satyr. loquitur; eaque scapha submersa sit, iste casus perinde æstimabitur, atque si in ipsa navi accidisset *arg. l. navis ad leg. Rhod. de jact.* (præsertim si promissor caverit de damno, usque dum navis appulerit ad portum) secus, si hoc alia de caussa contigerit. *Santerna p. 3. n.* 36. 37. 38. 39.

XV. Si damnum non excedat unum pro centum, assecurator non tenebitur ad præ-

statio-

stationem damni, *ut est in Statuto Amster. de Assecur. art.* 26.

XVI. Si quis curarit sibi assecurari vel caveri de bonis, quæ postea ipsi missa non sunt, aut minus mercium navi impositum quam cautum est, aut exercitores ob certam causam mutent consilium expediundę navis ac itineris; atque hoc significetur intra quatuor menses à data Assecuratione; repetere licet ab Assecuratore pretium aversi periculi; dato ipsi pro molestia dimidio de centum. *ut est in art.* 16. *Statuti Antverp. & art.* 22. *Stat. Amsterod. de Assecur.*

XVII. Si naves cum pretiosis mercibus in exteris locis arresto detineantur, sex mensium spatium vel ex remotis ac longe dissitis locis annum (ex remotioribus biennium) præstolabitur dominus navis aut mercium, donec ista navis pro deperdita aut publicata habeatur. Salvæ autem merces interim alii navi imponentur ad continuandum iter. Si verò sint res fungibiles, aut quæ utendo consumuntur, eæque arresto detentæ cum navi, non exspectabitur dictum tempus, sed postquam assecurator de eo certior factus est, & hoc legitimè indica-

dicavit, actionem suam persequetur. *art.* 8. 9. *Ordinat. vel Statuti Amster. de Assecur.*

XVIII. Assecuratot satisfaciet assecurato post tres menses, aut ob moram intéresse præstabit, ex quo intra dictum (§. anteced. XVII.) tempus nihil fando audivit de navi & mercibus, quæ jam pro deperditis habentur. *art.* 5. *&* 25. *Stat. Amst. de Assec. Grot. Introd. Iur. Holl. part.* 24. Plura apud Santernam, Rulandum in peculiari de Assecurat. consilio, Stypman. part. 4. Iur. Mar. c. 7. aliosque; item in Statutis Amsterod. & Antverp. Belgica lingua scriptis *pag.* 191 *& seqq. & pag.* 444 *& seqq. edit. de anno* 1639. de hoc argumento legi possunt. Potiora hic strictim excerpta sic admitti volo, quatenus foro mercatorum, moribus atque æquitati sunt conformia.

CAP. VI.

De Fœnore nautico.

I. De appellationibus Fœnoris nautici.
II. Quid proprie sit & quotuplex.
III. An sit licitum.
IV. In qua re consistat.
V. VI. De quantitate ejus.

VII.

VII. *Modus cautionis de fœnore nautico.*
IIX. *An navarchus pro lubitu posſit obligare carinam fænore nautico.*
IX. *Quando navis ſit periculo creditoris, quando non.*
X. *Pœna pecuniæ trajectitiæ ex mora.*
XI. *Quando uſuræ ſolum ordinariæ & communes, non fœnus nauticum hîc peti posſit.*
XII. *Exemplum rei judicatæ de Nautico fœnore.*

I. CVm Fœnus nauticum mixtum quid ſit ex contractu mutui, & periculi averſi, ut notat Grotius de jur. bell. c. p. 2. 12. 5. de eo quædam hic ſeorſim obſervabimus ſtatim poſt caput antecedens de averſione periculi. Quod attinet notionem vocis *Fænoris*, non ſemper uſuram pecuniæ creditæ, & quidem illicitæ, ſed etiam aliquando rem ipſam, quæ mutuo data eſt, & æs alienum ſub uſura contractum ſignat. Ita hic fœnus nauticum non uſuram nauticam, ſed pecuniam fœnebrem vel ſortem ipſam ſub uſuris nauticis datam eſſe, utrumque, cum redierit navis, ſolvendum, ex authoribus & jure probatum it Sal-

Salmasius cap. 2. de Usur. pag. 23. 24. Solvuntur autem creditori pro periculo, quod in se recipit nomine creditæ *trajectitia* vel *nautica pecunia*, ita dictæ, quod navi trans mare vehatur *l. 1 ff. de naut. fæn.* Si verò ea pecunia domi vel in eo loco, ubi traditur, consumatur, non erit trajectitia pecunia. l. 1. h. t. Nostratibus dicitur Bomerie/ Bodmerie/ Bodemerie/ Boddemerey (tam variè enim pronunciatur) à *carina* vel *fundo* navis; parte pro toto sumta, ita primum appellata, (cum etiam lingua Gallorum antiqua & Britannica *Bodo* vel *Bodun* fundum aut profundum signet, teste Camdeno in Britannia p. m. 149.) in quem navis fundum, vel ipsam navem ejusque usum mutuò accepta est pecunia. Sed postea latius pro fœnore nautico etiam usurpari cœpit. *Confer. Stypman. p. 4. Iur. mar. cap. 2 n. 123. 124. 125. & cap. 5. n. 33. & seqq. n. 55. & seqq.*

II. Nauticum fœnus ergo est lucrum trajectitiæ pecuniæ, quam creditor, recepto in se dubii eventus periculo, alicui sub certis usuris, tanquam periculi compensatione tradit. Alii aliter definiunt; sed res eodem recidit. Fœnus illud est duplex, terrestre

restre & nauticum. Terrestre, quod debetur pro pecunia terrestre iter facientibus credita. Nauticum quod navigantibus, ut patet, datur; & est periculo creditoris *l.3. D.de naut.fœn.l.1.eod.l.62.D.de rei vindic.* de quo hic præcipuè tractatio instituitur. Alii nauticum,proprium,terrestre minus proprium vel quasi nauticum vocant. De quo in *l.5. de naut.fœn. Sichard. in tit. Cod. eod.n.2. Borcholt. in Tractatu de Naut. fœn. c.2.3.Rittershus p.3.Exp. Nov.cap.11.n.3.*

III. Sed in disceptationem venire potest, num hujusmodi fœnus sit licitum. Illicitum videri nonnullis possit, quod fœnus, ut mordax & homines exsugens, jure divino & humano prohibeatur. Quo referri quoque canon.lib.v. Decret. tit.18. de Usuris cap. 19. queat, qui sic habet: *Naviganti vel eunti*(sic enim emendandum pro *navigandi, eundi*) *ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quod suscepit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.*

Verum enimverò hic propriè non versari damnatum fœnus, sed compensationem aliquam periculi, quod creditor contra naturam mutui in se recipit, partim ex

§. I.

§.1.& 2.h. cap. patet, partim inde liquet: quod naturali rationi est conveniens, ut incommoda & pericula lucrum aliquod comitetur *l.* 10. *ff. de reg. jur.* præsertim ubi ipsa sos ob anceps maris discrimen periclitari aut intercidere potest. Gregorius lib.v. Epist. c.136. *Valde durum est, ut quis, unde nullum sensit commodum, sustineat injuste dispendium.* Ipse Paulus *ita* vult *uni esse relaxationem, ne alii afflictio sit.* 2.Cor. 8.13. Vid quoque Chemnit. part. 2. Loc. Theolog. cap. 6. de Usur. p. m. 432. & 458. 459. Et Molinæus de Usur. q. 3. n. 92. ait: *Hoc approbant omnes Theologi, ut creditor possit aliquid accipere ultra sortem pro susceptione periculi.* Ibid. hoc plurium Theologorum testimoniis firmat.

Quod verò attinet Canonem *Naviganti ult. de Usur.* si rectè emendetur, salva res erit. Hoc autem modo emendandum viderunt Fachinæus lib. 2. Controv. jur. cap. 48. Hordlederus & Zinzerlingus ad l. Periculi pretium 5. de nat. fœn. & nuper post eos Stypman. p. 4. jur. mar. cap. 2. n. 81. & seqq. *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, e. q. v. f. s. p. r. a. ultra sortem, usurarius NON est*

cens

censendus. Sic negativè concipiendum esse, & sensus verborum jubere & confirmare illud videtur; quod ubi dubium est, an is qui mutuò dat, ultra sortem tempore solutionis aliquid recepturus sit, ibi justam & licitam esse usuram idem Pontifex in sequentibus ejusdem capitis tmematibus disertè adfirmat, ut & Alexander 3. c. 6. eod. Inde Heigius part 2. qu. 1. n. 137. ait: *Etiam de nautico fœnore pacisci jure* (Canonico) *licet.* quamvis autem hæc conciliatio subtilis sit, & possit videri vero propior, tamen cum sit divinatoria, Iurisconsulto non digna, & omnes textus affirmativè legantur testatur Zœsius *in tit. de nautic. fœn. n.* 4. eam non admittendam censet. Nihilominus in ea est sententia, quod non obstante dicto canone, fœnus nauticum etiam jure canonico sit licitum, non tam ratione mutui, quod capitur ultra sortem, quam nomine justi periculi, *d. loc. n.* 3. *&* 4. Accedit authoritas juris civilis, toto tit. Dig. & Cod. de Naut. fœn. & Doctorum. Sichardus in tit. Cod. de naut. fœn. n. 4. *Vsuram nauticam propter periculum quod quis in se suscipit, esse permissam. Et ita Guido Papa in de-*

cis.

cis. 572. in fin. dicit sua ætate esse decisum. Et mox: *quod sint permissæ usuræ nauticæ, facit incertitudo & periculum. nam plerumque propter incertitudinem quædam permittuntur: quæ si certa essent, non permitterentur.* Et Molinæus comment. de usur. q. 3. n. 91. *Quod justissimum sit fœnus nauticum, liquet propter multitudinem & magnitudinem periculorum quæ versantur in mari: & propter exiguitatem & vilitatem pretii videlicet centesimæ respectu tantorum & continuorum periculorum totius sortis.* His addas exempla sapientum, Zenonis, Menippi, Catonis, qui fœnus nauticum exercere, à secta sua & supercilio Stoico non alienum duxerunt? uti testantur Diogenes Laertius in vita Zenonis & Menippi, & Plutarchus in vita Catonis.

IV. Solet pretium hujus periculi ut plurimum in numerata pecunia consistere, quamvis etiam in mercibus ex ea comparatis, si periculo creditoris navigent, ex convento consistere queat *l. 1. D. de naut. fœn.*

V. Veteribus legibus non fuit definita quantitas usurarum maritimarum: unde factum est, ut sæpe modus excederetur.

quod

quod non obscurè indicat Lex. 26. Cod. de Usur. his verbis: *Nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat concessum.* Nimirum indefinitum periculi pretium leges veteres ea de causa reliquerunt, ut liceret contrahentibus, prout majus aut minus appareret maris periculum, ita majores aut minores usuras stipulari ac promittere, ut notat Cl. Salmasius cap. 9. de modo usur. p. 380. vide quoque Desiderium Heraldum Observat. ad jus Attic. & Rom. cap. 20. §. 5. & seqq. Ea mente dixit Paulus IC. lib. 2. Sentent. tit. 14. §. 3. *Trajectitia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras capere potest,* ad quem locum ita notat interpres Anianus: *Quia maris periculo committitur, in quantas convenerit usuras, hanc pecuniam dare creditor potest.* Aliquando ergo majores fuerunt usuræ pro magnitudine periculi, quo sensu accipiendus Petronii versus:

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit.

aliquando minores, si exile esset periculum. Eodem modo apud Græcos fœnus nauticum pro ratione periculi propioris aut remotioris incrementum accepit majus aut minus, ut fuse observavit Salmasius

sius cap. 5. de modo usur. p. 188, 218. & alibi. Sed Iustinianus in imperio Rom. ad *centesimam* reduxit in *l. ult. Cod. de Usur.* i. e. ut una uncia singulis mensibus, atque ita duodecim pro centum toto anno præstarentur. Et hæc legitima usura dicta est, ut est in Scholio libr. 23. Basilicor. tit. de Usuris: Νόμιμος τόκος ἐστὶ διαποντίως τοῦ δανείζοντος ἤτοι ἐπικινδύνως, ἑκατοστιαῖος. *Usura legitima ejus qui trajectitiam pecuniam trans mare vehendam fœneratur, id est cum periculo suo, centesima est.* Legitima nuncupatur usura, quod lege vel constitutione Imp. introducta, visa est sufficere ad pensandum creditoris periculum. Sed postea Iustinianus Nov. 106. approbavit quasdam pactiones in fœnore nautico usu receptas, quibus contrahentes excedebant usuram centesimam: quam Novella 110. iterum abrogasse, & ad centesimam secundum l. 26. *Cod. de usur.* reduxisse, volunt interpretes Novellarum; *Cujacius ad dictas Novell.* 106. *&* 110. *& lib.* 27. *Obs. c.* 27. *Rittershusius Expos. method. Novell. part.* 3. *cap.* 11. *n.* 7. *Gudelinus lib.* 3. *de jure noviss. cap.* 3. Salmasius autem Novella 110. centesimam abrogatam, & antiquam

licen-

licentiam, in quantas quis vellet usuras trajectitiam pecuniam paciscendi ac mutuò dandi, restitutam statuit c. 9. de modo usur. pag. 377. Quidquid sit, cum Imperator in Nov. 106. adserat, dubitatione hujus rei ortâ, se convocasse naucleros eosque interrogasse quæ antiqua hujus rei consuetudo fuerit, illos verò sanctè testatos esse, *modos esse varios talium mutuorum*; utique in liberis Rebuspub. & ex conventione paciscentium de periculi præstatione ad certum locum quò navigaturi sunt, vel ad tempus præstitutum, adhuc variare possunt: ut habita ratione temporis navigandi, locorum ad quæ navigatio dirigitur, & periculi quod suscipitur, majores aut minores usuræ præstentur: ita tamen ut extensio non admittatur, nisi expresse constet de veritate & paritate periculi, ne sit prætextus fraudi usurariæ. *Molin. de Usur. q.* 3. *n.* 94. neve fiat, quod Manilius lib. 4. Astronom. in admodum avarum danistam jacit:

Navigat & celeres optando sortibus annos,
Dulcibus usuris, æquo quoque, tempora vendit.

Hos versus de anatocismo accipiendos

I putat

putat Scaliger in Notis ad Manilium p. m. 315. quamvis etiam hic sermonem de trajectitia pecunia esse adfirmet. Sed Salmasius in cap. 3. de modo usur. *τὸ æquum* hic vult idem esse, quod *sortem* τὸ Κεφάλαιον, τὸ ἴσον. Nam in mutuo τὸ ἴσον redditur & præterea pro auctario usura de qua convenit. quo sensu τὰ ἴσα Lucæ c. v. 34. accipi videntur. *Possumus tamen & alium sensum dare verbis illis poëta*, inquit Salmasius ib. pag. 93. *& forsitan veriorem. Non solum inquit optando celeres annos sortibus, hoc est celerem sortis exæquationem, dulcibus usuris vendit tempora, sed etiam æquo illa vendit, id est, æqualem summam exigit ei quam mutuo dedit. quod fœnus horrendum est, sed olim in trajectitia pecunia usitatum, quo centum pro centum aliquis accipere dicitur.* Aliter legit & interpretatur Heraldus Manilii versus cap. xxi. Observ. ad jus Attic. & Rom. Sed de his eruditi viderint. Sint ergo tales usuræ, quæ legem non offendant, aut, deficiente lege, æquitatem. quò etiam Ius canonicum, *de quo sup. in c. Naviganti* spectasse videtur, quod non vult qualibet periculi susceptione licitum fieri receptum ultra sortem,

sed

ſed tantum, quæ verè talis eſt, ut nimirum pecunia conventa reſpondeat periculo. *Zæſ. 1. d. loc. n 4. in fin. vid. quoque Perez. in Cod. h. tit. n. 6.*

VI. Quando trajectitia pecunia ea conditione mutuò data eſt, ut ſit extra periculum creditoris, vel quando poſt præſtitutum diem & impletam conditionem deſiit eſſe periculo cerditoris, centeſima majores uſuras non deberi reſpondit Papinianus. Sed quando nave navigante pecunia trajectitia eſt periculo creditoris, majoribus uſuris jure R. ſtipulari licet, quandoque etiam duplo ſortis. Nimirum in ſtipulatione ſervi, pecuniæ trajectitiæ & aliarum rerum domini procurandarum cauſſa cum debitore ad navigationem miſſi, ſi ejus operæ in dies ſingulos, ut ſolebat, æſtimentur, pro iis duplex centeſima in ſtipulationem deduci & in fine navigationis creditori præſtari eodem jure poteſt, duplum tamen excedere non debet. Quod etiam lege AEgyptiorum ita conſtitutum erat. *vide Diodor. Sicul. lib. 2. l. 4. D. de naut. fœn. ejusque legis fuſiorem interpretationem apud Cujacium lib. 5. Obſ. c. 38. Salmaſium c. 8. & 9. de modo uſur.*

Potest etiam judex in eo quod certo loco dandum aut recipiendum est, ordinarium usurarum modum excedere, & non solum rei, sed etiam actoris utilitatis rationem habere; ut solet in arbitrariis actionibus §. 31. 33. *Inst. de Actionib.* Ita si trajectitiam pecuniam creditor dederit Ephesi recepturus, ubi sub pœna debebat pecuniam vel sub pignoribus; & distracta pignora sunt vel pœna commissa mora: vel fisco aliquid debebatur, & res stipulatoris vilissimo distracta est; in hanc arbitrariam, quod interfuit creditoris, veniet actionem, & quidem ultra legitimum modum usurarum. sed & in mercibus ex more comparandis, lucri, non solius damni habebitur ratio; ut est in *l. arbitr. §. nunc de off. D. de eo quod certo l. d.* .

In alia quoque quam de pecuniæ trajectitiæ pactione, potest plus pecunia data postulari, si aleam amittendæ sortis subierit creditor. *l. periculi pretium D. de naut. fæn.* cujus legis prolixam & eruditissimam explicationem habes apud Salmasium dicto cap. 9. de modo usur. pag. 394. & seqq. & Zinzerlingum in peculiari ad istam legem commentario. quæ hic longius persequi, nostri non est instituti: cum de pecunia

trajecti-

trajectitia hic tantum agatur.

VII. Caveri moris est creditori de trajectitia pecuniâ sub conditione, vel nudo pacto vel per stipulationem, aut syngrapham, aut pignoribus & hypothecis, vel mercibus in navi pignori acceptis, in fidem sortis creditæ & usurarum debitarum *l.* 4. 6. 7. *D. de naut. fœn.* Pignorum verò persecutio peremta est, si navis ante conditionis eventum perierit aut non salva in portum venerit *l.* 6. *h.t.* Deficiente enim principali obligatione, deficit etiam accessio ejus, pignus. Navigationis periculum interdum à creditore suscipitur usque ad certum portum, aut præfinitum navigationis tempus *l.* 4. *D. de naut. fœn. l.* 1. *C. eod.* vel usque ad reditum, non abitum, interdum in omne navigationis tempus, tam ad abitum quam reditum. Illud ἐφ' ἑτερόπλυ, hoc ἐφ' ἀμφοτερόπλυ, Græci appellabant. conf. *l qui Romæ* §. *Callimachus de verb. obl. & ibi Gothofr. & alios.*

VIII. Magister navis non potest pro lubitu obligare navem sumto fœnore nautico: præsertim hoc non potest, *secundum statuta Hanseatica de jure maritim. art. ult.* in eo loco ubi degunt exercitores, aut abs-

que corū consensu vel mandato. Sed in peregrinis locis hoc pro rata ejus quod in navi habet, ipsi licet, necessitate & salute navis sic exigente. quo casu novissimum pecuniæ nauticæ instrumentū præfertur aliis similibus instrumentis in concursu plurium diversi temporis creditorum: quia per illam postremam pecuniam factum est, ut navis ex portu abiret. Si verò diversi creditores pecuniam dederint non nautæ, sed mercatori sub obligatione mercium quibus navem oneravit, inter eos jus prælationis ratione temporis locum non habet, sed omnes simul concurrunt. ita Amstelodami in Camera fœnoris nautici servari, testatur Vinnius in *Peckium ad L L. Nautic. quem vid. pag.* 95. Hæc tamen statutis aliorum populorum aliquantum variant. *vid. art.* 68. *Iur. mar. Dan. statuta Dantisc.* p. 3. c. 3. a. 19. *Statut. Hamburg.* a. 1. 2. 3. 5. 7. p. 2. 4. 18. Si verò magister navis absque necessitate, dedita opera navem fœnore nautico onerarit, ex damno dato exercitoribus navis tenetur, *secundum statuta Hanseat. civit de jure maritim. art.* 55.

IX. Si navis fœnore nautico obligata, sine culpa debitoris casu fortuito perierit,

erit

erit periculo creditoris, ex eo die quo navem ad destinatum locum navigare convenit. *l.* 3. *D.h.tit.* Idem lege Rhodia & Attica cautum fuisse, notat Salmas. cap. 5. de mod. usur. pag. 199. & 208. Sed absque tali conventione infortunium naufragii ad debitorem pertinet *l* 4.*C.h.t.* Sed & qui convento tempore non navigat, vel aliò quam debet, navigat, ad eum trajectitiæ pecuniæ periculum spectat, nisi temporis ac navigationis præferendæ potestatem à domino expresse acceperit. Vide *l.* 122. §. 1. *ff. de verb. oblig. & ejus legis interpretationem apud Cujacium lib.* 2. *Observ. c.* 11. *& Salmasium cap.* 9. *de modo usurar. pag* 359. *& seqq.* Si verò, creditore navigii in certum locum destinati periculum suscipiente, debitor illicitis mercibus navi exceptis majoris lucri causa aliò naviget, & ibi merces aut navim per confiscationem amittat, hoc non erit periculo creditoris, sed debitoris: cum non ex marinæ tempestatis discrimine, sed ex *præcipiti audacia, & incivili debitoris avaritia* (ita leg. videtur) acciderit *l.* 3. *Cod. de naut. fæn. vid. & Demosth. orat. contra Dionysodor.*

X. Aliquando pœna pecuniæ trajectitiæ

promitti solet, quæ ex morâ committitur, etiam mortuo debitore & jacente hæreditate *l.* 9. *D. h. tit.* Peti tamen non potest pœna pecuniæ trajectitiæ, si creditor in mora accipiendi præstituto & expresso die fuerit *l.* 8. *D. eod.* Alioqui si interpellare cæpisset, & valetudine impeditus interpellare desiisset, pœna non committeretur. *l.* 23. *ff. de oblig. & act.* Cujus legis fusiorem interpretationem habes apud Heraldum dicto *cap.* 21. *Observ. ad jus Attic. & Rom.* §. 9. Si nemo adsit, qui à parte debitoris interpellari pecuniæ trajectitiæ causa possit, id ipsum protestatione coram bonis viris complectendum, quæ loco petitionis seu denunciationis erit *l.* 2. *D. h. t.* Debitor verò liberatur, si per eum non steterit, quo minus id quod debebat, dicto die solveret. *l.* 105. *de V. O.*

XI. Postquam navis salva domum rediit, mercatori indulgentur viginti dierum induciæ ad distrahendas merces & conficiendam pecuniam, quam creditoribus suis solvat, una cum usuris. Quod si pecunia credita diutius maneat penes debitorem, reliqui temporis post illos dies elapsos non amplius maritimæ usuræ, sed

commu-

communes usitatæque solventur: quia tunc desiit esse periculum creditoris *l. 4. l. 6 D. de naut fœn. l. 1. C. eod. Nov. 106. Cujac. lib. 27. obs. c. 37. Salmas. c. 3. de mod usur pag. 91. & c. 8. p. 308.* Et quoties aliquid tribuitur propter causam, ea deficiente, juris quoque beneficium deficit *l. 68. ff. de reg. jur. Perez. in Cod. h. tit n. 5.*

XII. Subjiciam hic exemplum rei judicatæ de Nautico fœnore, quod ante tredecim annos in judiciis Regiis hujus regni discussum est, velut mihi amicus per literas bona fide retulit: *Navi NN. à R. H. per negligentiam naucleri confiscata, nauclerus nullam scit elabendi rimam, donec institor* (Factor) *Mercatorum H. ultrò pollicitatur se navim illam liberaturum, modò det ipsi obligationem ad modum nautici fœnoris pro sorte 4000. marcarum. Nauclerus in angustiis constitutus ejusmodi syngrapham dat factori, cum tamen ne teruncium quidem ab eo accepisset. Interim in collegio Admiralitatis ejus loci in quo navis erat, de eà disceptatur, & navis libera declaratur. Mercatores H. nihilominus pecuniam secundum obligationem datam, à nauclero & ejus principalibus efflagitant primò in judicio Gothebergensi, ubi*

ver interlocutoriam res ita deciditur: quamprimum H. mercatores probaverint, pecuniam nauclero ab ipsorum factore esse numeratam, debere & eum & ejus principales illam H. mercatoribus cum debitis usuris refundere. ad cujus interlocutoriæ impletionem sex mensium spatium illis indultum est, quo elapso redeunt, & pecuniam sine ulla interlocutoriæ impletione iterum postulant, aut navem unà cum mercibus tanquam hypothecam loco pecuniæ. Repetitur in judicio interlocutoria, in eaque concluditur, & sententia fertur, à qua mercatores H. appellant ad Regium Iudicium Gothicum. Interim dilatione ad priorem interlocutoriam implendam & alia documenta afferenda data & elapsa, secundum Gotheburgenses pronunciatur, iique liberi & immunes ab intentione actorum declarantur, actores verò debere damni sui, si quod passi sunt, restitutionem à Factore repetere. Adversus hanc R. judicii sententiam Revisio à victis petita est, sed irrito conatu, cum sententia R. Iudicii Gothici sit ibidem confirmata, excepta solummodo litis expensarum adjudicatione.

CAP.

CAP. VII.

De Iactu.

I. Quid sit Iactus.
II. III. Quando & quomodo faciendus.
IV. In quibus rebus locum habeat.
V. Pro derelicto non esse habendum, quod quis salutis causa ejecit.
VI. De temerario aut lascivo jactu.
VII. Hominis in mare projecti pœna.

I. SI naufragii periculum in propinquo sit, solet ei, quum non aliud superest remedium, jactu occurri. *Iactus* nomen aliquando pro jactu retis, hic verò pro jactu mercium accipitur, qui navis levandæ caussa fit: aliàs *jactura* authoribus dicitur, ut fusius notavi ad Curtium; Sued. Kast.

II. Iactus faciendus non nisi metu præsente & justo naufragii, atque laborante nave *l.* 2. *D. ad leg. Rhod. de jactu.* Vani autem timoris justa excusatio non est nec restitutio *l.* 184. *D. de reg. jur.* ut si ex inani & non timenda re in animo meticulosi hominis pavor oriatur. Iustus autem metus est, si subita aut gravis procella tam

vehementer

vehementer jactet navem ut minetur naufragium, nisi jactu mercium alleyetur: hic necessitas imperat jactum; unde dicitur in l. 2 § 2. D. h. t. *tempestate gravi orta, necessario jactura facta erat*; aut si saxo vel fundo illidatur navis. exemplum inter alia habemus *Ionæ c.* 1. *v.* 5 & *Actor. c.* 27.

III. Siquidam vectorum ejicere merces velint, quidam recusent, plurium consensus hic obtinebit *c.* 11. *LL. Sued. de jure nautic.* Nam de majoris partis sententia jactum fieri, est consuetudinis nauticæ. Si verò ipsi mercatores ac vectores nolint in jactum consentire, vel absint, tunc si navarchus probet præsens periculum sociis navalibus, aut ipse unà cum gubernatore navis ac principe ministrorum nauticorum secundum Leges marit. V. Visby. aut secundum alios, ex consilio majoris partis nautarum consentiat in jactum, domumque reversus cum trinâ manu nautarum, jurato testari possit de præsenti periculo & necessitate, etiam invitis mercatoribus jactus fieri solet & potest. *art.* 20. *Iur. maritim. VVisbyens.* & *Statut. nautic. VVestcapell. Quintinus VVeitse de Contrib. p. m.* 464. *Vin. in Peck. ad leg. Rhod. de jact. pag.* 195. 222.

Idem

Idem observandum, si navis metu naufragii exarmari, malus vel anchora navis aut rudentes amputari debeant, *arg. l. 2. §. 1. in fin. ad leg. Rhod. de jact.*

IV. Prius autem ejiciendæ merces majoris ponderis & minoris pretii. Sallustius orat. vel. Ep. 2. de rep. ord. *Si quid advorsi coortum est* (in navigatione) *de illis potissimum jactura fit, quæ pretii minimi sunt.* Et prius merces navi clam inscio navarcho impositæ aut suppressæ, quam aliæ. *c. 13. LL. Suetic. de jure naut.* Indicanda etiam in tempore sunt bona cistis inclusa, antequam cistæ ejiciantur: quod nisi fiat, solæ cistæ quales extrinsecus apparent, non bona quæ in illis sunt, in æstimationem veniunt. *art. 40. Iur. marit. VVisb. Grot. Introd. jur. Holl. part. 29. vid. & in fin. c. 13. Iur. naut. Suet.* Propriæ quoque res potius quam alienæ, in quas nihil juris habemus, jaciendæ sunt. Si quis tamen rerum suarum servandarum caussa alienas in mare projiciat, tenetur magistro navis ex conducto, & hic ex locato tenetur iterum domino mercium: ut detrimentum proportione communicetur *l. 2. h. t.* non obstante, quod in *l. 14. D. de præscr. verb.* ulla actione

actione teneri negatur: quia fecit hoc ex magna & necessaria causa, nimirum se & navem cum suis mercibus servandi, non ex levitate & dolo. eatenus ergo non tenetur, quod colligere est ex istis legis verbis: *Si sine causa id fecisset, in factum, si dolo, de dolo tenetur.* AEquum tamen est, damnum ejus cujus merces jactæ sunt, contributione eorum, quorum merces servatæ sunt sarciri. *l.* 1. 2 *h. t. Vinn. in Peck. ad leg. Rhod. de jact. pag.* 196. 197. 198. *quem vide.* Si verò jaciantur alienæ merces, quas magister navis ex benevolentia & amicitia, nullum pro iis pactus naulum, transvehendas recepit, de iis non tenetur ut vult. *Statut. Prussic. lib.* 4. *tit.* 19. *art.* 2. §. 3.

V. Si quis jactum fecerit eo animo, ut si salvum fuerit, habeat, occupanti cedere nequit: quia jaciens non habuit animum derelinquendi. Itaque qui scit hoc & invenit, furti tenetur. Si verò hoc animo inveniens occupet, ut salvum faciat domino: aut si simpliciter vel derelinquendi animo jactatum (quod non facile præsumitur, nisi probetur *l.* 25. *D. de prob.*) occupet, furtum non facit: quod enim nullius est, cedit occupanti. *l. Falsus* §. *si jactum D.* *de*

de furt. Sed jactus levandæ navis caussa ex necessitate fit. Seneca: *Necessitas est, quæ navigia jactu exonerat*; nec jacientes hanc mentem habent, ut res jactas pro derelicto habeant, ideo dominorum eæ permanent §. 48. *Inst. de rer. div. Lyklama lib. 7. Membr. ecl.* 47. §. 1. sive mari extractæ, sive in littus ejectæ fuerint. Verum cum de hac re lib. 1. Iur. maritim. cap. 7. §. 6. fusius egerim, hic brevior ero.

VI. Hactenus de jactu qui necessitatis caussa fit. sed temerarius ac lascivus jactus est, si quis culpa vel dolo quid in mare ejecerit. Vt, si quis calicem alterius ex nave in profundum per negligentiam labi patiatur, aut nummos alteri excusserit, ut in flumen cadant, aut aliud quid de nave dejecerit, in factum actione, vel de damno dato tenetur *l.* 14. §. 2. *de præscr. verb. l.* 55. *in fin. de adq. rer. dom. l.* 27. §. 21. *ad l. Aquil. l.* 6. §. 3. *de his qui dejec.*

VII. Si quis hominem in amnem aut mare præcipitaverit, ita ut pereat, est poena capitis *c.* 14. *de vulner. volunt. Iur. Suet. civit.* Et Quintilianus declam. 350. *Si quis in aquas præcipitatus sit, eadem lege vindicabitur, qua ille qui ferro percussus sit.*

Si

Si non pereat, est poena pecuniaria *c. 3. de jure nav. Suet.* conf. *l. 7. §. 7. D. ad leg. Aquil.* §. 11. *Inst. eod.* Si quis alium cum armatis hominibus navi sua dejecerit, est vis publica; aut si mandarit per alium dejici; quæ vis intendit pœnam. *l. 1. §. 7. D. de vi & vi arm. l. 3. §. ult. l. 4. D. ad leg. Iul. de vi pub. Straccha part. 4. de Nav. n. 5.*

CAP. VIII.

De Contributione.

I. *De appellationibus, & re ipsa præsentis argumenti.*

II. *Ejus origo & æquitas.*

III. *Quotuplex sit.*

IV. V. VI. VII. *Qui & quando contribuere teneantur.*

VIII. IX. X. XI. *De æstimatione rerum, pro quibus contributio debetur.*

XII. *Retentio mercium pro contributione.*

XIII. *& seqq. In quibus casibus cesset contributio.*

I. QVando merces è navi ob dictam superius caussam jactæ sunt, damnum

num hoc contributione relevari solet. Hujusmodi *contributio* aliàs *tributum* vel *collatio*, mercatoribus Avarie nuncupatur, vel Haverie / non à Græco βα'ρος aut βάρος, ut putat VVeitsius in suo de contributione Tractatu, sed vel â Gallico *havre*, ut Boxhornius in epist. ad Vinnium derivavit, vel quod idem, â Teutonico Haven/ *portu*: unde & Haverey vel Haverie expresse in Statutis Hanseatic. de jure maritim art. 37. & in jure Hamb. part. 2. t. 16. a. 4. 7. dicitur. velut enim alias quasdam voces in foro mercatorum usitatas ipsis mercatoribus debemus, ita & hanc, ex ipsius rei occasione, ut solet, natam. Quid enim aliud est Avaria, quam id, quod ab his quorum merces & bona in *portum* salva delata sunt, in eos confertur, quibus merces & bona sua jactu perierunt? ut rectè observavit Boxhornius dicto loco. Firmat illud, quod in jure Lubec. lib. 6. tit. 2. de jactu dicitur: jactum æstimandum esse pro quota mercium, quanti æstimari possunt in *destinato portu*, als das Gut gelten möchte in der Haven dohin sie zu segeln bedacht waren / *ubi etiam statim solutio fieri debet*. quamvis autem contributio etiam pro

alio

alio detrimento, de quo postea, fieri possit, tamen præcipue ob jactas & deperditas merces fit: unde & Suedicè Kast-geld / Belgicè Werp-geld / Germ. Werff-geldt appellatur.

II. Hæc contributionis ratio primum lege Rhodia existimatur esse instituta, ex mente *legis* 1. *D. ad leg. Rhod. de jactu.* AEquitas tamen ejus evidens & naturali rationi consentanea jure scripto est antiquior: ut nimirum omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus damnum contigit; præsertim contributione eorum qui amissis rebus aliorum suas salvas retinuerunt alioqui perituras, atque in hoc facti sunt locupletiores. Idcircò etiam ab aliis gentibus approbata, in mores legesque eorum recepta est: ut & jure Suedorum *c.* 11.13. *de jure nautic.*

III. Contributio vel Avaria, ut vulgò vocant, duplex est, communis & grossa sive grandis, ut eam ex communi mercatorum stylo vel praxi dividit, & describit Vinnius *in Peck ad legem Rhod. de jactu pag.* 193. sequentibus verbis: *Avaria communis est* 1. *Pecunia quæ datur piscatoribus aut aliis personis locorum gnaris, ut navem salvam*

vam cum mercibus in tuto constituant. 2. *quod solvitur ab iisdem, dum prætervehuntur arces sive in fluminibus sive portubus.* 3. *quod solvitur pro navibus è flumine aut portu educendis.* Hæc contributio vel Avaria dicitur *communis*, quod *hæ impensæ sarciuntur communi contributione mercium pro rata valoris cujusque; navis autem ipsa in hanc contributionem non vocatur.* Avaria *grossa* vel *grandis* est, *cum quædam merces jaciuntur in mare levandæ laborantis navis gratia, aut armamenta navis, malus, anchoræ, rudentes, communis periculi removendi causa, dejiciuntur vel caduntur voluntate navigantium: atque hoc damnum contributione omnium, ipsius etiam nautæ resarcitur.* Vid. art. 12. 20. 21. 61. LL. VVisbyens. Quintin. VVeits. tract. de Avar. Grot. 3. introd. ad jurispr. Bat. 29.

IV. Omnes autem quorum interest jacturam factam esse, cum eâ vita, res & navis eorum servatæ fuerint, conferre oportet, sive ponderosas, sive leves merces, quibus navis non oneratur, ut, aureos nummos, gemmas, margaritas, annulos navi imposuerint, adeò ut ne vestimenta quidem alicujus excipiantur, puta quæ

cistæ

cistæ inclusa, aut pro sarcina sunt; nec alia quæcunque *cap.* 11.13. *jur. naut. Suet.* ne quidem res alienæ aut pignori obligatæ. *Vinn. d.loc.p.*232. Ratio est quod hoc tributum *ob servatas res* (ita emenda pro *observatæ res*) debent *l.* 2.§. 2. *ff. ad leg. Rhod. de jactu.* Quin ipse navis dominus proportione obligatur, quando navem suam habet salvam *cap.* 11. *LL. Svetic. de jure naut. d.l.* 2. *art.* 20. *jur. marit. VVisby.* Nautis vero ac ministris nauticis. Ius maritimum VVisbyense tantum unum vas immune relinquit *d. art.* 20. & ne quidem illud, si negligentiores fuerint in servanda nave. Quædam statuta non nisi certas illis sarcinas immunes à contributione concedunt.

V. Contributio ab omnibus præstanda est, non solum quando jactæ sunt merces, sed etiam quando navis pecuniâ numeratâ aut mercibus onusta à piratis aut hostibus expugnata vel capta, redimenda est: quia ista redemtio servavit navem cum numis & mercibus *l.* 2. §. 3. *de jactu.* Si ergo navem à piratis captam nauta redemerit, promissa certa pecuniæ summa, pro qua ipse interim captivus detineatur, liberandus erit communibus impensis, pro rata æstima-

æstimationis cujusque mercium & ipsius navis. *Vinn. ad leg. Rhod. de jact. pag.* 217. quod vero prædones uni vel alteri abstulerunt, is perdit cujus id fuit: cum res suo domino pereat, & casui fortuito imputetur. nec is confert, qui merces suas redemit. Hic enim particulare solum periculum est, ergo illorum tantùm, quorum res fuerunt, damnum erit. *d. l.* 2. §. 3. *in fin.* Si vero tota navis expugnata & redemta sit, commune est periculum & communis utilitas: itaque omnes ad redemptionem obligati erunt. *Klock. de Contribut. c.* 17. *n.* 302. *& seq. c.* 19. *n.* 337. Hinc etiam commune detrimentum per hostes aut piratas illatum, & quidem extra incuriam nautarum, secundum communem praxin computatur ut avaria vel contributio grandis, in omnes naves & bona. *Statut. marit. Hans. art.* 37. *Grot. Iur. H. p.* 22. Item si malus aut aliud navis instrumentum voluntate vectorum, vel ob metum naufragii cæsum sit, ut navis cum mercibus liberetur, æquitas contributionis habebit locum *l.* 2. §. 1. *in fin. l.* 3. *l.* 5. §. 1. *ad leg. Rhod. art.* 21. *LL. VVisb. c.* 35. *&* 43. *LL. Rhod.* Contributio quoque deberi putatur, si voluntate vectorum, aut

aut majoris partis consensu navis in littus impacta sit. *Vinn. d. loc. pag.* 208. aut aliàs casu fundo illisa sit *c.* 11. *Iur. Nautic. Sved.*

VI. Si navis pluribus mercibus onerata portum intrare nequeat, ideoque merces in leviorem navem aut scapham trajectæ sint, quæ submersa est, illi qui in navi reliquas merces salvas habent, hoc mercium damnum contributione sarcient: quia per hoc illorum merces servatæ sunt *l.* 4. *D. de jactu* & cum consensu mercatorum aut vectorum hoc factum præsumitur aut probatur *l.* 13. §. 1, *D. locati*. Si vero invito domino & absque necessitate, culpa nautæ merces in deteriorem navem translatæ sint, eaque navis cum mercibus perierit, cum nauta erit domino actio ex locato conducto *d. l.* 13. Aliud vero statuendum, si id sine dolo & culpa ejus factum sit *l.* 10. §. 1. *de jactu.* Sed hac de re plura inf. lib. 3. cap. 5. §. 7. Si navis in tempestate, jactu mercium unius mercatoris levata, in alio loco submersa sit, & aliquorum mercatorum merces per urinatores pro certa mercede extractæ sint, contributio præstabitur illi cujus merces jactæ sunt ab iis, qui postea per urinatores merces suas salvas receperunt *l.* 4. §. 1. *de*

jactu

jactu Paul. lib. 2. Sent. 7. §. 2. quia jactus factus est ob navim & residuas merces servandas. Atque si jactus non esset factus, mercator (cujus jactæ merces) commodum vel retinendi vel recuperandi in totum aut ex parte habuisset, ut reliqui mercatores: quod commodum ipsi per jactum est ademtum: ergo à reliquis pro portione resarciendum. *Quint. VVeitz. de contr. p.* 463. *col.* 1. ubi hoc in quotidiana praxi observari testatur.

VII. Hoc generatim notandum, duo hic concurrere debere, ut contributioni locus sit, jacturam rerum ex una parte, & conservationem rerum ex altera parte. eique cujus res jactæ sunt præstandam esse contributionem ab his quorum res per hanc jacturam servatæ sunt, ut ista contributione damnum eorum resarciatur. Vnde Paulus ait 2. Sent. tit. 7. §. ult. *Collatio intributionis ob jactum salva navi fieri debet.* Vtilitas quoque & æquitas suasit, ut quod de jactu cautum erat, interpretatione porrigeretur ad simile damnum ex alia caussa datum, *Vinn. d. loc. pag.* 206. Quo percepto, ut ait, non erit difficile de aliis quæstionibus quæ hic incidunt, judicare.

VIII. Res

VIII. Res autem jactæ sic æstimandæ sunt, ut tam salvæ quam amissæ res cum navi in æstimationem veniant, non quanti istæ merces emtæ sunt, sed quanti jam sunt (forsan adspergine minoris pretii factæ) & quanti bonorum peritorumque virorum arbitrio æstimari vendique possunt, deductis inde prius vecturæ & aliis necessariis expensis. *art.* 28. *LL. VVisbyensl.* 2. §. 4. *de jactu Vinn. d. lib. pag.* 219. 220. Quibus omnibus in unum collatis fiat contributio pro rata bonorum cujusque tam deperditorum quam servatorum. Hic autem proportio dupla observabitur, velut innuit *l.* 4. §. 2. *d. tit.* & pluribus explicat Balduinus in hanc legem. E. c. Ieci decem, tu tua servasti, quæ etiam sunt decem, Sejus sua quæ sunt viginti, & Sempronius sua quæ sunt quadraginta. In collatione ad sarciendum jacturæ damnum Sempronius mihi tribuet quinque, Sejus duo & unius dimidium: tu unum & alterius quadrantem: ego tantundem acceptum mihi feram. Sic contributio respondebit jacturæ. Sed alii eos simpliciter plus conferre volunt, quorum merces majoris pretii fuerint, *Anton. Matth. disp.* 21. *de Locat. th.* 19.

Hoc

Hoc quoque usu observari notat VVeitsius in Tract. de Avaria, ut, si jactura mercium facta sit, antequam dimidum itineris navis confecerit, amissæ merces non pluris æstimentur, quam quanti emtæ sunt. dimidio vero itinere jam superato, eo æstimentur pretio, quo venditæ fuissent loco destinato. Idem moribus Belgarum, Britannorum & Francorum dudum observatum notant viri docti & communi consuetudine nonnihil recessum esse à distinctione Iuris consulti in *l.* 2. §. 4. ad dictam legem Rhod. de jactu, textumque ad usum communem accommodandum videri. Sed & malus, anchora aut rudentes necessitatis causa cæsæ, ut jactæ merces æstimabuntur, secundum jus maris VVisbyense *art.* 21. Nummorum æstimatio fiet secundum internam bonitatem. *Grot. par. 29. introd. jur. Holp. p.* 86.

IX. In gravi tempestate jacta est cista in qua mercator ait pretiosas gemmas fuisse reconditas, quomodo inde æstimatio & contributio facienda erit? Hic inspiciendum erit instrumentum contractus nautici quod *charte partie* vocant, & rationarium scribæ nautici, quantum pro vectura sol-

verit dominus illius cistæ, pro quanta mercede locarit & ubi deposuerit in navi, à quo inclusas gemmas emerit, quantum vectigal pro iis expenderit, cum similibus circumstantiis; & in tantum æstimanda erit ejus arca. Alias si de contentis in arca nihil constet, nec dominus ante jactum ea indicaverit magistro navis, tunc in censum communium bonorum venit, & ut extrinsecus apparet, velut cista solum æstimatur. *art.* 40. *jur. mar. VVisby. Quint. VVeit. tract. de Avar. sup. c.* 7. §. 4. Quod vero lex Suetica in c. 13. de jure naut. vult jacta bona cistæ inclusa æstimari & contributione sarciri, ut præsentem pecuniam; hoc interpretandum videtur secundum *caput.* 11. *eod.* ut æstimentur pro rata vel quota, epter Marktatali / ut ibidem in genere de omnibus jactis dicitur, & quatenus de illis constat; aut jurato vel per alia documenta adseritur.

X. Si magister navis ex Hispania veniens nondum plenam onerationem (Lasding) habeat, ad quam explendam recipiat in Anglia pannos, quos unà cum mercibus Hispanicis coactus fuit jacere, quæritur an domini mercium Hispanicarum, qui

nihil

nihil participarunt ex pannis Anglicis, postea in navem receptis teneantur contribuere in prædictam jacturam? Quod affirmatur, si fecerit hoc volentibus dominis mercium Hispanicarum & cæteris sociis. Si vero fecerit hoc magister navis illis invitis ac protestantibus de casu & damno extra cursum & viam ordinariam dato, inde tenebitur ipse magister navis. *VVeitse p. 465. col. 1.*

Si vero mercator pro plena mercede totam navim conduxerit, cum ea conditione, ut magister navis alias merces non recipiat in navem, quam ipsius: magister autem navis nihilominus quasdam sarcinas aut merces acceptarit, easque in foris navis collocarit, quas postea coactus est jacere, quæritur num conductor navis ad earum contributionem teneatur? Teneri videtur, quia ejus merces per jacturam sarcinarum in foris positarum salvæ manserunt, quæ tamen in communi periculo fuerunt. Ex quo enim sunt commoda, ejus incommodum ferre æquum est, ut ait Bacchis apud Terentium. Quintinus VVeitsius hic adfert exemplum de duobus convivis qui solvere tenentur hospiti

sumtus convivii, licet de eo expresse non convenerit. quod tamen non satis appositum videtur. Contribuenti tamen datur reconventio adversus navis magistrum, quod contra pactum venit. quamvis enim magister navis possit aliquid in sua navi facere, quod in pacto non est expressum, modo faciat sine damno & periculo alterius: non tamen in præjudicium tertii qui jus quæsitum habet, facere potest. *vid. Quintin.* 465.

XI. Etiamsi corpora hominum libera nullam recipiant æstimationem. *l.* 2. §. 2. *ad leg. Rhod. de jactu*, tamen si quis in ministerio navis aut conflictu cum piratis aut hostibus, læsus, vulneratus aut occisus fuerit, hujus detrimenti reparatio cum plena mercede & vectura sumtibusque sepulturæ computari, & communi contributione navis & mercium sarciri solet, ex arbitrio bonorum & peritorum virorum. *art.* 37. *Statut. marit. Hanseatic. art.* 28. *leg. naut. Caroli V. art.* 2. *leg. nautic. Philippi* 2. *Reg. Hisp. de jactu. Vinnius ad leg. Rhod. de jact.* 213. Si vero eo debilitatis sit redactus miles vel minister nauticus, ut victum sibi quærere non amplius possit, ex publi-

co

co aletur. *d. art.* 37. *LL. marit. Hanseat.*

XII. Quamvis illi quorum merces jactæ sunt nullam eo nomine actionem habeant adversus cæteros, quorum simul cum nave merces servatæ sunt: quia nullus hic contractus aut quasi contractus initus est, neque delictum admissum; tamen contra magistrum navis ex locato agere possunt ratione locationis mercium vehendarum: & is cum aliis quorum merces salvæ sunt, ex conducto, ut eorum merces retineat donec portionem damni pro rata præstent. aut, si adsint qui nullas merces vel sarcinas in navi habeant, tamen magister navis cum ipsis agere potest, quatenus locum in navi conduxerunt, ac mercedem pro sui transvectione promiserunt. Licet vero dicatur: qui non habet, quod perdat, ejus periculo nihil est *l.* 12. *D. de furt.* ideoque nulla actione teneri videantur; tamen vitam vel corpus perdere poterant, quod servata navi servatum est. atque si non aliud, tamen vel colligata vestimenta, vel pecuniam secum in itinere habebunt, cujus nomine pro rata conferent. Ius autem retentionis hic æquissimum est: ne si nauta singulos vectores persequi deberet, con-

tributio eludatur: cum sint homines plerunque ignoti, & qui alio properent, & nave egressi diffluant ac diffugiant *l.* 2. *D. ad leg. Rhod. de jactu, & in eam fusa interpretatio consulenda Balduini, Peckii, Vinnii, Cujacii* 3. *Obs.* 2. Si quis autem ex vectoribus solvendo non sit, hoc detrimentum magistri navis non erit; nec enim fortunas cujusque nauta excutere debet, *l.* 2. §. 6. *d. tit.* quod ita accipiendum est, non solius magistri navis, sed commune omnium detrimentum fore, qui in navi fuerunt, & ex lege Rhodia ad contributionem vocantur. *Vinn. d. loc. p.* 235.

XIII. Reliquum est ostendere, in quibus casibus cesset contributio. Et primò dubium esse potest, si jactu facto alicujus res quæ in navi remanserunt, aspergine vel effluxu deteriores factæ sint, num & ille conferre cogatur? Primo intuitu non videtur debere conferre; ne afflicto addatur afflictio, duplicique oneretur damno & collationis, & quod res ejus deteriores factæ sunt. Defendendum tamen est, hunc conferre debere, quia præstat rem deteriorem, quam nullam habere, & quidem conferre pretio præsente rerum, id est æstimatis

matis rebus, quanti hodie sunt, non quanti erant, cum navi imponerentur. E.c. Si viginti aureorum merces duorum fuerint, & alterius res aspergine vel effluxu deteriores factæ decem esse cæperint, ille cujus res integræ sunt, pro viginti conferet, hic pro decem. Ita fiet, ut non afficiatur duplici damno is cujus res deteriores factæ sunt, cum non nisi detracto deteriorationis pretio conferat. Inprimis tamen inspiciendum est & distinguendum, ex qua caussa deteriores factæ sint, an propter jactum, & sic collationi pro rata æstimationis locus erit (nam & quod deterius fit, ex parte perit. *l.* 9. §. 3. *ad exhib.* & totum tamen perditum non est) an vero culpa nautæ, quod non bene stiparit & picarit navem, aut non diligenter asservarit merces, nec contra asperginem marinam ciliciis bene texerit: aut, si navis sentina nimis oppleatur, non statim significet iis qui merces in navi habent, ut eas exponant; aut sentinam in tempore non exhauserit: hic contributioni locus non erit, sed nauta cum exercitore tenebitur. *c.* 34. *leg. nautic. Rhodior. &c.* 38. Præterea distinguendum, an plus sit in collatione an damno contri-

buentis. Pone mercatorem conferre debere decem aureos, si damnum datum non fuisset; damnum autem adspergініs æstimari duobus aureis; hic plus est in collatione quam damno. Igitur deductis illis duobus aureis, conferre cogetur octo. Si vero damnum sit decem aureorum, collatio duorum, hic quia plus est in damno, quam collatione, dicendum est, eum conferre non debere. Sed ei potius subveniendum esse,& in eum pro rata conferendum, qui deteriores ob jactum res habere cœperit, ab illis qui res suas servaverint. prout hæc late Papirius Fronto & Callistratus exsequuntur in *l.* 4. §. 2. *ad legem Rhod. de jactu.*

XIV. Si jactum fieri necesse sit, quod magister navem plus æquo oneravit, aut perperam collocavit merces in foris, hoc detrimentum non sarcietur communi contributione, sed ad exercitorem & magistrum navis pro rata pertinebit *arg. l.* 27. §. 23. *D. ad leg. Aquil. l.* 30. §. 2. *D. locat. Grot. introd. jur. H.* 3. 29. *Vinn. ad Peck.* 236. Solius vero exercitoris damnum erit, si ejus voluntate & periculo merces foris imposuerit magister navis, hic tamen quod in

hoc

hoc consenserit, nec foros puros & non impeditos reliquerit, pro parte mulctabitur.

XV. Si per imperitiam, aut non adhibito perito loci ductore scopulis illisa navi jactus sit faciendus, id damnum erit magistri navis. *Vinn. ad legem Rhod. de jact. p.* 236.

XVI. Cessat præterea contributio, si nave à piratis expugnata aut capta merces promiscue & sine delectu á piratis vi raptæ sint, perdit enim quisque quod ejus fuit: quia nec voluntate aliorum amisit, nec ipse volens. *l.* 2. §. 3. *de jactu & ibi Accurs. vid. sup.* §. 5. nisi aliud convenerit. Sed si nauclerus inducat piratam ad specialia bona rapienda, & alia relinquenda, contribuendum erit nomine ablatorum: quia propter demonstrationem raptarum mercium alii consecuti sunt, ut suas salvas haberent. *Quintin. VVeits. de contrib. p.* 462.

XVII. Cessat collatio, si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut à magistro navis exarmata, non requisito consensu vectorum, nec instante periculo naufragii. dissimilis enim earum rerum causa est quæ navis gratia parantur, & earum

pro-

pro quibus mercedem aliquis accipit. Nam etsi faber incudem aut malleum fregerit, non imputabitur ei qui locavit opus l. 2. §. 1. *de jactu.* Eadem ratio est, si navis quæ adversa tempestate aut ictu fulminis depressa, deterior reddita, aut armamentis quibusdam exuta alio naviget, ibique onus recipiat, hi quorum onus est, nautæ pro damno non conferent. Si enim finis harum impensarum respiciatur, magis navis instruendæ quam servandarum mercium caussa factæ sunt *l. 6. d. tit.* Veluti si faber malleum, aut architectus securim fractam refici curaverit, hoc faciet suis, non conductoris operæ sumtibus.

XVIII. Cessat porro contributio, si res jactæ, postea salvæ apparuerint aut restitutæ sint, vel naufragio liberatæ sint; etiamsi navis perierit. Contributionis enim æquitas tunc admittitur, cum jactus remedio cæteris in communi periculo, salva nave, consultum est *l. 5. de jact.* & quod quisque ex naufragio servat, velut ex incendio sibi servat *l. 7. eod.* Si vero jam contributio facta sit, illi qui contribuerunt agent ex locato cum magistro navis, ut is ex conducto experiatur, & quod exegerit, reddat *l. 2 §. 7 d. tit.*

XIX. Si

XIX. Si navis jactu levata postea nihilominus tempestate pereat, nihil contribuendum est, nisi merces perditæ extrahantur. Contributioni enim locus nisi salvis rebus esse non potest quibus deperditis perinde ab obligatione pactus liberantur vectores, atque debitores interitu speciei. *VVesenbec. paratit. ad leg. Rhod. de jactu n.* 5. *ex l.* 23. *de V. O.* hic tamen lex 37. *de V. O.* magis est accommodata, quam lex 23. *eod.* à VVesenbecio citata.

XX. Si scapha, in quam pars mercium, navis onustæ levandæ caussâ (de quo casu sup. h. cap. §. 6.) trajecta est, cum istis mercibus salva sit, & navis perierit, contributio non habet locum, sed tunc demum, cum per jactum navis servata est *l.* 4. *vers. contra si scapha ff. de jactu.* Navi autem amissa collationi locus non est. Eorū enim merces non possunt videri servandæ navis causa jactæ esse, quæ periit *l.* 4. §. 1. *l.* 1. *D. eod.* Et hoc est quod Paulus ait lib. 2. Sent. t. 7. *Nave perdita, conservata cum mercibus scapha ratio non habetur.*

XXI. Cessat denique collatio in cibariis quæ quis in itinere consumendi caussa navi imposuit; quæque, si alia cibaria in

navigatione defecerint, necessitatis caussa in commune conferenda sunt. *l.* 2. §. 2. *de jactu. Grot. de jur. b. e. p.* 2, 2, 6. Sed & contributio cessat in necessariis vestibus, quas quis corpore suo gestat, & quæ ordinario cultui & amictui corporis serviunt exceptis monilibus & aliis hujusmodi. *Vin. ad leg. Rhod. de jact. pag.* 213. Cui plura de hoc argumento scire lubet, adire poterit Quintin. VVeitsii Tractatum de Avaria Belgicè scriptum, quamvis inde potiora excerpta, suisque locis inserta, & communi usui applicata sint.

IOH.

JOH. LOCCENII DE JURE MARITIMO ET NAVALI

LIBER TERTIUS.

CAPUT. I.

De Dominio rerum & seorsim de Specificatione, Usucapione & Usufructu.

I. De divisione rerum & modis adquirendi, qui huc faciunt.
II. Quid Specificatio hic.
III. Disquiritur, quisnam sit navis dominus, an qui ædificavit, an vero dominus tabularum.
IV. Num navis, an singulæ tabulæ usucapiantur.
V. De usucapione & præscriptione plura remissivè.
VI. Usum fructum à navi separari posse, & quamdiu duret.

I. EXtremum hujus opusculi laborem Lector mihi concedet, ut viâ maris aperta

aperta & tuta, qua datur, exponam quid a mare navigantibus ac negociantibus, vel proprietatis adquirendæ, vel mutuæ obligationis causa exerceri & contrahi jura dictent ac permittant. Dominium rerum quod ex possessione est, vel jure naturæ & gentium, vel jure civili quæri, notum est. Iure naturæ & gentium inter cetera res sunt vel communes, ut in nostro argumento mare & littora maris: quæ natura in hunc usum produxit: vel publicæ, ut flumina, ripæ & portus, quoad usum navigandi, piscandi & alia faciendi in illis, quæ usus licitus permittit: vel singulorum, quæ variis modis adquiruntur, inprimis ex nostro instituto, occupatione in bello, inventione in littore, accessione insulæ, alluvione & specificatione. Vel jure civili adquiruntur, ut usucapione, usufructu, donatione mortis caussa, hæreditate, legato, obligatione, quatenus de his peculiaria jura condita sunt. Quomodo dictæ res communes vel publicæ sint, ex occasione jam exposuimus *lib.* 1. *cap.* 3. 4 6. 8. 9. 10. quomodo singulorum fiant bello, dictum *lib.* 1. *cap.* 4. §. 1 4. 8. 11. quomodo inventione, accessione alluvione, dictum *lib.* 1.

cap.

cap. 6. §. 10. Restat ut de reliquis adquirendi caussis in hoc lib. III. agamus, & quidem in hoc capite de Specificatione & Vsucapione.

II. Specificatio vulgo dicitur, quæ est speciei novæ confectio, sive ex materia nostra sive aliena, ut si navis ex nostro ligno aut tabulis, vel alienis fiat. Illa navis quam ex propriis tabulis quis fabricat, haud dubie fabricantis propria est: quum materiam & speciem addiderit. Navis itidem, quam quis partim ex sua, partim aliena materia exstruit, est exstruentis: quia & formam rei & partem materiæ contulit; & navis ad arbores reduci nequit. *Gothofred. ad l.* 61. *D. de rei vindic. Rittershus. ad* §. 25. *Inst. de R. D.*

III. Si vero navis ex alienis tabulis ædificata sit, disceptatur inter Iuris consultos, num ædificantis sit, an vero domini tabularum §. 25. *Inst. de rerum divis. l.* 61. *de rei vindic. l.* 7. §. 7. *l.* 26. *de acq. rer. dom.* Alii aliter decidunt. Hæc tamen distinctio & decisio simplicior & veritati magis consentanea videtur: Vel navis ex aliena materia tantum reficitur, & manet reficientis [salva tamen æstimatione tabularum domino

domino præstanda) quia hic non fit nova species sed manet vetus; ut neque ædes per partes refectæ aliæ sunt; & proprietas totius navis carinæ velut fundi caussam sequitur. Vel navis ex aliena rudi materia fit nova, & est fabricantis, vel ex tabulis jam navi faciendæ destinatis exstruitur, & est domini tabularum, qui eam qualitatem per suas tabulas indidit navi, salvis tamen impensis exstructionis in factum actione petendis. Quæ hic ultro citroque ab aliis solent moveri, prolixé non repetam. De his inspici possunt *dd. L L.* & *Lyklama lib. 7. Membranar. eclog.* 11. *Stypman. part.* 4. *Jur. marit. cap.* 1. *n.* 15 & *seqq. fuse.* Grotius generatim, si alterius sit materia, alterius species, rem communem fieri pro rata ejus quanti unum quodque est; idque naturali rationi convenire statuit *de jure bell. & pac.* 2, 8, 19. nisi tamen aliter convenerit.

IV. Navem quoque usucapi posse tempore à lege præscripto, constat ex *l. Rerum D. de usurp.* in qua *navis* inter corpora usucapi idonea refertur. Si vero navis ex alienis tabulis exstructa dissolvatur, eas a domino vindicari posse putant nec ad usucapien-

capientem pertinere. Velut ædes possidens eas usucapere dicitur, non singulas res ex quibus ædes constant: His enim separatis universitas ædium intelligi nequit, ut est in *l.* 23. *de usurp.* Si quis vero post dissolutionem usucapere velit, ex integro tabulas possideat necesse est: ut tempore quod in usucapione rerum mobilium præfinitum est, usucapiantur *arg. l.* 23. §. 2. *de usur. Stypm. p.* 4. *c.* 1, *n.* 145. *& seqq.* Illud tamen argumentum à domo ad navim non semper quadrat, uti Stypmannus dicto loco *n.* 182. *& seq. & n.* 187. ostendit. Si verò novæ tabulæ veteri carinæ aut corpori navis accesserint, ei cedunt *l.* 26. §. 1. *de adq. rer. dom.* Ita tamen ut domino pro tabulis satisfiat.

V. Quomodo vero flumina tempore memoriam hominum excedente præscribantur, per occasionem dictum est *lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. Item quomodo res naufragæ derelictæ usucapiantur, ostensum *lib.* 1. *cap.* 7. §. 6. Et jus piscandi longo usu acquiritur, *lib.* 1. *cap.* 9. §. 5. Ius Stapulæ quomodo præscriptione memoriam hominum egressa quæratur, expositum est. *lib.* 1. *cap.* 10. §. 8. quo Lectorem remitto.

VI. Pro-

VI. Proprietas navis non solum adquiri, sed etiam ususfructus ab ea separari, & in alium transferri potest, tam inter vivos *l.* 10. §. 7. *quibus modis ususfr. a.* quam suprema voluntate aut legato *l.* 12. §. 1. *ff. de usufr.* ut in navigando serviat personæ; non impediente, licet naufragii periculum sit metuendum *d.* l. 12. Huiusmodi ususfructus tamdiu durat, donec navis superest, quæ quamvis per partes refecta fuerit, ususfructus non interit *d. l.* 10. §. 7. *Stypm. d. loc. n.* 193. *& seq.* Si autem dissoluta sit, licet iisdem tabulis, nulla præterea adjecta, restauretur, ususfructus exstinguitur *d. l.* 10. §. 7. *quib. m. usufr.* quia dissolutione totius rei substantiæ, ususfructus interit. Plura de ususfructu in *cap. seq.* §. 13.

Caput. II.

De Donatione mortis causa, Testamento, Legato nautico & Successione.

I. Ordinis ratio.
II. Quæ donatio mortis caussa.
III. Quotuplex.

IV. Condi-

I. UT ordo *cap. 1. hujus lib.* III. §. 1. præscriptus monet, de Donatione, præsertim quæ mortis caussa fit, Testamento, Legato, & Successione breviter hic, quantum nostrum admittit institutum,

tum, & jura de illis singularia quædam tradunt, agemus, reliqua ex communi jure, quæ hic repeti nihil necesse est, recognosci possunt.

II. Mortis caussa donatio est, quæ fit in eventum mortis, vel, ut in jure describitur, quæ fit propter mortis suspicionem, cum quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is qui accipit. In summa mortis causa donatio est, cum magis se quis velit habere, si supervixerit, quam eum cui donat; magisque eum cui donat, si moriatur donans, quam heredem suum. §. 1. *Inst. de donat. l.* 1. *D. de mort. caus. donat.* Quod Iurisconsultus ibidem illustrat exemplo Homeri ex Odyssææ lib. 17. de muneribus Menelai, quæ Telemachus donat Piræo.

III. Hujus donationis tres species fecit Iulianus lib. XVII. Digestorum: 1. cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. 2. Cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis. 3. Si quis periculo motus non sic dat, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit insecuta. *l.* 2. *D. de mort. c. don.*

don. Præterea mortis cauſa donare licet non tantum infimæ valetudinis cauſa, ſed periculi etiam propinquæ mortis vel ab hoſte vel prædonibus vel ab hominis potentis crudelitate aut odio, aut *navigationis ineundæ* cauſſa *l. 3. eod.* de qua hic proprie ſermo eſt.

IV. Si quis ergo mortis cauſſa donans, in itinere maritimo deceſſerit, huic donationi locus erit. Non enim videtur perfecta donatio mortis cauſa facta, antequam mors inſequatur, ut dicitur in *l. 32. D. h. tit.* Si vero ſalvus ex navigatione domum redierit, donatio hæc revocatur, niſi cum ea conditione facta ſit, ut nullo caſu ſit ejus repetitio *l. 13. §. 1. in fin. l. 35. §. 4. d. tit.* ſed hic cauſa donandi magis, quam mortis cauſa donatio, & inſtar donationis inter vivos eſt *l. 27. d. tit.*

V. Poſt donationem mortis cauſſa, de affini materia legatis, tum etiam de hæreditate ſuccinctè pro inſtituto noſtro agemus. Sed de hac prius. Hæreditatis duplex eſt conditio: vel enim ex teſtamento, vel ab inteſtato ad nos pertinet. Teſtamentum à nautis in navi quoque modo factum, ratum erit, illi enim jure militari teſtari poſ-
ſunt:

ſunt; cum nautæ in claſſibus ſint loco militum *l. un. §. 1. D. de bonor. poſſeſſ. ex teſtam. mil.* idcirco eodem hic privilegio gaudent, quo milites & quæ de militari teſtamento jura tradunt, etiam huc commodè referri poſſunt.

VI. Veruntamen ut conſtet de ſeria ac deſtinata voluntate teſtantis nautæ, ſive in ſcriptura ſive nudis verbis expreſſa, ea probabitur aſſertione hominum ad hoc ab ipſo convocatorum *arg. §. 1. Inſt. de teſtam. mil.* aut, ſi de illa dubitetur, jurata eorum aſſertione, jure Sued. *arg. c. 17. de jure præd. X. in LL. civit. & Revis. LL. Sued. ſub Carolo 9. ad caput. 7. dicti tit.*

VII. Cum donatio mortis cauſſa legaris in teſtamento relictis quoad effectus connumeretur *l. 4. Cod. de donat. cauſa mortis.* æque legatum ſubſiſtit, atque donatio mortis cauſſa, ſive quis navem, ſive fructus ejus, ut naulum leget *l. 39. §. 1. de legat. 1.* aut vecturam *l. 29. de hær. pet. l. un. Cod. de rei ux. act. §. 7.* aut corpora nummorum aut rerum in arca *l. 51. D. de legat. 1.* Sive quodcumque aliud, modo fiat in præſentia teſtium, atque ſic non opus habet inſinuatione *d. l. 4. C. de don. c. m.*

VIII. Nave

VIII. Nave legata, quæ postea dissoluta est, neque navis neque materia debetur *l.* 88. §. 2. *de legat.* 3. quia velut esse desiit. *Gloss. hic.* & separatione ac dissolutione compositorum ex quibus navis constat, ipsum corpus intelligi nequit. Et testator ipso facto voluntatem suam hic mutasse præsumitur. Cujacius ad African. *tract.* 5. *p. m.* 437. hanc rationem succinctè affert: *Navis*, inquit, *legata est non materia*; *& dissolutione navis prorsus interiit.* Si vero manente eadem carina, navis alicujus specialiter legata aut promissa & per partes tota resoluta & refecta sit, nihilominus navis rectè vindicabitur *l.* 24. §. 4. *de legat.* 1. quia navis hic cedit carinæ, tanquam principali subjecto & fundamento suo quo Plautus alludit in Mil. glor. a. 111 f. c. 111. ubi *bene fundatam & statutam carinam describit.* Sed & corpus idem esse non desinit, manente specie; etsi partibus mutatis *l.* 76. *D. de judic. l.* 98. §. 8. *D. de solut. Basilic. lib.* 53. *tit.* 4.

IX. Num lignis legatis etiam asseres & tigna ad ædificandam navem parata continebuntur? Non videntur, nisi hoc voluisse testatorem constet. Lignum enim, pro-

prie & strictè loquendo, comburendi causa comparatum est *l.* 55. *de legat.* 3. *&* §. 5. Sed si materia legata sit, quæ ad ædificationem navis necessaria est, aliud dicendum. Si vero materia legata, navis ex ea facta sit, non vindicabitur *l.* 88. §. 1. *eod.* Aliud enim est materia, aliud compositum aut constructum ex materia.

X. Naves etiam in instrumento fundi, vel instructo fundo legato continentur, quatenus exportandorum fructuum causa comparatæ sunt *l.* 12. §. 1. *ff. de instruct. vel instr. leg.* Instrumento piscatorio legato non solum retia, nassas & fuscinas, sed navicellas quoque contineri Aristo ait, quæ piscium capiendorum causa comparatæ sunt *l.* 17. §. 1. *de instr. leg.* non vero piscatores, ut olim *d. l.* cum liberi homines, aut servi, quales hodie, non sint in bonis nostris, ideoque alienari nequeant. *conf quoque l.* 27. *eod.* Num vero nave instructa legata, scapha quoque contineatur, *vid. sup. lib.* 1. *c.* 2. §. 6.

XI. Legati conditiones in futurum tempus proprie conferuntur. Nulla est proprie conditio quæ in præteritum aut præsens tempus confertur, ut: Si navis in

portu

portu stat. *l.* 10. §. 1. *De condit. inst.* nam si conditio vera non sit: non valet; si vera sit, statim tenet. quæ enim per rerum naturam certa sunt, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. §. 6. *Inst. de verb. oblig. l.* 37. *D. de reb. cred.* Pone ita legatum esse: *Si navis ex Asia venerit*, & ignorante testatore navis venerit ex Asia; testamenti facti tempore, pro implera habebitur. l. 2. *l.* 10. § 1. *D. de cond. & demonstr. vid. & sup. l.* 2. *c.* 5. §. 9. *in fin.* Cum quis simpliciter aliquid promittit, ut *dabis navem? dabo*, est pura stipulatio, sed cum in casum suspenditur, est conditionalis, ut dabis navim, si ex Asia venerit. De hujusmodi conditione plura in *l.* 129. *de V. o. l.* 44. §. *ult. de O. & A. l.* 46. §. 2. *de evict. l.* 33. *l.* 59. §. 6. *de hered. instit.* & alibi: item de reliquis conditionum qualitatibus & effectu Stypman. *p.* 4. *Iur. mar. cap.* 6. *n.* 5. 6. 7. *seqq.* Item de Sponsione mercatorum, de qua alibi.

XII. Non omnis conditio, quæ testamento aut legatis adjecta est, statim implenda est; nisi talis sit, quæ impleri debeat. Etiamsi enim suprema defuncti voluntas pro lege sit habenda, quatenus juri

L &bonis

& bonis moribus est consentanea: non tamen inhumanæ aut inhonestæ conditioni parendum est *l.* 14. 15. *D. de. cond. instit.* E. c. quidam in suo testamento hæredem scripsit sub tali conditione, *Si corpus ejus in mare abjiciat.* quærebatur, cum hæres institutus conditioni non paruisset, an expellendus esset ab hæreditate? Modestinus respondit, laudandum esse magis, quam accusandum hæredem, qui corpus testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abjecit, sed memoria humanæ conditionis sepulturæ tradidit *l.* 27. *D. de cond. inst.* ubi sic notat Gothofredus: *Conditio inhumana, quæ humanitati contraria est, tanquam juri contraria spernitur.* Aliud vero statuendum erit, si aliud more maritimo, non jam dicam quam recto, observetur, aut si navi in remoto loco versante, contagionis aut morbi periculum ex fœtore cadaveris diu insepulti in navi jacentis metuendum sit. Ita Franciscus Dracus Anglus, qui totum orbem circumnavigarat, cum tandem in itinere Americano fatis concessisset, nautico funere in mare tormentis displosis demissus est eo fere loci ubi primum fatis monstratus secundis successibus

cessibus

cessibus inclarescere cœpit; ut refert Camdenus in Historia Elisabethæ ad annum 1595.

XIII. Quod naufragio perit, hæredi non legatario perit, si modò legatarius culpa careat *l. 30. ff ad leg. Falcid.* Si navis usus-fructus alicui legatus sit, quæ postea naufragio deperdita sit, nihilominus præteriti temporis fructus â die aditæ hæreditatis debebuntur legatario *arg. l. 12. §. 1. D. de usufr. arg. l. 62. de rei vindic. l. un. § 2, 4. D. quando dies ususfr. leg. ced.* Sed si alternativè ususfructus rei vel corporis, aut si navis ex Asia salva venerit, decem legata sint, non prius petet usumfructum quam conditio existat vel deficiat: ne potestas hæredi utrum velit dandi auferatur *l. 21. D. de usu & usufr.*

XIV. Si conjuges & liberi naufragio perierint, & incertum sit, quis eorum prior extinctus sit, viri hæredes viro, uxoris uxori succedent in bona *c. 6. Iur. Suetic. de hæred.* Masculi tamen, ut fortiores, diutius vixisse præsumuntur. *Conf. l. 9. l. 22. 23. de verb. dub. l. 17. §. 7. ad Sc. Treb. l. 26. de pact. dotal. Carpzov. Iur. for. 3. 17. 10. Finkeltaus Obs. pract. 52.*

XV. Si quis navicularius sine testamento & liberis vel successoribus defunctus sit, hæreditas ejus jure R. non ad fiscum, sed ad corpus naviculariorum, ex quo fatali sorte subtractus est, defertur. *l.* 1. *Cod. de hæred. decur.* quod est singulare juris Romani. Cetera communi juri successionis conveniunt.

XVI. Navis inter cohæredes communis, uni attribuenda est: quum absque dispendio divisionem non recipiat, reliquis æstimatione suarum portionum adjudicata; ut solet in communi dividundo. *de quo vid. sup. lib.* 1. *cap.* 2. §. 6. *plura.*

Cap. III.

De Contractibus nauticis, qui re fiunt.

I. De Obligatione.

II. Credens aut mutuò dans pecuniam in navim armandam aut reficiendam, an ius tacitæ hypothecæ habeat.

III. Credentis in cibaria nautarum, & in merces sibi obligatas privilegium.

IV. Mu-

IV. Mutuum naufragio aut incursu piratarum perditum restituendum.

V. De diligentia in servanda navi aut scapha commodata.

VI. Duobus nave commodata, singulos in solidum teneri.

VII. Num casus fortuiti in re naviganti commodata sint præstandi.

VIII. Num in naufragio res commodata aut deposita præferenda sit propria.

IX. De deposito naufragii causa.

I. A Donatione mortis causa, testamento & successione descendimus ad obligationem magistrorum navis & vectorum, vel ex contractu vel delicto. Sed de contractu prius, qui præcipuè vel re vel consensu fit. re, ut mutuum, commodatum; depositum, pignus. Consensu, ut emtio venditio, locatio, conductio, societas, mandatum; velut ex elementis juris liquet. Sed hæc non ulterius, quam præsens materia postulat, quamque leges de eodem argumento suppeditant, tractabimus reliqua ex communis juris usu circa contractus petenda sunt.

II. Quamvis communis ferme sit opi-

nio, eum qui in navem armandam aut reficiendam credidit aut mutuo dedit, jus tacitæ hypothecæ habere, tamen, ubi lex expressa deficit, haud temerè asserendum est. Nam *l*, 5. *D. qui pot. in pign. & l.* 34. *D. de reb. autht jud. poss.* dant solum privilegium personale credentibus pecuniam in navem armandam aut reficiendam, quo præferuntur aliis creditoribus chirographariis. *l.* 26. *l.* 34. *D. de privil. cred. l.* 5. 6. *D. qui pot. in pign. Nov.* 97. *cap.* 3. Nec obstat *l.* 1. *D. in quib. c. pign. t.* non enim procedit argumentum à credito in restitutionem collapsarum ædium, in quo publici decoris & ornamenti urbis contemplatio versatur *l.* 2. *C. de ædific. priv.* ad creditum in refectionem navis. Sed aliud statuendum erit, si expressum & speciale pactum de hypotheca accesserit. *l.* 5. *qui pot. in pign. l.* 7. *Cod. eod & fuse ac nervosè Vinnius ad Peckium in tit. de Exerc. act. pag.* 100. *& ad leg. Rhod de jact. pag.* 233. 234. Iure tamen Hamburgensi datur in hoc casu beneficium tacitæ hypothecæ, *part.* 2. *stat. Hamb. tit.* 4. *art.* 14. *& t.* 5. *a.* 7. Sed hoc est juris merè positivi. Alias ex consuetudine Belgarum instrumentum pecuniæ in navem

exstruendam

exstruendam vel instruendam creditæ præfertur instrumento fœnoris nautici, *vid. Vinn. ad Peck. pag.* 95.

III. In cibaria nautarum credens, sine quibus navis salva pervenire non potest, etsi posterior, potior tamen est priori creditore chirographario *l.* 6. *D. qui pot. in pig.* Item si quis in merces sibi obligatas crediderit, vel ut salvæ fiant, vel ut naulum exsolvatur, potentior erit licet posterior sit creditor. Nam & ipsum naulum potentius est. *d. l.* 6. *qui pot.* §. 1.

IV. Si mutuum naufragio vel incursu piratarum perierit, nihilominus ad restituendum debitor obligatus manet. Quamvis enim casus fortuitos humanum consilium vel providere vel prohibere nequeat, *l.* 2. §. 7. *D. de administr. rer. ad civit. pert. c.* 35. *de jure ædific. LL prov. Sued.* tamen hic mutuo accipiens tenetur: quia non idem individuum, sed idem genus aut tantundem restituere debet §. 2. *Inst. quib. modis re contrah. oblig.* Vid. quoque *c.* 16. 17. 18. *LL. Rhod.* Quæ de fœnore nautico in jure habentur, haud incommode huc quoque referas, de quo ex occasione jam sup. lib. 2. c. 6. dixi.

V, Qui utendam navem alienam accepit, exactam diligentiam ei custodiendæ præstare tenetur. nec satis est tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si alius eam diligentius poterat custodire. *arg.* §. 2. *Inst. d. tit.* quod de navi dictum, idem de scapha accipiendum est. non minor enim diligentia in eo quod sequitur rem commodatam, quam in ipsa re principali præstanda est. *l.* 5. §. 9. *D. commodati.*

VI. Si duobus navis commodata surrepta sit, aut deterius reddita, aut unus eorum aufugerit, singuli in solidum tenentur secundum naturam correorum debendi *arg. l.* 9. *l.* 11. *D. de duob. reis & in. LL. Suetic. c.* 17. *de proc. cur.* Solventi tamen ab eo cui solutum actio cedi, vel utilis actio dari potest, qua qui plus sua parte solvit, ab altero recipiat *l.* 2. *C. d. tit. Nov.* 99. *c.* 1. *Stypm. p.* 4. *c.* 3. *n.* 31.

VII. Cæterum quæstionis est, num casus fortuiti in re quacunq; naviganti commodata sint præstandi? Sane jure R. non præstantur, cum illis resisti nequeat *l.* 18. *D. commodati*, ubi naufragium & piratarum incursus etiam inter istos casus referuntur

runtur. & quæ sine culpa alicujus accidunt, à nemine præstantur *l. 23 in fin. de reg. jur.* Si verò alicujus culpa is casus intervenerit, ex eo tenetur. Vt si alicui quædam pocula argentea ideò utenda dederit, quod is amicos ad cœnam vel nuptias se domi invitaturum diceret, & ea peregrè secum portaverit, & naufragio vel prædonum incursu perdiderit, sine ulla dubitatione hunc casum præstare debet. *d. §. 2. Inst quib. m. r. c. o. l. 18. D. commod.* Quamvis jure Suecano *c. 20 §. 2. de jure ædific. LL. civit.* ex casu fortuito etiam extra culpam alicujus dato commodans teneri videatur: cum verba legis generaliter & indefinitè, Huru ther hälst hända kan / loquantur, & commodantis utilitatem hic respicere videantur.

VIII. Si quis in naufragio simul res suas & alienas sibi commodatas aut commendatas vel depositas servare nequit, an res suas præferet alienis? quamvis alii hunc casum aliter decidant, vid. *Pac. de Contract. 3. c. ult. n. 48. Affelman. Colleg. contract. Disp. 4. th. 23.* tamen hæc mihi simplicior & juri nostro convenientior decisio videtur: ut, cum posset quis res alienas salvas facere, suas prætulerit, etiam ex hoc

 damno

damno fatali teneatur *l.* 5. §. 4. *D. commod.* non enim minorem salva fide alienis rebus quam suis diligentiam præstabit. *sup h. ca.* §. 5, *l.* 32. *D. depos.* Si vero & suas & alienas res naufragio vel alio casu amiserit, ad restitutionem vel rerum alienarum æstimationem præstandam non tenebitur *c.* 5. *de jure merc. LL. Suetic. civit. c.* 9. *LL. prov.* Si verò partem aliquam rerum propriarum naufragio liberarit, alienam verò perdiderit, quid tunc statuendum erit? De hoc LL. V Visigothorum, quam me lectorem audire malo, à quibus lib. v. tit. 5. l. 5. hic casus pulcre & ex æquitate deciditur. Verba Legis Gothicæ hæc sunt: *Qui commendata vel commodata susceperit, & de ruina aut de incendio vel hostilitatis naufragio, seu quolibet simili casu, sua omnia liberaverit & aliena perdiderit, quod accepit sine aliqua excusatione cogatur exsolvere. Si vero partem aliquam de rebus propriis liberasse cognoscitur, illi cujus res secum habuerat, juxta modum perditæ rei vel liberatæ restituat, qualem judex ratione deducta æstimaverit portionem. Si autem sua omnia perdidit, cum liberaret aliena, & de liberatis, & de perditis rebus similis ratio deducatur, ut partem arbi-*

trio-

trio Judicantis qui liberavit accipiat. Iustum est enim in simili casu, ut ille non damnum solus excipiat, qui se gravibus obiecit periculis; & dum aliena minora conatur liberare, sua majora perdidisse cognoscitur. In hac autem lege circa initium pro *hostilitatis naufragio*, emendandum esse *hostilitate seu naufragio*, patet ex inscriptione legis: *De rebus commendatis, & casu quocumque in naufragium missis.* Atque sic sensus erit evidentior. Idem liquet ex ipso contextu.

IX. Si quis inficietur depositum naufragii causa, in duplum lege nautica Rhodiorum cap. 14. & jure Rom. tenetur *l.* 1. §. 1. *&* 4. *D. depositi*, ubi Vlpianus hanc legis aut pœnæ istius rationem adfert: Quod si quis depositum alicui dicta necessitate extante commissum inficietur, merito in duplum teneatur, *cum hic perfidiæ crimen crescat, quod publicæ utilitatis causa coercendum est. est enim inutile in causis hujusmodi fidem frangere*, ubi *inutile* idem quod *perniciosissimum* esse notavit cl. Rittershusius in LL. xii. Tabb. class. 3. p. 3. c. 14. quamvis ibi memoria errarit (quod facile fieri potest) dum *l.* 1. §. *prætor ait ff. depositi* allegat, quæ est *l.* 1. §. *hæc autem. ff.*

[illegible] [illegible]
[illegible], quem [illegible]
[illegible]
[illegible] *D.* [illegible]. Peri [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] præstituto [illegible]
[illegible] *D. eod.* Alioqu[illegible]
[illegible], & valetudine [illegible]
[illegible] pœna [illegible]
l. 23. ff. de oblig. & act. C[illegible]
[illegible] interpretationem [illegible]
[illegible] *cap. 21. Obser.* [illegible]
[illegible] Si nemo adsit, [illegible]
[illegible] appellari pecuniæ [illegible]
[illegible] protesta[illegible]
[illegible] complectendum, [illegible]
[illegible] denunciationis e[illegible]
[illegible] vero liberatur. [illegible]
[illegible], quo minus id quod [illegible]
[illegible], *l. 105. de V. O.*

11. Postquam navis [illegible]
[illegible] indulgentia [illegible]
[illegible] ad [illegible]
[illegible] pecuniam, [illegible]
[illegible], una cum [illegible]
[illegible] diutius [illegible]
[illegible], reliqui temporis p[illegible]
[illegible] amplius mariti[illegible]

o aliqud in su-
baverimus, ta-
t, in hoc ca-
is obligari pig-
mino navis, &
bus in parem
alicujus frau-
n fidem credi-
eo moras stu-
ege pignus di-
creditoribus-
abemus apud
contra Apa-
ata, aut si pe-
ricandam, ar-
dita sit, poste-
potior habe-
puir illius pe-
noris causam
uia in cibaria
nire non po-
tas crediderit,
. 6. §. 1.
t, ut silva si-
ex ea mate-
ius & Paulus
. nisi hoc ex-
presse

XV. Si quis navicularius sine testamento & liberis vel successoribus defunctus sit, hæreditas ejus jure R. non ad fiscum, sed ad corpus naviculariorum, ex quo fatali sorte subtractus est, defertur. *l*, 1. *Cod. de hæred. decur.* quod est singulare juris Romani. Cetera communi juri successionis conveniunt.

XVI. Navis inter cohæredes communis, uni attribuenda est: quum absque dispendio divisionem non recipiat, reliquis æstimatione suarum portionum adjudicata; ut solet in communi dividundo. *de quo vid. sup. lib.* 1. *cap.* 2. §. 6. *plura.*

Cap. III.

De Contractibus nauticis, qui re fiunt.

I. De Obligatione.
II. Credens aut mutuò dans pecuniam in navim armandam aut reficiendam; an-us tacita hypotheca habeat.
III. Credentis in cibaria nautarum, & in merces sibi obligatas privilegium.

IV. Mu-

IV. Mutuum naufragio aut incursu piratæ, rum perditum restituendum.

V. De diligentia in servanda navi aut scapha commodata.

VI. Duobus nave commodata, singulos in solidum teneri.

VII. Num casus fortuiti in re naviganti commodata sint præstandi.

VIII. Num in naufragio res commodata aut deposita præferenda sit propriæ.

IX. De deposito naufragii causa.

I. A Donatione mortis causa, testamento & successione descendimus ad obligationem magistrorum navis & vectorum, vel ex contractu vel delicto. Sed de contractu prius, qui præcipuè vel re vel consensu fit. re; ut mutuum, commodatum; depositum, pignus. Consensu; ut emtio venditio, locatio, conductio, societas, mandatum; velut ex elementis juris liquet. Sed hæc non ulterius, quam præsens materia postulat, quamque leges de eodem argumento suppeditant, tractabimus reliqua ex communis juris usu circa contractus petenda sunt.

II. Quamvis communis ferme sit opi-

nio, eum qui in navem armandam aut reficiendam credidit aut mutuo dedit, jus tacitæ hypothecæ habere, tamen, ubi lex expressa deficit, haud temerè asserendum est. Nam *l, 5. D. qui pot. in pign. & l. 34. D. de reb. autht jud. poss.* dant solum privilegium personale credentibus pecuniam in navem armandam aut reficiendam, quo præferuntur aliis creditoribus chirographariis. *l. 26. l. 34. D. de privil. cred. l. 5. 6. D. qui pot. in pign. Nov. 97. cap. 3.* Nec obstat *l. 1. D. in quib. c. pign. t.* non enim procedit argumentum à credito in restitutionem collapsarum ædium, in quo publici decoris & ornamenti urbis contemplatio versatur *l. 2. C. de ædific. priv.* ad creditum in refectionem navis. Sed aliud statuendum erit, si expressum & speciale pactum de hypotheca accesserit. *l. 5. qui pot. in pign. l. 7. Cod. eod & fuse ac nervosè Vinnius ad Peckium in tit. de Exerc. act. pag.* 100. *& ad leg. Rhod de jact. pag.* 233. 234. Iure tamen Hamburgensi datur in hoc casu beneficium tacitæ hypothecæ, *part. 2. stat. Hamb. tit. 4. art. 14. & t. 5. a. 7.* Sed hoc est juris merè positivi. Alias ex consuetudine Belgarum instrumentum pecuniæ in navem exstruendam

exstruendam vel instruendam creditæ præfertur instrumento fœnoris nautici. *vid. Vinn. ad Peck. pag.* 95.

III. In cibaria nautarum credens, sine quibus navis salva pervenire non potest, etsi posterior, potior tamen est priori creditore chirographario *l.* 6. *D. qui pot. in pig.* Item si quis in merces sibi obligatas crediderit, vel ut salvæ fiant, vel ut naulum exsolvatur, potentior erit licet posterior sit creditor. Nam & ipsum naulum potentius est. *d. l. 6. qui pot.* §. 1.

IV. Si mutuum naufragio vel incursu piratarum perierit, nihilominus ad restituendum debitor obligatus manet. Quamvis enim casus fortuitos humanum consilium vel providere vel prohibere nequeat, *l.* 2. §. 7. *D. de administr. rer. ad civit. pert. c.* 35. *de jure ædific. LL prov. Sued.* tamen hic mutuo accipiens tenetur: quia non idem individuum, sed idem genus aut tantundem restituere debet §. 2. *Inst. quib. modis re contrah. oblig.* Vid. quoque *c.* 16. 17. 18. *LL. Rhod.* Quæ de fœnore nautico in jure habentur, haud incommode huc quoque referas, de quo ex occasione jam sup. lib. 2. c. 6. dixi.

V. Qui utendam navem alienam accepit, exactam diligentiam ei custodiendæ præstare tenetur. nec satis est tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si alius eam diligentius poterat custodire. *arg.* §. 2. *Inst. d. tit.* quod de navi dictum, idem de scapha accipiendum est. non minor enim diligentia in eo quod sequitur rem commodatam, quam in ipsa re principali præstanda est. *l.* 5. §. 9. *D. commodati.*

VI. Si duobus navis commodata surrepta sit, aut deterius reddita, aut unus eorum ansugerit, singuli in solidum tenentur secundum naturam correorum debendi *arg. l.* 9. *l.* 11. *D. de duob. reis &* *in. LL. Suetic. c.* 17. *de proc. cur.* Solventi tamen ab eo cui solutum actio cedi, vel utilis actio dari potest, qua qui plus sua parte solvit, ab altero recipiat *l.* 2. *C. d. tit. Nov.* 99. *c.* 1. *Stypm. p.* 4. *c.* 3. *n.* 31.

VII. Cæterum quæstionis est, num casus fortuiti in re quacunque naviganti commodata sint præstandi? Sane jure R. non præstantur, cum illis resisti nequeat *l.* 18. *D. commodati*, ubi naufragium & piratarum incursus etiam inter istos casus referuntur

runtur. & quæ sine culpa alicujus accidunt, à nemine præstantur *l. 23 in fin. de reg. jur.* Si verò alicujus culpa is casus intervenerit, ex eo tenetur. Vt si alicui quædam pocula argentea ideò utenda dederit, quod is amicos ad cœnam vel nuptias se domi invitaturum diceret, & ea peregrè secum portaverit, & naufragio vel prædonum incursu perdiderit, sine ulla dubitatione hunc casum præstare debet. *d. §. 2. Inst quib. m. r. c. o. l. 18. D. commod.* Quamvis jure Suecano *c. 20 §. 2. de jure ædific. LL. civit.* ex casu fortuito etiam extra culpam alicujus dato commodans teneri videatur: cum verba legis generaliter & indefinitè, Huru thet hälst hända kan / loquantur, & commodantis utilitatem hic respicere videantur.

VIII. Si quis in naufragio simul res suas & alienas sibi commodatas aut commendatas vel depositas servare nequit, an res suas præferet alienis? quamvis alii hunc casum aliter decidant, vid. *Pac. de Contract. 3. c. ult. n. 48. Affelman. Colleg. contract. Disp. 4. th. 23.* tamen hæc mihi simplicior & juri nostro convenientior decisio videtur: ut, cum posset quis res alienas salvas facere, suas prætulerit, etiam ex hoc

L 5 damno

damno fatali teneatur *l. 5. §. 4. D. commod.* non enim minorem salva fide alienis rebus quam suis diligentiam præstabit. *sup h. ca. §. 5, l. 32. D. depos.* Si vero & suas & alienas res naufragio vel alio casu amiserit, ad restitutionem vel rerum alienarum æstimationem præstandam non tenebitur *c. 5. de jure merc. LL. Suetic. civit. c. 9. LL. prov.* Si verò partem aliquam rerum propriarum naufragio liberarit, alienam verò perdiderit, quid tunc statuendum erit? De hoc LL. V Visigothorum, quam me lectorem audire malo, à quibus lib. v. tit. 5. l. 5. hic casus pulcre & ex æquitate deciditur. Verba Legis Gothicæ hæc sunt: *Qui commendata vel commodata susceperit, & de ruina aut de incendio vel hostilitatis naufragio, seu quolibet simili casu, sua omnia liberaverit & aliena perdiderit, quod accepit sine aliqua excusatione cogatur exsolvere. Si vero partem aliquam de rebus propriis liberasse cognoscitur, illi cujus res secum habuerat, juxta modum perditæ rei vel liberatæ restituat, qualem judex ratione deducta æstimaverit portionem. Si autem sua omnia perdidit, cum liberaret aliena, & de liberatis, & de perditis rebus similis ratio deducatur, ut partem arbi-*

trio

trio judicantis qui liberavit accipiat. Iustum est enim in simili casu, ut ille non damnum solus excipiat, qui se gravibus obiecit periculis; & dum aliena minora conatur liberare, sua majora perdidisse cognoscitur. In hac autem lege circa initium pro *hostilitatis naufragio*, emendandum esse *hostilitate seu naufragio*, patet ex inscriptione legis: *De rebus commendatis, & casu quocumque in naufragium missis*. Atque sic sensus erit evidentior. Idem liquet ex ipso contextu.

IX. Si quis inficietur depositum naufragii causa, in duplum lege nautica Rhodiorum cap. 14. & jure Rom. tenetur. *l.* 1. §. 1. *&* 4. *D. depositi*, ubi Vlpianus hanc legis aut pœnæ istius rationem adfert: Quod si quis depositum alicui dicta necessitate extante commissum inficietur, merito in duplum teneatur, *cum hic perfidiæ crimen crescat, quod publicæ utilitatis causa coercendum est. est enim inutile in causis hujusmodi fidem frangere*. ubi *inutile* idem quod *perniciosissimum* esse notavit cl. Rittershusius in LL. XII. Tabb. class. 3. p. 3. c. 14. quamvis ibi memoria errarit (quod facile fieri potest) dum *l.* 1. §. *prætor ait ff. depositi* allegat, quæ est *l.* 1. §. *hac autem. ff.*

L 6 *deposit.*

depositi Confer sup. lib. 1. cap. 7. §. 13. notata. & Stypman. p. 4. d. lib. c. 4. n. 7. & seqq.

CAP. IIII.

De Pignore navis & rerum in navi.

I. *Navis oppignoratio pro debito. Ejus privilegium.*

II. *Num in pignore silva etiam materia navis comprehendatur.*

III. *Translationem navis in alia loca ac venditionem quibusdam Statutis immutare pignoris conditionem.*

IV. *Magistrum navis jus tacitæ hypothecæ in bonis vectorum pro naulo & contributione habere.*

V. *Num creditor impetu aquarum pignus amittens jus crediti amittat.*

VI. *De rate à creditore in flumine retenta, & vi fluminis ablata, quid jus decernat.*

VII. *Cur conducta navis possit relocari alii, non vero pignori obligari.*

I. REstaT de uno adhuc contractu qui resit, nimirum de Pignore navis ut agamus

agamus. quamvis jam de eo aliqud in superioribus ex occasione delibaverimus, tamen quæ adhuc addi possunt, in hoc caput rejicere visum est. Navis obligari pignori potest pro debito à domino navis, & quidem pluribus creditoribus in parem summam, modo non fiat in alicujus fraudem. Obligatur verò navis in fidem crediti, donec solvat debitor, aut eo moras studiose nectente, tandem ex lege pignus distrahatur & inde satisfiat creditoribus. cujus elegans exemplum habemus apud Demosthenem in Exceptione contra Apaturium. In navi autem obligata, aut si pecunia in eam emendam, fabricandam, armandam aut reficiendam credita sit, posterior creditor priori in jure R. potior habetur, *l.* 5. *D. qui pot. in pign.* puir illius pecunia salvam fecit totius pignoris causam *l. 6. eod.* Idem obtinet, si puia in cibaria sine quibus navis salva pervenire non poterit, aut merces sibi obligatas crediderit, vel ut naulum exsolvatur. *d. l.* 6. §. 1.

II. Num, si quis caverit, ut silva sibi pignori esset, etiam navis ex ea materia sit pignori? Negant Cassius & Paulus in *l.* 18. §. 3. *D. de pigner. act.* nisi hoc expresse

depositi Confer sup. lib. 1. cap. 7. §. 13. notata. & Stypman. p. 4. d. lib. c. 4. n. 7. & seqq.

CAP. IIII.

De Pignore navis & rerum in navi.

I. *Navis oppignoratio pro debito. Ejus privilegium.*
II. *Num in pignore silva etiam materia navis comprehendatur.*
III. *Translationem navis in alia loca ac venditionem quibusdam Statutis immutare pignoris conditionem.*
IV. *Magistrum navis jus tacitæ hypothecæ in bonis vectorum pro naulo & contributione habere.*
V. *Num creditor impetu aquarum pignus amittens jus crediti amittat.*
VI. *De rate à creditore in flumine retenta, & vi fluminis ablata, quid jus decernat.*
VII. *Cur conducta navis possit relocari aliis, non vero pignori obligari.*

I RESTAT de uno adhuc contractu qui refit, nimirum de Pignore navis ut agamus

agamus. quamvis jam de eo aliqud in superioribus ex occasione delibaverimus, tamen quæ adhuc addi possunt, in hoc caput rejicere visum est. Navis obligari pignori potest pro debito à domino navis, & quidem pluribus creditoribus in parem summam, modo non fiat in alicujus fraudem. Obligatur verò navis in fidem crediti, donec solvat debitor, aut eo moras studiose nectente, tandem ex lege pignus distrahatur & inde satisfiat creditoribus. cujus elegans exemplum habemus apud Demosthenem in Exceptione contra Apaturium. In navi autem obligata, aut si pecunia in eam emendam, fabricandam, armandam aut reficiendam credita sit, posterior creditor priori in jure R. potior habetur, *l.* 5. *D. qui pot. in pign.* puir illius pecunia salvam fecit totius pignoris causam *l.* 6. *eod.* Idem obtinet, si puia in cibaria sine quibus navis salva pervenire non poterit, aut merces sibi obligatas crediderit, vel ut naulum exsolvatur. *d. l.* 6. §. 1.

II. Num, si quis caverit, ut silva sibi pignori esset, etiam navis ex ea materia sit pignori? Negant Cassius & Paulus in *l.* 18. §. 3. *D. de pignor. act.* nisi hoc expresse

presse sit adjectum. aliud enim est materia, aliud corpus ex materia confectum. ideo nominatim in dando pignore adjiciendum; *quaque ex silva nata vel facta sint.*

III. Nonnullorum populorum legibus, si quis navem quam pignori obligarat, ad alia loca navigando transtulerit & vendiderit, jus pignoris solvitur. Si vero civis qui eam oppignoravit, ad urbem, in qua habitat, reducat, jus pignoris integrum manet. Ita jure Lubec. 3. 4. 6. Stralsundensium & vicinorum moribus, qui eo jure utuntur, receptum est. Quamvis autem hoc pugnare videatur contra regulam juris, qua quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit, & iniquum reputari possit, hujusmodi navium translatione jus pignoris creditori adimi? tamen hoc in favorem commerciorum, & illorum qui vel merces in naves transferunt, vel iis ministram operam præbent, introductum est: quorum interest hujusmodi pignorum persecutionibus non retardari impedirique navium cursum. Sed horum jus est integrum, quando navis domum revertitur, & in pristinam pignoris caussam redit. *Mev. ad d. loc. jur. Lub.*

IV. Res

IV. Res vectorum in navi sunt quasi jure taciti pignoris & retentionis obligatæ magistro navis pro naulo, contributione & aliis necessariis expensis, donec quod debent, solvant *artic. 59. jur. maritim. VVisbyens. arg. l. 5. D. ad exhib. Vinn. in Peck, ad leg. Rhod. de jact. pag.* 204. 232. nisi naulum à vectoribus sit prænumeratum; ut Ionas propheta faciebat *Ion. c. 1. v. 3.*

V. Si creditor pignus & simul rem suam amiserit impetu aquarum, ad restitutionem pignoris non tenetur; sed hic damnum damno compensatur: quod præsumitur absque culpa ejus accidisse. Si vero pignus impetu aquarum perdiderit, re propria salva; ad pignoris æstimationem præstandam tenetur. *arg. c. 10. de jur. mercand. LL. prov. Sued. c. 6 eod. LL. municip.* quia lex hic præsumit, creditorem fuisse negligentiorem in re aliena quam sua custodienda: quod ex eventu non obscurum est. vid. *sup. h. lib. c. 2. §. 7.* conferatur quoque Coppen *obs. Pract. lib. 1. c. 21. n. 10.*

VI. Crediderat civis domino ratis aut navigii pecuniam, quæ cum ad diem non solveretur, ratem in flumine sua auctoritate detinuit, postea flumen crevit & ratem

tem abstulit; quæritur, cujus periculo vel damno? Si creditor domino ratis invito ratem detinuisset, creditoris periculo ratem fore Paulus respondit. Sed si debitor sua voluntate concessisset, ut retineret, culpam duntaxat creditori præstandam, non vim majorem. *l. 30. D. de pignor. act.* Hoc enim generale est, ut vis major non præstetur, nisi alicujus culpa eam præcesserit, *Gail. lib. 2. obs. 21. n. 3. Rittershus. ad l. Contract. p. 109.*

VII. Nonnullorum statutis cautum est, ut navis ad certum tempus conducta, relocari alii ad dictum tempus possit, non vero oppignorari. Quod æquam habet rationem, quia conducta res est aliena, non propria conductoris, itaque aliis pignori obligari invito domino, qui directum in ea dominium habet, non potest. *l. 6. Cod si al. res pig. d. l. 20. D. de pign. act.* Sed quam conduxit quis navem, alii fruendam ad dictum diem tacito consensu domini locare potest, nisi aliud convenerit *l. 6. Cod. de loc. cond.* Addi etiam hæc ratio possit, ne promiscua & frequenti navium sub pignoris nexu obligatione liber cursus commerciorum & navium sistatur, de quo sup. h. cap. §. 3.

C A P.

Cap. V.

De Repressaliis, ut vocant, & Arrestationibus navium.

I. Repressalias etiam pignorationes esse.
II. Vnde dicantur Repressaliæ, & quid sint.
III. De caussis repressaliarum & arrestationum navium.
IV. Cautio magistratus in illis imperandis.
V. Relaxationes & exemtiones ab illis.
VI. Si qui privati vetita advexerint hosti, aut aliud quid illicitum commiserint adversus Principes, num id respub. aliique cives luere debeant.
VII. Ministros mercatorum non ditinendos esse pro debito dominorum.
VIII. Nec subditos aut cives pro debito dominorum, aut civitatis, nisi in certis casibus.
IX. Quæ moderatio in repræsaliis & arrestis navium aut bonorum servanda sit, & de restitutione damni dati.

I. CVm Repressaliæ & Arrestationes navium sint etiam quædam pignorationes, ut vocant, rerum & personarum, quando

quando res aut persona unius pro alia præhenditur & detinetur, ut notant Gail *obs.* 2. *de pignorat. n.* 1. *&* 7. & Faber *in Reg. Iur.* 176. *pag. m.* 711. de iisdem post pignora navium hoc capite agemus.

II. Repressalias, vel ut alii scribunt, Reprisalias, Repræsalias, aliàs Pressalias, ut barbarum quidem, sed nunc usu receptum vocabulum, derivant nonnulli à Gallico *reprise* aut *reprendre*, à reprehensione aut reprehendere; alii a Latino *reprimere* detortum volunt; quidam ab Italico *prisa*, quod capturam notat, deducunt. Sed res eodem ferè recidit. Nihil enim aliud est, quam jus præhendendi ac detinendi bona aut corpora subditorum, etiam exterorum, in compensationem injuriæ & læsionis, quæ in publicum detrimentum præcipue vergit. De altera ista dictione Arrestorum & Arrestationum alibi egi, nimirum in Synopsi juris, quæ hic non repeto. Quamvis autem differentiæ quædam dari possint inter repræsalias, pignorationes & arrestationes, uti observavit Gail. *cap.* 1. *de pignorat. n.* 4. 5. 6. *&* *alibi*, tamen etiam promiscuè accipi solent, & inter se similitudinem quandam habent, ut idem Gail notat in *cap.* 2.

de

de Arrestis imperii n. 1. 2. 3. *cap.* 9. *n* 10.

III. Variæ solent esse caussæ repressaliarum & arrestationis navium, inprimis tamen si jus aut debitum ab aliis non reddatur. Si naves non præstent, aut dolose occultent ac supprimant, quæ jure gentium, portus, ac portorii præstari debent: si domini navium aut vectores illicita bona advehant: si delictum committant in alieno loco: si hostili animo veniant aut jure metuantur ut hostes, hostive re, opera, consilio faveant: aut deviis itineribus ac littoribus clam & animo explorandi insidiandique perreptent alienum solum & aquor. ad ulciscendam injuriam & vim damnumve resarciendum, si nostræ naves alibi detentæ aut direptæ sint. Ob has & similes causas jus præhendendi & detinendi etiam alienas naves aut personas vetus est, non natura quidem sed consuetudine gentium introductum. Aristoteles 2. Oeconom. facit mentionem decreti Carthaginiensium ad prehendendas exterorum naves, si quis jus prehendendi haberet. Aristodemus Tarquiniorum heres retinuit Cumis naves Romanorum frumento onustas pro bonis Tarquiniorum. vid. *Liv. lib.* 2. *Grot. lib.* 3.

de

de jur. bell. e. p. c. 1. n. 5. c. 2. §. 4. 5 l. 8. C. de Navicular. Mynsing. cent. 6. obs. 1. Gail. c. 2. 3. seqq. de pignorat. Paschali Legat. c. 21. & 29. Chron. Gustavi 1. part. 2. pag. 108.

IV. Cum autem dictæ represaliæ & detentiones sint species quædam violentæ exsecutionis, cavebit Magistratus, ne, ubi juris & judicum copia haberi potest, temere permittat apprehendi & sisti alienas naves ac mercatores; certe non injuste sisti aut detineri. aut si justè quidem, ne cuiquam hoc propria authoritate facere sit integrum, nisi caussa cognita, diplomate à Principe impetrato, aut alias approbante magistratu: ne, cum potuerit ille ordinario jure suum consequi, vitio & culpa sua majoris tumultus faciendi, animorum alienationis, retorsionis, & tandem belli inter finitimos aut remotiores ineundi ansam præbeat aureoque forte piscetur hamo, cujus jactura commodo piscationis longe major sit. Ita Tullus apud Livium lib. 1. mercatu frequenti negotiatores Romanos à Sabinis comprehensos querebatur. Sabini suos prius in lucum confugisse ac Romæ retentos. Hæ caussæ belli ferebantur. *vide quoque Pet. Fab. in Reg. Iur.* 176. Hinc

Princi-

Principes & Respublicæ passim repressalias admitti noluerunt. Zeno Imp. & Iustinianus aliquot constitutionibus eas vetuerunt *l. un. Cod. ut nullus ex vican. Nov.* 52. & Theodericus rex Gothorum apud Cassiodorum *ep.* 10, *lib.* 4. *Var.* Nostra ætate in Induciis Sueo - Polonicis art. 18. *Nullæ repressaliæ aut arresta tam terra quam mari ratione cujuscunque injuriæ, nisi Justitia pluribus vicibus repetita non administretur, admittantur.* In fœdere commerciorum inter Gallos & Belgas anno 1596. *Repressaliæ nullæ imposterum concedantur, sed ordinaria juris via quisque suum repetat.*

V. Si quis ergo suspectus ad judicium provocet, aut arresto detentus sponte satisfacere, aut idoneè cavere per se vel alios paratus sit, ab arresto liberabitur. Statutis Gedanensibus arrestum navis à judice rite convento factum, ad oppignorationem bonorum aut aliam idoneam cautionem relaxari potest, etiã invito eo qui arrestum impetraverat. *part.* 2. *c.* 3. *a.* 8. Sed & personæ privilegio, fœdere, pactis ve exemtæ, arrestis non sunt detinendæ, aut pignoratione, ut vocant, vel repressaliis onerandæ; ne directè contra immunitatis

&

& pactorum leges fiat. *vid. Demosth. orat. de fœd. Alex. & pacta pac. inter Reg. Sued. & Dan. art. 4. & seqq.* Nec navis tendens ad nundinas in portu detinenda est, absque quo ad nundinas pervenire non potest. *Peck. de jure sist. c.* 10. *n.* 4. Vt enim tempore nundinarum in loco earum vetitum est arrestum, ita & in illo, sine quo ad mercatum deveniri nequit. *Nicol. Everard. consil.* 21.

VI. Quid vero si privati mercatores advehant commeatum aut pulverem tormentarium hosti, aut alii privati cives in alienam Remp. quid committant ac delinquant, num fas est eo nomine detineri non solum ipsorum authorum, sed & aliorum naves, si illi forte elapsi sint, donec id vel illi luant, vel communitas aut rector eorum? Civitas aut rectores ejus non tenentur ex subditi facto illicito aut delicto, nisi sciverint, & cum prohibendi emendandique facultatem haberent, non prohibuerint & emendarint; aut interpellati pro merito non puniverint nocentem, vel arbitrio interpellantium permiserint. *Grot. lib.* 2. *de jure b. e. p. c.* 21. §. 2. 3. 4. 7. 8. 17. 18. *Alb. Gentil. de jure belli lib.* 1. *c.* 21. Vnde

21. Unde Gustavus I. aliquando Lubecensibus in hanc rem rectè respondit: *Privatam quorundam innocentiam non posse excusare, quod publica civitas commiserit.* Rex Galliæ (apud Guicciardinum lib. 5.) expostulat cum Venetis, emtum esse Venetiis commeatum & pulverem tormentarium, advectumque hostibus suis. Responderunt Veneti, in sua civitate nemini unquam interdictum esse negotiari, & factum illud privatos mercatores autores habere. Inter capita legationis Anglicæ ad Fridericum 2. Regem Daniæ anno 1588. & hoc fuit: *Ne arrestationes navium ob privatorum delicta in freto Sundensi concederentur.* apud Camdenum. p. 3. Hist. Elisab. pag. 540. Et Dani anno 1602. per suos in Britanniam legatos graviter de piratis Anglis questi & obtestati sunt: quamvis piratica insolentia bello flagrante comprimi non posset, supplicii tamen asperitate coercendam esse, alioquin ad injurias & damna resarcienda *arrestationes* permittendas: quia Regum inprimis intersit, ne subditi quid detrimenti capiant. *apud Camden. p. 4. pag.* 842.

VII. Sed nec ministri mercatorum qui una

IX. Qua
X. XI. X
Qu
sta
XVIII. S

I. OFfe
na
ordine *A*
obscurum
culum in m
Aliàs nunc
teste Petro S
de Assecura
tur, & mer
tie; quod n
vento secur
periculo nav
curum aliqu
pro eo quod
cog.

II. Hunc
tum, nunc i
Grotius de j
bus tamen
ceptionem p
ventione.

[illegible] ad expediundum neg
[illegible] pro debitis suorum domino
[illegible] possunt, etiamsi do
[illegible] in loco contractus prom
[illegible] cum non suo nomine
[illegible] & aequitati naturali non
[illegible] alienis debitis alii mole
[illegible] *Cor. Zor.*
[illegible] 12. nisi aliud convenerit,
[illegible] fidem ministri, non do
[illegible] aut nisi Factores aut min
[illegible] nomen praeponentium con
[illegible] *D. de* [illegible] *Peck. de*
[illegible] *de Arrest. c. 8. n. 76.*

VIII. Subditi quoque & cives com
[illegible] & in iis merces detineri, sisti
[illegible] pro debitis aliorum civium dom
[illegible] vel civitatis in qua degunt, p
[illegible] *Inter priv*
[illegible] quondam à Re
[illegible] *Mercatorem*
[illegible] *nec caeteros in*
[illegible] *debitos plectendos. vid.*
[illegible] *ad annum* MDXX.
[illegible] quod universitati debetur, sin-
[illegible] non debetur, ita quod universitas
[illegible] non debent *l. 27. de reb. cred.*
l. 7. §. 1.

. 1. *quod cujusque univ. nom.* Iure tagentium observatur aliud, si subditi ipsos sigillatim obligarint: aut sin is præstationis nomine suo domino ℓti sint aut si alieno debito jus non ndo se quoque obstrinxerint. *Grot. de e. p. lib. 3. c. 2. §. 2. 3. 4. Gail de arrest. . 9. Peck. de jure sist. c. 4. n. 17. Mev. rrest. c. 8. n. 190. & seqq.*

In pignorationibus autem & arre viium, bonorum & corporum ea mo o partim jure gentium, partim civili da est / ut bona potius quam homi tineantur; ut legatis parcatur, imbel , literatis, & aliis speciali lege exem prehensa loci magistratui aut judici nata tradantur, ne furtum aut fraus committatur: ut satisfactione justa iorum interest, præstita suum domini ant. Ob repressalias vero aut arrestum e alicujus navi, mercibus aut corpo ositum, dam num cum omni causa & lis resarcietur, *arg. l. 9. §. 3. quod met. Grot. d. loc §. 7. Heig. part. 1. qu. 12. per pr. n. 60. 61. & seqq. Gail. de Arrest. . 13.*

tem abstulit; quæritur, cujus periculo vel damno? Si creditor domino ratis invito ratem detinuisset, creditoris periculo ratem fore Paulus respondit. Sed si debitor sua voluntate concessisset, ut retineret, culpam duntaxat creditori præstandam, non vim majorem. *l. 30. D. de pignor. act.* Hoc enim generale est, ut vis major non præstetur, nisi alicujus culpa eam præcesserit, *Gail. lib. 2. obs. 21. n. 3. Rittershus. ad l. Contract. p. 109.*

VII. Nonnullorum statutis cautum est, ut navis ad certum tempus conducta, relocari alii ad dictum tempus possit, non vero oppignorari. Quod æquam habet rationem, quia conducta res est aliena, non propria conductoris, itaque aliis pignori obligari invito domino, qui directum in ea dominium habet, non potest. *l. 6. Cod si al. res pig. d. l. 20. D. de pign. act.* Sed quam conduxit quis navem, alii fruendam ad dictum diem tacito consensu domini locare potest, nisi aliud convenerit *l. 6. Cod. de loc. cond.* Addi etiam hæc ratio possit, ne promiscua & frequenti navium sub pignoris nexu obligatione liber cursus commerciorum & navium sistatur, de quo sup. h. cap. §. 3.

CAP.

CAP. V.

De Repressaliis, ut vocant, & Arrestationibus navium.

I. Repressalias etiam pignorationes esse.
II. Unde dicantur Repressalia, & quid sint.
III. De caussis repressaliarum & arrestationum navium.
IV. Cautio magistratus in illis imperandis.
V. Relaxationes & exemtiones ab illis.
VI. Si qui privati vetita advexerint hosti, aut aliud quid illicitum commiserint adversus Principes, num id respub. aliique cives luere debeant.
VII. Ministros mercatorum non detinendos esse pro debito dominorum.
VIII. Nec subditos aut cives pro debito dominorum, aut civitatis; nisi in certis casibus.
IX. Quæ moderatio in repræsaliis & arrestis navium aut bonorum servanda sit, & de restitutione damni dati.

I. CVm Repressaliæ & Arrestationes navium sint etiam quædam pignorationes, ut vocant, rerum & personarum, quando

quando res aut persona unius pro alia præhenditur & detinetur, ut notant Gail *obs.* 2. *de pignorat. n.* 1. & 7. & Faber *in Reg. Iur.* 176. *pag. m.* 711. de iisdem post pignora navium hoc capite agemus.

II. Repressalias, vel ut alii scribunt, Reprisalias, Repræsalias, aliàs Pressalias, ut barbarum quidem, sed nunc usu receptum vocabulum, derivant nonnulli à Gallico *reprise* aut *reprendre*, à reprehensione aut reprehendere; alii a Latino *reprimere* detortum volunt; quidam ab Italico *prisa*, quod capturam notat, deducunt. Sed res eodem ferè recidit. Nihil enim aliud est, quam jus præhendendi ac detinendi bona aut corpora subditorum, etiam exterorum, in compensationem injuriæ & læsionis, quæ in publicum detrimentum præcipue vergit. De altera ista dictione Arrestorum & Arrestationum alibi egi, nimirum in Synopsi juris, quæ hic non repeto. Quamvis autem differentiæ quædam dari possint inter repræsalias, pignorationes & arrestationes, uti observavit Gail. *cap.* 1. *de pignorat. n.* 4. 5. 6. *& alibi*, tamen etiam promiscuè accipi solent, & inter se similitudinem quandam habent, ut idem Gail notat in *cap.* 2.

de

de Arrestis imperii n. 1. 2. 3. *cap.* 9. *n* 10.

III. Variæ solent esse caussæ repressaliarum & arrestationis navium, inprimis tamen si jus aut debitum ab aliis non reddatur. Si naves non præstent, aut dolose occultent ac supprimant, quæ jure gentium, portus, ac portorii præstari debent: si domini navium aut vectores illicita bona advehant: si delictum committant in alieno loco: si hostili animo veniant aut jure metuantur ut hostes, hostive re, opera, consilio faveant: aut deviis itineribus ac littoribus clam & animo explorandi insidiandique perreptent alienum solum & aquor. ad ulciscendam injuriam & vim damnumve resarciendum, si nostræ naves alibi detentæ aut direptæ sint. Ob has & similes causas jus præhendendi & detinendi etiam alienas naves aut personas vetus est, non natura quidem sed consuetudine gentium introductum. Aristoteles 2. Oeconom facit mentionem decreti Carthaginiensium ad prehendendas exterorum naves, si quis jus prehendendi haberet. Aristodemus Tarquiniorum heres retinuit Cumis naves Romanorum frumento onustas pro bonis Tarquiniorum. vid. *Liv. lib.* 2. *Grot. lib.* 3. *de*

de jur. bell. e. p. c. 1. n. 5. c. 2. §. 4. 5 l. 8. C. de Navicular. Mynsing. cent. 6. obs. 1. Gail. c. 2. 3. seqq. de pignorat. Paschalt Legat. c. 21. & 29. Chron. Gustavi 1. part. 2. pag. 108.

IV. Cum autem dictæ represaliæ & detentiones sint species quædam violentæ exsecutionis, cavebit Magistratus, ne, ubi juris & judicum copia haberi potest, temere permittat apprehendi & sisti alienas naves ac mercatores; certe non injuste sisti aut detineri. aut si justè quidem, ne cuiquam hoc propria authoritate facere sit integrum, nisi caussa cognita, diplomate à Principe impetrato, aut alias approbante magistratu: ne, cum potuerit ille ordinario jure suum consequi, vitio & culpa sua majoris tumultus faciendi, animorum alienationis, retorsionis, & tandem belli inter finitimos aut remotiores ineundi ansam præbeat aureoque forte piscetur hamo, cujus jactura commodo piscationis longe major sit. Ita Tullus apud Livium lib. 1. mercatu frequenti negotiatores Romanos à Sabinis comprehensos querebatur Sabini suos prius in lucum confugisse ac Romæ retentos. Hæ caussæ belli ferebantur. *vide quoque Pet. Fab. in Reg. Iur.* 176. Hinc

Princi-

Principes & Respublicæ passim repressalias admitti noluerunt. Zeno Imp. & Iustinianus aliquot constitutionibus eas vetuerunt *l. un. Cod. ut nullus ex vican. Nov.* 52. & Theodericus rex Gothorum apud Cassiodorum *ep.* 10, *lib.* 4. *Var.* Nostra ætate in Induciis Sueo - Polonicis art. 18. *Nullæ repressaliæ aut arresta tam terra quam mari ratione cujuscunque injuriæ, nisi Justitia pluribus vicibus repetita non administretur, admittantur.* In fœdere commerciorum interGallos &Belgas anno 1596. *Repressaliæ nullæ imposterum concedantur, sed ordinaria juris via quisque suum repetat.*

V. Si quis ergo suspectus ad judicium provocet, aut arresto detentus sponte satisfacere,aut idoneè cavere per se vel alios paratus sit, ab arresto liberabitur. Statutis Gedanensibus arrestum navis à judice rite convento factum, ad oppignorationem bonorum aut aliam idoneam cautionem relaxari potest, etiã invito eo qui arrestum impetraverat. *part.* 2. *c.* 3. *a.* 8. Sed & personæ privilegio, fœdere, pactisve exemtæ, arrestis non sunt detinendæ, aut pignoratione, ut vocant, vel repressaliis onerandæ: ne directè contra immunitatis

&

& pactorum leges fiat. *vid. Demosth. orat. de fœd. Alex. & pacta pac. inter Reg. Sued. & Dan. art. 4. & seqq.* Nec navis tendens ad nundinas in portu detinenda est, absque quo ad nundinas pervenire non potest. *Peck. de jure sist. c.* 10. *n.* 4. Vt enim tempore nundinarum in loco earum vetitum est arrestum, ita & in illo, sine quo ad mercatum deveniri nequit. *Nicol. Everard. consil.* 21.

VI. Quid vero si privati mercatores advehant commeatum aut pulverem tormentarium hosti, aut alii privati cives in alienam Remp. quid committant ac delinquant, num fas est eo nomine detineri non solum ipsorum authorum, sed & aliorum naves, si illi forte elapsi sint, donec id vel illi luant, vel communitas aut rector eorum? Civitas aut rectores ejus non tenentur ex subditi facto illicito aut delicto, nisi sciverint, & cum prohibendi emendandique facultatem haberent, non prohibuerint & emendarint; aut interpellati pro merito non puniverint nocentem, vel arbitrio interpellantium permiserint. *Grot. lib. 2. de jure b. e. p. c.* 21. §. 2. 3. 4. 7. 8. 17. 18. *Alb. Gentil. de jure belli lib.* 1. *c.* 21. Vnde

21. Vnde Gustavus I. aliquando Lubecensibus in hanc rem rectè respondit: *Privatam quorundam innocentiam non posse excusare, quod publica civitas commiserit.* Rex Galliæ (apud Guicciardinum lib. 5.) expostulat cum Venetis, emtum esse Venetiis commeatum & pulverem tormentarium, advectumque hostibus suis. Responderunt Veneti, in sua civitate nemini unquam interdictum esse negotiari, & factum illud privatos mercatores autores habere. Inter capita legationis Anglicæ ad Fridericum 2. Regem Daniæ anno 1588. & hoc fuit: *Ne arrestationes navium ob privatorum delicta in freto Sundensi concederentur.* apud Camdenum. p. 3. Hist. Elisab. pag. 540. Et Dani anno 1602. per suos in Britanniam legatos graviter de piratis Anglis questi & obtestati sunt: quamvis piratica insolentia bello flagrante comprimi non posset, supplicii tamen asperitate coercendam esse, alioquin ad injurias & damna resarcienda *arrestationes* permittendas: quia Regum inprimis intersit, ne subditi quid detrimenti capiant. *apud Camden. p. 4. pag.* 842.

VII. Sed nec ministri mercatorum qui una

una navigant ad expediundum negotia dominica, pro debitis suorum dominorum arresto detineri possunt, etiamsi domini solutionem in loco contractus promiserint, ministri enim non suo nomine contraxerunt; & æquitati naturali non convenit, ut pro alienis debitis alii molestentur *l. un. C. ut nullus ex vican. CarpZov. jur. for.* 1. 30. 11. nisi aliud convenerit, aut contrahens fidem ministri, non domini secutus sit; aut nisi Factores aut ministri pro re & in nomen præponentium contraxerint *l.* 1. *l.* 7. *D. de instit. act. Peck. de Arrest. c.* 4. *n.* 12. *Mev. de Arrest. c.* 8. *n.* 76.

VIII. Subditi quoque & cives eorumque naves & in iis merces detineri, sisti vel obligari pro debitis aliorum civium dominorum vel civitatis in qua degunt, per eandem rationem nequeunt. Inter privilegia mercatoribus Hansæ quondam à Regibus Angliæ data & hoc fuit: *Mercatorem qui deliquisset, puniendum, nec cæteros innocentes propter aliena debita plectendos. vid. Chytr. lib.* 6. *Chron. Sax. ad annum* MDXX. Veluti enim quod universitati debetur, singulis non debetur, ita quod universitas debet, singuli non debent *l.* 27. *de reb. cred. l.* 7. §. 1.

l. 7. §. 1. *quod cujusque univ. nom.* Iure tamen gentium observatur aliud, si subditi semetipsos sigillatim obligarint: aut singularis præstationis nomine suo domino obstricti sint aut si alieno debito jus non reddendo se quoque obstrinxerint: *Grot. de jur. b. e. p. lib.* 3. *c.* 2. §. 2. 3. 4. *Gail de arrest. imp. c.* 9. *Peck. de jure sist. c.* 4. *n.* 17. *Mev. de Arrest. c.* 8. *n.* 190. *& seqq.*

IX. In pignorationibus autem & arrestis navium, bonorum & corporum ea moderatio partim jure gentium, partim civili servanda est / ut bona potius quam homines detineantur; ut legatis parcatur, imbelli sexui, literatis, & aliis speciali lege exemtis; ut prehensa loci magistratui aut judici consignata tradantur, ne furtum aut fraus in illis committatur: ut satisfactione justa illis quorum interest, præstita suum domini recipiant. Ob repressalias vero aut arrestum injuste alicujus navi, mercibus aut corpori impositum, dam num cum omni causa & expensis resarcietur, *arg. l.* 9. §. 3. *quod met. caus. Grot. d. loc.* §. 7. *Heig. part.* 1. *qu.* 12. *per tot. in pr. n.* 60. 61. *& seqq. Gail. de Arrest. imp. c.* 13.

Cap. VI.

De Contractibus nauticis qui consensu fiunt.

I. Ratio redditur cur de Stipulatione & literarum obligationibus hic non agatur.

II. Domus mari aut flumini juncta vendita cum suo jure & onere transit ad emtorem.

III. Alluvionis & inundationis periculum non praestat venditor.

IIII. Navium venditio usui publico & civium magis quam peregrinorum accommodata. Ibidem de jure Retractus, ex occasione.

V. Rebus è navi venditis quid loco traditionis sit.

VI. Mulcta rescindentis contractum locationis conductionis navis.

VII. Navi pro numero amphorarum vel per aversionem conducta, quantum vectura nomine debeatur.

VIII. Quando conductor navis, quando locator obligetur ex mora.

IX. Pro-

IX. *Promissio sub certa pœna de mercibus alio devehendis quando exceptionem admittat, quatenus ob navem perditam teneatur aut non teneatur locator.*

X. *Ex causa receptarum mercium quæ actio competat.*

XI. *Nave aut mercibus deperditis num integra vecturæ merces debeatur magistro navis.*

XII. *Pro infante, quem Femina in navi peperit, nihil vecturæ nomine deberi.*

XIII. *Possessor malæ fidei rem cum fructibus ex navi locari sueta restituet.*

XIV. *Si incertum sit an navis conducta sit, actio in factum locum habet.*

XV. *De actione oneris aversi, quod nauta vehendum conduxit.*

XVI. *De motione & refrigeratione frumenti.*

I. DEbuissem ratione ordinis hic quædam præmittere de Stipulatione navis, & aliis eo pertinentibus. Sed quia pauca de his singularia ad nostrum argumentum facientia, præter communem stipulationis doctrinam, in jure tradita sunt, eaque vel alibi in his libris ex occasione a me tacta, *vid. lib.* 1. *t.* 2. §. 3. *lib.* 3. *t.* 2. §. 8. 11. & *alibi* vel a Stypmanno peculiari

liari cap. 6. part. 4. congesta, sciens hic prætereo. Idem dictum volo de Literarum obligationibus. Cambii vero materia, quam ad illas refert Stypmannus p. 6. c. 8. ab ipso dicto loco, & aliis commodiori loco jam satis tractata est.

II. Itaque nunc accedimus ad contractus nauticos qui consensu fiunt, & ex conventione legem accipiunt; & primo ad emtionem venditionem, dein locationem & conductionem, de quibus in hoc capite, de reliquis postea. Si quis ante domum mari aut flumini junctam molibus jactis ripam constituit, eamque domum alii vendidit, eodem jure vendet, quo fuerat prius quam veniret, *l.* 52. §. 3. *D. de act. emt. vend.* Sed & navicularia domus vendita transit cum suo onere, *toto tit. Cod. de præd. & omn. reb. navicul.*

III. Alluvionis periculum non præstat venditor *l.* 64. §. 1. *ff. de evict.* nec eluvionis aut inundationis l. 10. §. 1 *ff. de peric. & com. r. v.* nisi culpa ejus intervenerit vel præcesserit, *arg. l.* 23. *in fin. D. de reg. jur. & Rittershus. ad eam pag.* 247.

IV. In quibusdam regnis & urbibus maritimis, pro usu publico & singulorum, ven-

venditio navium intra certum tempus prohibita est. In regno Daniæ navis ædificata, intra decem annos vendi prohibetur. *Recessu R. Dan. de anno* 1634. Ita Hamburgi. *Recess. Hamb. MS. art.* 53. Lubecæ naves ibi conditæ intra septennium, Stralesundæ intra sexennium alienari prohibitæ sunt, nisi extrema necessitas urgeat. *Mev. ad Iur. Lub.* 3, 4, 6. Dantisci intra triennium. *Statut. Dantisc. sub. Sigismund.* In rem navigantium & navigationum quoque constitutum est in nonnullis maritimis civitatibus, ut, quando navis vendenda est, civis præ peregrino jure propinquiori habeat quasi jus congrui vel retractus. Ita cautum est Statutis Gedanens. p. 1. c. 4. a. 3. Idem in judicando sequutum esse Senatum Stralsundensem, notat Mevius *ad jur. Lub. lib* 3 *tit.* 7. *n.* 11. Etsi statuto tale quid ibi receptum non sit: tamen utilitas civium communis, ex qua jus condi potest, exterorum compendiis præfertur. Et alias jure communi navis proprie juri retractui non est obnoxia: quippe quæ communiter inter res mobiles computatur. *l.* 1. §. 6. 7. *D. de vi & vi arm. l.* 20. §. 20. *D. quod vi aut clam. Zoes in Dig. tit. de jur. retract. n.* 83.

M 3 Ius

Ius retractus vero, in immobilibus proprie locum habet. In alia vero re immobili jus retractus habens, etiam post annum admittitur, necessitate maris impeditus, *Carpzov. Iur. for.* 2, 32, 6. 7.

V. Si vinum aut aliud è navi sit venditum, vice traditionis custodiæ appositio sufficit. *l.* 51, *in fin. de adq. possess. Gothofred. ad l.* 2. *Cod. de peric. & comm. rei vend.*

VI. Si quis vel interveniente scriptura, vel in præsentia testium, arræ vel dextræ datione, aliove externo signo deliberatum animum exprimente, navem conduxerit, alii oppignorare vel alienare nequit, *sup. b. lib. c.* 3. §. 7. si legi conductionis parere nolit, secundum statuta & locorum consuetudinem mulctabitur. Iure Suecano servare renuens contractum conductæ navis arra firmatum, una cum arræ amissione dimidium mercedis præstare tenetur. Si vero jam onerarit navem mercibus conductor, & enavigarit portu, & ex antenna apparent, quod navis sit procincta, si nihilominus excedere navi & exonerare mercessuas velit, totam vecturæ mercedem præstabit magistro navis. nisi ex necessitate & sontica caussa id faciat *arg. l.* 27. §. 1. *D. loc.*

loc. cond. Idem obtinebit in locante navem, si postea poenituerit, *c.* 15, 16. *de jure nautic Swed.* Idem convenit legi Rhodiensium *c.* 26. Actio de nave conducta etiam paratam habet exsecutionem *c.* 16. *LL. Suet. de proces. curiali.*

VII. Si quis navem conduxerit cum conditione & promisso totam eam onerandi, quam tamen non plene mercibus oneraritꝫ nihilominus plenam vecturæ mercedem debet. Ita quoque lege nautica Rhodiorum statutum c. 23. *Ἐὰν ὁ ἔμπορος μὴ παρέχῃ τὸν γόμον πλήρη, τῶν λειπαζομένων παρεχέτω τὰ ναῦλα. Si mercator plenum onus non præstet, residuorum naula solvat.* Idem obtinet, si *aversione*, vel in universo non in singulas amphoras navis conducta sit. Si vero pro numero impositarum amphorarum merces constituta sit, tunc pro tot amphoris vecturæ merces debetur, quot impositæ sunt *l.* 10. §. 2. *D. ad leg. Rhod. de jactu* cujus legis emendationem & explicationem vide apud Pancirollum lib. 2. Variar. Iur. Lection. cap. 34. Confer *Benvenutum Straccham de Navib. n.* 12, 14. Idem convenit *Statutis Hamburg.* 2, 15, 3.

VIII. Si mercator promiserit ad certum tempus inferre merces in navem, nec id fecerit, illud temporis & lucri dispendium præstare conductorem æquum est; aut plenam vecturæ mercedem solvere magistro navis, si parata navi ad navigandum vacuum ei navis spatium in præsentia restium ostenderit magister navis. ut est in Legibus nautic. *Hanseatic. art.* 12. Sed & ne magistri navis incuria atque mora iter negligatur, aut merces dominorum deteriores reddantur, in tempore expediet navem eique de annona prospiciet. Dictis legibus nautic. Hanseaticis artic. 11. cautum est, ut quando merces ultimas in navem recepit nauta, intra biduum vel triduum favente vento abeat, sub pœna quinquaginta aureorum. Sed hæc pœna aliis gentibus arbitraria esse potest.

IX. Si quis ea conditione conduxerit navem, ut, nisi intra præfinitum tempus merces eo loci magister navis exposuerit, in quem ac vehendas eas locarat, pœnam præstaret certam; ille vero præter opinionem à loci magistratu detentus sit, ut ei angarias aut onus publicum præstet, aut alia causa detentus, atque ita prohibitus

sit

cum tuis mercibus navigare, excusatur, culpaque caret qui imperata fecit. nec debet pati dispendium, qui imperium fecit alienum. *Cassiod. Var. Ep.* 12.3. & 2,26. Si merces exonerarit, & transtulerit in aliam navem quæ perierit absque ejus culpa, non tenetur quoque nauta. Si vero in deteriorem, quam ejus erat, & minus validam intulerit navem merces, quæ cum navi perierunt, ei damnum hoc imputabitur; præsertim cum meliorem invenire potuisset navem, & sciret id nolle dominum, ut in aliam quam suam navem merces transportaret; nisi jussu magistratus hoc fecerit. *l.* 10. §. 1. *D. ad leg. Rhod. de jactu*. Idem juris erit in eodem genere *conventionis*, vel *conditionis* (ita scribendum cum Vinnio in d. l. 10. §. 1. pro *cogitationis*) i. e. de certa pœna præstanda, si merces ad conventum locum non transportarit nauta, ut nimirum non teneatur ex dicta pœna, si probatum fuerit nautam morbo aut alia sontica caussa impeditum navigare non potuisse: nisi jussus sit sui vicem alium substituere. Nec teneatur, si navis vitium fecerit absque dolo & culpa ejus. *d. l.* 10. §. 1. *ad leg. Rhod. de jact.* & *in eam Cujacius lib.* 3. *Ob-*

serv. c. 2. Vinnius pag. 291. 292. *& seqq.* Si ea conditione navem conduxisti, ut ea merces tuæ portarentur, easque merces nauta nulla necessitate coactus aut quod flumen illa navis subire non posset, in aliam navem vel deteriorem, vel invito domino, vel alieno tempore transtulerit, & merces tuæ cum hac posteriori nave perierint, tenetur navicularius, & ex locato cum ipso agi potest. *d. l.* 10. §. 1. *ad l. Rh. de jact. l. item quæritur.* §. *si navicularius D. loc. cond.*

X. Si ex causa receptarum in navim rerum merces intervenerit, ex locato & conducto agi potest: si gratis susceptæ sint, ex deposito l. 3. §. 1. *D. Nautæ caup. stab.* Quid si furto ablatæ? De hac quæstione vid. inf. *h. lib.* 3. *c.* 8. §. 2. 3. 4.

XI. Si navis aut merces in mari perierint, num nihilominus vecturæ merces debebitur naviculario, aut prærogata ab eo restituetur? Debetur, si damnum non culpa ejus, sed casu fortuito acciderit, & per eum non steterit, quo minus locatas operas præstaret. l. 38. *D. locati cond. l.* 10. *Cod. de condict. ob caus.* Attamen si non secutum sit, propter quod data merces aut

pro-

promissa est, nonne tunc vel data repeti, vel promissa non deberi potest? per *l.* 15. §. 6. *D. loc. cond.* & casus fortuitus non debet nocere conductori & prodesse locatori, *Gloss. ad d. l.* AEquitas tamen admittere videtur, ut magister navis vecturæ mercede non in totum careat, sed pro rata temporis quo munere vehendi functus non est, & pro quantitate servatarum mercium, *arg. l.* 15. §. 7. *D. loc. cond. Straccha de Nautib. n.* 24. *confer jus Prussic. lib.* 4. *tit.* 19. *artic.* 3. §. 1. 2. *&* *Statuta Lubec. tit. de naufrag. art.* 1. 2. Quidam verò plenam vecturam ipsi deberi volunt per *d. l.* 10. *C. de condict. ob. c. d.* Si vero navis onerata in aliquo portu ob illicitas merces (quas conductor navi imposuit) retenta sit, & merces vetitæ in commissum ceciderint, nihilominus integras vecturas vel mercedem totam nauta â conductore navis exigere potest: quia hic nulla culpa nautæ vel locatoris, sed solius conductoris intervenit, nec ille mere casus fortuitus est, sed quem culpa domini præcessit. *l.* 61. §. 1. *D. loc. cond. Pacc. cent.* 5. *concil.* 16. *n.* 18.

XII. Si quis mulierem navi vehendam conduxisset, quæ infantem in navi pepererit:

pro eo infante nihil debetur: cum ejus vectura non magna sit, nec iis omnibus utatur, quæ ad navigantium usum parantur *l.* 19. §. 7. *D. loc. c.*

XIII. Possessor malæ fidei non solum navim, sed etiam fructus æstimatos quos petitor percipere potuisset, restituet ex navi quæ locari solet *l.* 62. *ff. de rei vendic.*

XIV. Mercator quidam tradidit merces magistro navis, sed incertum est an navem conduxerit, aut merces vehendas locaverit, hic civilem actionem in factum ei dandum Labeo & Papinianus scripserunt *l.* 1. §. 1. *D. de præscr. verb. e. i. f. a.*

XV. In navem Sauffeii plures locatores commune frumentum contulerunt & confuderunt. Sauffeius uni ex his frumentum pro sua parte reddidit de communi; deinde navis cum reliquo onere periit. quamvis hujus rei damnum pertineat ad locatores, si sine dolo & culpa nautæ acciderit, tamen in specie proposita quæritur, num actione oneris aversi nauta teneatur aliis locatoribus? Quasi videatur onus navi impositum avertisse, permutasse aut distraxisse, ex eo partem uni ex locatoribus reddendo: quo factum est, ut hic salvam suam partem habeat.

beat, reliqui non habeant. Hic intuendum, num id actum sit ut eadem res quæ locata erat redderetur, an vero alia ejusdem generis, ut frumentum pro frumento atque sic in creditum iretur, vel quasi mutuum quodam genere contraheretur. in priori casu frumentum non factum videtur Saufeii, sed in posteriori factum videtur & rectè datum. Si vero nauta onus frumenti vehendum de pluribus conduxerit, & locatores frumentum non confuderint, sed distinctis tabulis separarint, ita ut internosci posset, quid cujusque esset, & uni ex locatoribus nauta frumentum suum reddiderit, recte fecit, nec oneris aversi actione tenetur. Sed si alienum reddiderit, domino vindicatio frumenti sui contra possessorem competit, & actio oneris aversi aut furti contra nautam. Si vero confuderint frumenta, ut initio dictum, & sic in creditum ierint communiter, frumentum factum nautæ videtur, & ideo uni dando pro sua parte, onus avertere non videtur, recte dare videtur. quamvis autem culpa nautæ in eo esse videatur quod ex re communi uni reddidit, tamen omnimodo non est culpa: quia alicui primum

mum reddere necesse fuit, tametsi ejus conditionem meliorem faceret, quam cæterorum *l.* 31. *D. l. cond. Cuja. 7. Obs.* 35. *fuse.* qui si per se vigilaverit, industria ejus pœnas desidiæ reliquorum nō solvet *L.* 12. *C. depositi.* Si vero culpa nautæ naufragium factū sit, ex locato tenetur. Clariss. IC. Antonius Matthæus in Disp. 21. de Locat. th. 16. in hæc verba contraxit: *Si plures frumenta sua in navem immiserint, non tabulis aut cronibus distincta, tametsi in creditum iri videatur, actio tamen locati competit. Et si uni nauta frumentum bona fide reddiderit dein perierit navis, non tenetur reliquis mercatoribus oneris aversi actione: sufficit culpam ab eo præstari.* Sed quomodo hæc LL. limitentur, jam dictum.

XVI. Frumentum in navi movebit ex convento nauta, quoties necesse fuerit: ne corrumpatur, nisi fecerit, tenebitur; excepto, si per tempestatem aut procellam impediatur. Pro hoc tamen labore singularem mercedem feret; aut competet ei actio ex locato conducto. Si nihil convenerit, aut mercedem non pactus sit, ad movendum frumentum stricte non obligatur

gatur: nisi ex affectu erga proximum & ex æquitate naturali ut, quod tibi fieri vis, alteri facias, sponte hoc præstet: atque sic mercedem ex æquo & bono capiet.

CAP. VII.

De Societate navali pacata.

I. Societas navalis pacata unde dicatur.

II. Societatem navalem pacatam vel negociatoriam esse vetusti moris, probatur exemplo Salomonis. Quæ fuerit Ophyra, obiter notatur. Cur Salomoni feliciter cesserit societas navalis, Iosaphato infeliciter.

III. Num contractus Societatis navalis cum Iudæis sit licitus.

IV. De modo & fine Societatis navalis.

V. Participatio lucri non damni quando hic admittatur.

VI. Naufragii damnum commune est sociis.

I. Contractus nauticos qui consensu fiunt, nimirum emtionem venditionem, locat. conductionem, modo discussos nunc ordine excipit societas navalis, Hanc

Hanc Societatem navalem esse bellicam vel pacatam sup. lib. 2. c. 2. indicatum, & de bellica ibidem per occasionem actum est. Hic de societate pacata agemus: quæ quamvis etiam armatas naves præsidii caussa sibi adjunctas habere possit, tamen pacata nuncupatur, quatenus extra conflictum armorum, præcipue negociationis caussa adornatur.

II. Societas navalis pacata non minus est antiqui moris, quam bellica: veluti inter alia constat ex societate Salomonis, quam cum Hiramo & Tyriis hujus subditis rei maritimæ & navigationis peritis conjuncta classe contraxit, aurum ex Ophira petendi causa. 1. *Reg.* 9. v. 27. 28. & 2. *Paralip.* 8. v. 30. Ophira autem ab Ophiro filio Ioctanis, cujus meminit Moses *Gen.* 10. v. 29. ita dicta, existimatur illa esse regio Indiæ Orientalis, quæ ultra Gangem sita, regnum Pegusiæ nunc appellatur: cui vicinæ sunt aurea Chersonesus, Malaca & Somatra; uti Varrerius Lusitanus in commentario suo de Ophyra regione luculenter probat. confer quoque Grotium ad lib. 3. Reg. c. 9. v. 28. Sed qui factum est, quod Salomoni feliciter cessit, Iosaphato

vero

vero infeliciter Societas navalis: cum tamen utrique idem scopus de advehendo auro videatur fuisse propositus? Solomon hanc societatem instinctu divino contrahebat. Quippe ipsi ingentes à Deo divitiæ erant promissæ 1. *Reg.* 3. *v.* 13. quas cumulabant istæ navigationes in Ophiram. Et Salomon non exiguam auri & opum suarum partem impendebat in honorem Dei & exstructionem templi à Deo Salomoni impositam: ideo institutum Salomonis Deo placebat & ex voto Regi sapientissimo succedebat. Sed Iosaphatus inibat foedus commerciorum & societatem navalem cum Ahasia rege impio, & fiducia humanarum opum, quod fiebat Deo invito & irato: ideoque naves Iosaphati disruptæ sunt 2. *Paralip.* 20. *vers.* 35. 36. 37.

III. Ex hoc exemplo Theologi ansam arripuerunt negandi Christianum bona cum conscientia contractum Societatis navalis cum Iudæo coire posse; de quo Facultatis Theologicæ Ienensis in 2. parte consiliorum Dedekenni, pag. 151. & in Iudaismo Mulleri pag. 1485. Consilium exstat, quod è Germanico in Latinum sermonem ita vertebam; *Dicta S. Scriptura,*

turæ, quæ nos à consuetudine cum idololatris & superstitiosis dehortantur, veluti Iesa. 52. v. 11. 2. Cor. 6. v. 14. & seqq. Apoc. 18. v. 5. &c. primariò quidem de interna communione spiritus, animi & fidei intelligenda sunt; attamen secundario & consequenter nos simul monent, ne nimis civilem & externam societatem cum illis colamus. partim nostri causa, ne ab illis contaminemur & seducamur, vel etiam multa videre & audire cogamur, quæ nobis, modo Zelum Christianæ pietatis habeamus, adversa sint. partim proximi caussa. ne illi scandalo simus, aut occasionem præbeamus male de nobis cogitandi, quasi religionem tanti non faciamus. Ab omni specie mali abstinete, inquit Apostolus 1. Thess. 5. v. 22. Iam autem negari nequit, quin speciem mali habeat, & prorsus magna atque arcta coniunctio sit, quando cum Iudæo contractus societatis navalis initur, animo lucrum & damnum, bonum & malum simul periclitandi & subeundi, & ex suis atque Iudæi facultatibus unam quasi placentam aut massam faciendi. Quomodo vero talis conjunctio cum heterodoxis Deo placeat, de eo evidens & memorabile exemplum habemus 2. Par. 20. v. 35. 36. 37. (quod jam sup. §. 3.

com-

commemoratum est.) *Quamobrem si in hujusmodi societate navali Christiano homini quid improsperi accideret, nequaquam eum in conscientia securum reddere possemus, quin pro pœna Dei esset habendum. Quod autem alios contractus in emendo & vendendo attinet, eorum diversa ratio est, quia in illis non tam arcta & singularis communio intercedit, quam in contractu societatis. Attamen in illis quoque verus Christianus conscientiæ suæ & honestati consulet.* Quod in hoc consilio Theologico de arcta conjunctione vel communione circa contractum Societatis dicitur, convenit etiam juri. nam in l. 63. D. pro socio, *Societas jus quodammodo fraternitatis in se habere* dicitur.

IV. Societas navalis bonorum in naves collatorum, & negotiationis transmarinæ caussa initur: ita ut singuli socii æquas partes lucri & damni ferant.

V. Aliquando tamen societas ita coiri potest, ut alter nullius partem damni sentiat, lucrum vero ipsi commune sit. ut si tanti sit opera alicujus, quanti damnum est; aut si plus societati conferat quam pecunia: ut si, reliquis domi desidentibus, solus naviget & pericula subeat solus §. 2. *Inst.*

Inst. de Societ. l. 29. §. 1. D. pro socio.

VI. Absque hoc sit, commune periculum est inter socios *l. 24. D. eod.* & commune eorum damnum, si quid naufragio periit. Sicuti enim lucrum, ita quoque damnum commune esse oportet, quod non culpa socii contingit. *l. 52. § 4. D. pro soc. Paulus 2. Sent. 16.* Plura de Societate navali habes in Legibus nauticis Rhodiorum *c. 9. c. 17. 21. 27. 28. 32. Vid. & sup. lib. 1. c. 2. §. 6.*

CAP. VIII.

De Exercitoria Actione, De aliis actionibus earumque concursu, strictim & remissive, ut vocant.

I. *De mandato.*

II. *Unde appelletur Actio exercitoria, & quæ sit.*

III. *Præpositorum navi officium.*

IV. *Perinde esse, cujus sint conditionis aut sexus magister navis & exercitores.*

V. Exerti-

V. *Exercitores teneri contrahentibus. caussa hujus rei.*

VI. *Cujus rei actio competat contrahenti cum magistro navis adversus exercitorem.*

VII. *Si magister navis mutuo sumtam pecuniam non in navis sed suos usus converterit, num inde detur actio in exercitorem.*

VIII. *Cautio creditoris in mutuo danda magistro navis pecunia.*

IX. *Si plures sint exercitores aut magistri navis, quomodo tunc obligentur exercitores.*

X. *Num naturali æquitati conveniat, ut exercitor ex facto magistri navis in solidum teneatur.*

XI. *Ex delicto nautarum actio in exercitorem.*

XII. *Exercitor nomine illatorum in navem tenetur: eoque respectu vectorum factum præstare dicitur, quousque se hoc extendat.*

XIII. *Num casus fortuitus hic à mandatario, vel mandatore præstandus?*

XIV. *Electio creditoris in instituenda actione contra exercitorem vel magistrum navis.*

XV. Non

XV. Non dari contrariam actionem exercitori contra creditorem.

XVI. Actio exercitoria haredi & in haredem datur.

XVII. De actionibus aliis, & concursu actionum remissio fit ad authores.

I. SOcietatis navalis contractum nunc ordine subsequi deberet Mandatum. Verum cum Exercitor magistro navis curam totius navis mandet *l. 1. §. 1. D. de exerc. act.* et cum eo hinc mandati agere possit *l. 1. §. 18. d. tit.* de eo, quatenus huc pertinet, & inprimis de Exercitoria Actione nunc differemus.

II. Exercitoria dicitur Actio ab *exercitione navis*: cujus tanta est utilitas, ut ad summam remp. pertineat *l. 1. §. 20. h. t.* Exercitores navis sunt patroni navium Suedice Reedare / à Reeda vel Bthreeda / quasi qui parant & expediunt navem, Belg. & Germanice Reeders / Schiffs-freunde / qui quæstum ex navi *exercent*, vel ad quos obventiones & reditus navis perveniunt, sive domini navis sint, sive per aversionem à dominis navem conduxerint, vel ad tempus vel in perpetuum. *§. 2. Inst. quod cum*

eo

eo q. i. a. p. l. 1. §. 15. D. de exerc. act. In *l.* 1. § 2. *D. nautæ caup. st.* etiam *nautæ* dicuntur. Exercitoria vero potius est actionis ex contractu adjectio vel qualitas, quam actio per se consistens, ex plurium sententia, quod non putant otiosum observasse. nam si inter actiones referenda sit, stricti juris naturam induere deberet, cum bonæ fidei contractibus a Iustiniano non annumeretur. §. *actionum Inst. de act.* Sed si qualitas tantum & adjectio actionum est, ejus actionis, cujus adjectio est, naturam sequi debet. ut, si quis magistro navis quid vendiderit, actio ex vendito exercitoria, si commodaverit, commodati exercitoria, si mandaverit, mandati exercitoria competat. Hodie tamen exercitoria actio directo condici potest. Sed de hac re plura Peckius *ad h. tit. nov. edit. pag.* 164. *& seqq.* Grotius *de jur. b. e. p.* 2. 11. 13. Vinnius *ad Peck. pag.* 70. 128. 164. *Bachov. disp.* 8. *de Action.*

III. Exercitores magistros navi præponunt, quibus totius navis cura mandata est; vel qui præponuntur locandis navibus, vel vectoribus conducendis, vel mercibus emendis vendendis *l.* 1. §. 1. 3. *D. de exerc. act.*

IV. Nihil

IV. Nihil autem interest, cujus sit conditionis aut ætatis magister navis. Sibi enim imputabit, qui præposuit *l. 1. §. 4. d. tit.* Nec adeo refert an exercitores sint mares an feminæ, patresfamilias an filiifamilias aut servi *l. 1. §. 16. h. t. l. 7. §. 1. de instit. act. l. 4. C. eod.* modo voluntate eorum exerceant, in quorum potestate sunt *d. l. 1. §. 19. 21. h. t. l. 42. D. de furt.* & pupillus authoritate tutoris *d. l. 1. §. 16. h. t.*

V. Illi vero qui præposuerunt magistrum navi, tenentur exercitoria actione illis qui cum magistro navis contraxerunt. Cujus rei caussa duplex est 1. qui contrahunt cum magistro navis, non semper possunt nosse conditionem ejus (ut alias *l. 19. D. de reg. jur.* requirit) propter navigandi necessitatem, quæ non patitur plenius disquirendi spatium & deliberandi consilium *l. 1. h. t.* 2. quia intuitu exercitoris, & tacito vel expresso ejus consensu aliquis cum magistro navis contrahit: ideo exercitoris fides, quam hic secutus est eum merito non fallet. *l. 1. §. 2. 5. h. t. l. 1. nautæ. caup. stab.* Quin si plures exerceant navem, omnium consensus in expediunda navi requiritur. Si magister navis solus, vel

vel cum quibusdam exercitoribus, reliquis insciis, in eorum fraudem vel præjudicium acceperit merces in navem, ille cum consciis parte sua privatur, ac pœna arbitraria plectitur, *secundum Statuta marit. Hanseat. art.* 13. Non solum autem exercitores ex facto magistri navis tenentur in solidum, sed etiam ex facto ejus quem sibi substituit magister navis, etiamsi non sit idoneus: omnia enim facta magistri præstabit exercitor. *l.* 1. §. 5. *h. t.* Sed damnum passus, habebit cum magistro navis actionem locati, si conduxerit ejus operas; vel mandati, si gratuitas operas præstet magister *l.* 1. §. 18. *h. t.* Ex facto substituti tenentur quoque exercitores; sive sciverint & passi sint substitui, sive ignoraverint aut prohibuerint: idque propter utilitatem navigantium *d. l.* 1. §. 5. *h. t.* Sed & si filius familias aut servus præponantur navi eamve exerceant expressa voluntate patris aut domini, in quorum sunt potestate, tunc in solidum dominus & pater tenentur, ad quos quotidianus navis quæstus pertinet §. 2. *Inst. quod cum eo l.* 4. §. 2. 3. *D. de exerc. act. l.* 6. *C. eod.* Si vero non expresse consenserint, sed solum sciverint & passi sint,

tributoria vel peculiotenus tenentur, *l.* 1. §. 20. 22. *l.* 6. *h.t. Vid. quoque Peck. & Vin. in h.t. p.* 84. 134. *& seqq.* Nihil autem intereſt exercitoris, mihine an alii in ſolidum obligetur ex contractu ejus quem ipſe magiſtrum navi ſuæ præpoſuit, ſive is ſervus illius ſit, ſive meus, ſive mihi cum illo communis *l.* 5. *h.t. & interpretes.*

VI. Contrahenti cum magiſtro navis actio adverſus exercitorem competit ejus rei ſolum cauſſa, cui præpoſitus eſt magiſter navis, non alterius rei nomine. Extra præpoſitionis enim terminos, quæ dat certam legem contrahentibus, dominus non obligatur *l.* 1. §. 12. *h.t.* Hoc late explicatur & illuſtratur exemplis in *d l.* 1. §. 7. *& seqq. l. ult. h.t. l.* 1. 2. *C. eod. Cujac. ad African. p. m.* 537. 538. Creditores hic circumſpecte agere eorum intereſt, ut in genus commiſſionis vel officii magiſtrorum & eorum conditionem, quantum tempus & locus permittit, ſedulo inquirant, antequam cum eis contrahant *l.* 19. *de R. I.* Atque ſi nulla contra exercitorem actione juvari in hoc caſu poſſint; cum ipſis tamen magiſtris experiri non prohibentur, ſi cum eis contrahentes dolo circumventi ſint. *Peck.*

comment.

comment. ad h. t. pag. 93. 94. & *ibid. Vinn.* Quamvis autem exercitor ex eo solum teneatur, cujus nomine præposuit magistrum navi, tamen præpositio ad ea quoque extendi potest quæ sæpe incidenter & per consequentiam rei principaliter commissæ interveniunt. Vt si v.g. navis reficienda aut instruenda sit, & magister in usum navis reficiendæ aut instruendæ cui præpositus est, pecuniam fuerit mutuatus, etiamsi hoc non jusserit exercitor, tamen in exercitorem actio dabitur. *l.* 1. §. 8. *h. t.* quia & hoc non permissum modo verum etiam magistro commissum in consequentiam intelligitur *arg. l.* 2. *D. de jurisd. l.* 56 62. *D. de procur. Ant. Fab. in rational. Vinn. d. loc. pag.* 94. 183.

VII. Si vero magister navis pecuniam ab alio mutuo sumtam, vel ab exercitore acceptam, ad alendos nautas, vel ad armandam, instruendam & reficiendam navem, eo non impenderit, sed in usus suos converterit, num in exercitorem dabitur actio? Imo dabitur, si hac conditione accepit, ut in navem impenderet; mox vero mutavit voluntatem, aut in pretiis rerum emtorem fefellit. exercitor enim sibi

N 2 imputabit,

tero, sive sit magister navis sive adjunctus, gerat, creditor qui contra legem præpositionis (quam scivit, aut, si diligentius inquirat, scire potuit) cum uno contraxit, sibi imputabit *l.* 1. §. 14. *D. h. t. Vinn. d. loc. p.* 111. 112. Si vero plures per se navem exerceant, & omnes simul contraxerint, non in solidum singuli actione propria ex contractu suo tenentur, sed tantum pro ea parte quam in navi habent: non enim invicem sui magistri videntur. *l.* 4 *h.t.l.ult.* §.5 *D. naut. caup: stab.* Sed si plures navem exercentes unum de numero suo magistrum fecerint, hujus nomine omnes in solidum actione exercitoria poterunt conveniri. *d. l.* 4. §. 1. Si unus ex ipsis exercitoribus cum communi navis magistro contraxerit, agere cum reliquis exercitoribus poterit pro ea parte quam habet in navi *l.* 5. §. 2. *h. t.* Si plures navem exercentes ex contractu magistri conveniantur, cum quolibet eorum actione exercitoria in solidum agi potest *l.* 1. §. 25. *h. t.* Si vero plures ex contractu suo proprio conveniantur, quatenus navem per se exercent; singuli ex actione propria tenebuntur, non exercitoria. Eadem ratio est,

si

Interdum etiam illud in æstimationem venit, an in eo loco pecunia credita sit, in quo id propter quod credebatur, comparari potuerit. Quid enim si quis ad velum emendum in eo loco crediderit pecuniam, ubi velum comparari non potest? quod tamen creditor scire potuit aut debuit. In summa, diligentiam aliquam in ea re creditor præstare debet, si utiliter hic agere velit. *d. l. 7. §. 1. 2. h. t.* Hanc autem totam legem observandam, rectè monet Vinnius ob fraudes magistrorum navis & institorum, ne per ingentes pecunias, quas accepisse se mutuo dixerint, in causam navis vel commercii, quod absentis domini est, redigatur bona pars negociationis ad nihilum, ditatis nimirum in domini caput ac mortem fraudulentis ministris. *Vinn. ad h. t. pag. 183 in fin.*

IX. Si plures sint magistri navis, quod tamen raro fit, & quidem divisis sint officiis, tunc pro distincto cujusque officio exercitor obligabitur *l. 1 §. 13. h. t.* Si non divisis officiis, quod cum uno gestum erit, obligabit exercitorem in solidum. *d. l. 1. l. 6. §. 1. eod.* Si vero sic præposuit exercitor, ut plerumque solet, ne quid alter sine al-

Inst. de Societ. l. 29. §. 1. D. pro socio.

VI. Absque hoc sit, commune periculum est inter socios *l. 24. D. eod.* & commune eorum damnum, si quid naufragio periit. Sicuti enim lucrum, ita quoque damnum commune esse oportet, quod non culpa socii contingit. *l. 52. § 4. D. pro soc. Paulus 2. Sent. 16.* Plura de Societate navali habes in Legibus nauticis Rhodiorum *c. 9. c. 17. 21. 27. 28. 32. Vid. & sup. lib. 1. c. 2. §. 6.*

Cap. VIII.

De Exercitoria Actione. De aliis actionibus earumque concursu, strictim & remissive, ut vocant.

I. *De mandato.*

II. *Unde appelletur Actio exercitoria, & quæ sit.*

III. *Præpositorum navi officium.*

IV. *Perinde esse, cujus sint conditionis aut sexus magister navis & exercitores.*

V. Exerci-

V. *Exercitores teneri contrahentibus. caussa hujus rei.*

VI. *Cujus rei actio competat contrahenti cum magistro navis adversus exercitorem.*

VII. *Si magister navis mutuo sumtam pecuniam non in navis sed suos usus converterit, num inde detur actio in exercitorem.*

VIII. *Cautio creditoris in mutuo danda magistro navis pecunia.*

IX. *Si plures sint exercitores aut magistri navis, quomodo tunc obligentur exercitores.*

X. *Num naturali æquitati conveniat, ut exercitor ex facto magistri navis in solidum teneatur.*

XI. *Ex delicto nautarum actio in exercitorem.*

XII. *Exercitor nomine illatorum in navem tenetur: eoque respectu vectorum factum præstare dicitur. quousque se hoc extendat.*

XIII. *Num casus fortuitus hic à mandatario, vel mandatore præstandus?*

XIV. *Electio creditoris in instituenda actione contra exercitorem vel magistrum navis.*

XV. Non

XV. *Non dari contrariam actionem exercitori contra creditorem.*

XVI. *Actio exercitoria hæredi & in hæredem datur.*

XVII. *De actionibus aliis, & concursu actionum remissio fit ad authores.*

I. SOcietatis navalis contractum nunc ordine subsequi deberet Mandatum. Verum cum Exercitor magistro navis curam totius navis mandet *l.* 1. §. 1. *D. de exerc. act.* et cum eo hinc mandati agere possit *l.* 1. §. 18. *d. tit.* de eo, quatenus huc pertinet, & inprimis de Exercitoria Actione nunc differemus.

II. Exercitoria dicitur Actio ab *exercitione navis*: cujus tanta est utilitas, ut ad summam remp. pertineat *l.* 1. §. 20. *h. t.* Exercitores navis sunt patroni navium Suedice Redare / à Reeda vel Uthreeda / quasi qui parant &expediunt navem, Belg. & Germanice Reeders / Schiffs-freunde / qui quæstum ex navi *exercent*, vel ad quos obventiones & reditus navis perveniunt, sive domini navis sint, sive per aversionem à dominis navem conduxerint, vel ad tempus vel in perpetuum. §. 2. *Inst. quod cum*

eo

eo q. i. a. p. l. 1. §. 15. D. de exerc. act. In *l. 1. §. 2. D. nautæ caup. st.* etiam *nautæ* dicuntur. Exercitoria vero potius est actionis ex contractu adjectio vel qualitas, quam actio per se consistens, ex plurium sententia, quod non putant otiosum observasse. nam si inter actiones referenda sit, stricti juris naturam induere deberet, cum bonæ fidei contractibus a Iustiniano non annumeretur. *§. actionum Inst. de act.* Sed si qualitas tantum & adjectio actionum est, ejus actionis, cujus adjectio est, naturam sequi debet. ut, si quis magistro navis quid vendiderit, actio ex vendito exercitoria, si commodaverit, commodati exercitoria, si mandaverit, mandati exercitoria competat. Hodie tamen exercitoria actio directo condici potest. Sed de hac re plura Peckius *ad h. tit. nov. edit. pag.* 164. *& seqq.* Grotius *de jur. b. e. p.* 2. 11. 13. Vinnius *ad Peck. pag.* 70. 128. 164. *Bachov. disp.* 8. *de Action.*

III. Exercitores magistros navi præponunt, quibus totius navis cura mandata est; vel qui præponuntur locandis navibus, vel vectoribus conducendis, vel mercibus emendis vendendis *l. 1. §. 1. 3. D. de exerc. act.*

IV. Nihil

IV. Nihil autem intereſt, cujus ſit conditionis aut ætatis magiſter navis. Sibi enim imputabit, qui præpoſuit *l.* 1. §. 4. *d. tit.* Nec adeo refert an exercitores ſint mares an feminæ, patresfamilias an filiifamilias aut ſervi *l.* 1. §. 16. *h. t. l.* 7. §. 1. *de inſtit. act. l.* 4. *C. eod.* modo voluntate eorum exerceant, in quorum poteſtate ſunt *d. l.* 1. §. 19. 21. *h. t. l.* 42. *D. de furt.* & pupillus authoritate tutoris *d. l.* 1. §. 16. *h. t.*

V. Illi vero qui præpoſuerunt magiſtrum navi, tenentur exercitoria actione illis qui cum magiſtro navis contraxerunt. Cujus rei cauſſa duplex eſt 1. qui contrahunt cum magiſtro navis, non ſemper poſſunt noſſe conditionem ejus (ut alias *l.* 19. *D. de reg. jur.* requirit) propter navigandi neceſſitatem, quæ non patitur plenius diſquirendi ſpatium & deliberandi conſilium *l.* 1. *h. t.* 2. quia intuitu exercitoris, & tacito vel expreſſo ejus conſenſu aliquis cum magiſtro navis contrahit: ideo exercitoris fides, quam hic ſecutus eſt eum merito non fallet. *l.* 1. §. 2. 5. *h. t. l.* 1. *nautæ. caup. ſtab.* Quin ſi plures exerceant navem, omnium conſenſus in expediunda navi requiritur. Si magiſter navis ſolus,

vel

vel cum quibusdam exercitoribus, reliquis insciis, in eorum fraudem vel præjudicium receperit merces in navem, ille cum consciis parte sua privatur, ac pœna arbitraria plectitur, *secundum Statuta marit. Hanseat. art.* 13. Non solum autem exercitores ex facto magistri navis tenentur in solidum, sed etiam ex facto ejus quem sibi substituit magister navis, etiamsi non sit idoneus: omnia enim facta magistri præstabit exercitor. *l.* 1. §. 5. *h. t.* Sed damnum passus, habebit cum magistro navis actionem locati, si conduxerit ejus operas; vel mandati, si gratuitas operas præstet magister *l.* 1. §. 18. *h. t.* Ex facto substituti tenentur quoque exercitores; sive sciverint & passi sint substitui, sive ignoraverint aut prohibuerint: idque propter utilitatem navigantium *d. l.* 1. §. 5. *h. t.* Sed & si filius familias aut servus præponantur navi eamve exerceant expressa voluntate patris aut domini, in quorum sunt potestate, tunc in solidum dominus & pater tenentur, ad quos quotidianus navis quæstus pertinet §. 2. *Inst. quod cum eo l.* 4. §. 2. 3. *D. de exerc. act. l.* 6. *C. eod.* Si vero non expresse consenserint, sed solum sciverint & passi sint,

 tri-

tributoria vel peculiotenus tenentur, *l.* 1. §. 20. 22. *l.* 6. *h.t. Vid. quoque Peck. & Vin. in h.t. p.* 84, 134. *& seqq.* Nihil autem intereft exercitoris, mihine an alii in folidum obligetur ex contractu ejus quem ipse magistrum navi suæ præposuit, sive is servus illius sit, sive meus, sive mihi cum illo communis *l.* 5. *h.t. & interpretes.*

VI. Contrahenti cum magistro navis actio adversus exercitorem competit ejus rei solum caussa, cui præpositus est magister navis, non alterius rei nomine. Extra præpositionis enim terminos, quæ dat certam legem contrahentibus, dominus non obligatur *l.* 1. §. 12. *h.t.* Hoc late explicatur & illustratur exemplis in *d l.* 1. §. 7. *& seqq. l. ult. h.t. l.* 1. 2. *C. eod. Cujac. ad African. p. m.* 537. 538. Creditores hic circumspecte agere eorum intereft, ut in genus commissionis vel officii magistrorum & eorum conditionem, quantum tempus & locus permittit, sedulo inquirant, antequam cum eis contrahant *l.* 19. *de R. I.* Atque si nulla contra exercitorem actione juvari in hoc casu possint; cum ipsis tamen magistris experiri non prohibentur, si cum eis contrahentes dolo circumventi sint. *Peck.* *comment.*

comment. ad h. t. pag. 93. 94. *& ibid. Vinn.* Quamvis autem exercitor ex eo solum teneatur, cujus nomine præposuit magistrum navi, tamen præpositio ad ea quoque extendi potest quæ sæpe incidenter & per consequentiam rei principaliter commissæ interveniunt. Vt si v. g. navis reficienda aut instruenda sit, & magister in usum navis reficiendæ aut instruendæ cui præpositus est, pecuniam fuerit mutuatus, etiamsi hoc non jusserit exercitor, tamen in exercitorem actio dabitur. *l.* 1. §. 8. *h. t.* quia & hoc non permissum modo verum etiam magistro commissum in consequentiam intelligitur *arg. l.* 2. *D. de jurisd. l.* 56 62. *D. de procur. Ant. Fab. in rational. Vinn. d. loc. pag.* 94. 183.

VII. Si vero magister navis pecuniam ab alio mutuo sumtam, vel ab exercitore acceptam, ad alendos nautas, vel ad armandam, instruendam & reficiendam navem, eo non impenderit, sed in usus suos converterit, num in exercitorem dabitur actio? Imo dabitur, si hac conditione accepit, ut in navem impenderet; mox vero mutavit voluntatem, aut in pretiis rerum emtorem fefellit. exercitor enim sibi

Interdum etiam illud in æstimationem venit, an in eo loco pecunia credita sit, in quo id propter quod credebatur, comparari potuerit. Quid enim si quis ad velum emendum in eo loco crediderit pecuniam, ubi velum comparari non potest? quod tamen creditor scire potuit aut debuit. In summa, diligentiam aliquam in ea re creditor præstare debet, si utiliter hic agere velit. *d. l.* 7. §. 1.2. *h.t* Hanc autem totam legem observandam, rectè monet Vinnius ob fraudes magistrorum navis & institorum, ne per ingentes pecunias, quas accepisse se mutuo dixerint, in causam navis vel commercii, quod absentis domini est, redigatur bona pars negociationis ad nihilum, ditatis nimirum in domini caput ac mortem fraudulentis ministris. *Vinn. ad h. t. pag.* 183 *in fin.*

IX. Si plures sint magistri navis, quod tamen raro sit, & quidem divisis sint officiis, tunc pro distincto cujusque officio exercitor obligabitur *l.* 1 §. 13. *h.t.* Si non divisis officiis, quod cum uno gestum erit, obligabit exercitorem in solidum. *d. l.* 1. *l.* 6. §. 1. *eod.* Si vero sic præposuit exercitor, ut plerumque solet, ne quid alter sine al-

Interdum etiam illud in æstimationem venit, an in eo loco pecunia credita sit, in quo id propter quod credebatur, comparari potuerit. Quid enim si quis ad velum emendum in eo loco crediderit pecuniam, ubi velum comparari non potest? quod tamen creditor scire potuit aut debuit. In summa, diligentiam aliquam in ea re creditor præstare debet, si utiliter hic agere velit. *d. l.* 7. §. 1.2. *h.t* Hanc autem totam legem observandam, rectè monet Vinnius ob fraudes magistrorum navis & institorum, ne per ingentes pecunias, quas accepisse se mutuo dixerint, in causam navis vel commercii, quod absentis domini est, redigatur bona pars negociationis ad nihilum, ditatis nimirum in domini caput ac mortem fraudulentis ministris. *Vinn. ad h. t. pag.* 183 *in fin.*

IX. Si plures sint magistri navis, quod tamen raro fit, & quidem divisis sint officiis, tunc pro distincto cujusque officio exercitor obligabitur *l.* 1 §. 13. *h.t.* Si non divisis officiis, quod cum uno gestum erit, obligabit exercitorem in solidum. *d. l.* 1. *l.* 6. §. 1. *eod.* Si vero sic præposuit exercitor, ut plerumque solet, ne quid alter sine al-

N 3 tero,

si cum uno ex pluribus navem per se exercentibus contractum sit, *arg. l. 4. h. t.* Si vero cæteri quid nomine coexercitoris aut magistri navis præstiterint, id ab eo repetent actione societatis aut communi dividundo *l. 3. h. t. l. 13. §. ult. D. de inst. act.* *Vinn. in Peck. ad h. tit. p.* 158. 160.

X. Quamvis autem jure R. ex facto magistri exercitor in solidum teneatur: ut ad quem emolumentum præpositionis redit, ad eundem onus obligationis redeat *arg. l.* 10. *l.* 149. *de reg. jur.* & ne in plures adversarios destringatur creditor, qui cum uno conttaxit *l 2. h. t.* quod esse iniquum *l.* 27. §. 8. *D. de pecul.* dicitur; attamen Grotius de jure bell: c. p. 2, 11, 13. & Vinnius ad Peck in comment. ad LL. nautic: h. t. pag. 155. negant hoc naturali æquitati convenire, quæ satis habet, si pro suis singuli partibus conveniantur. Nec publice utile esse existimant: absterreri enim homines ab exercendis navibus, si metuant ne ex facto magistri quasi in infinitum teneantur. Vnde apud Hollandos illam legem non observari notant. Quin & constitutum esse, ne exercitoria etiam universi amplius teneantur, quam ad æstimatio-

nem navis & eorum quæ in navi sunt.

XI. Etiamsi non detur actio in exercitorem, si cum quolibet nautarum actum sit: quia exercitor non permittit cum eis contrahi, velut cum magistro *l.* 1. §. 2. *h.t.* ex delicto tamen nautarum datur actio quasi ex maleficio in exercitorem: curare enim debet, quantum in ipso est, ut culpa & dolo careant: *d. l.* 1. §. 2. cum ipse tales suo periculo adhibuerit *l.* 7. *D. naut. caup. stab.* Antequam vero adhiberet alienos, explorare eum oportebat, cujus fidei & innocentiæ essent. quod si non fecerit, culpæ cujusdam nomine tenetur. Aliquatenus enim culpæ reus est, qui opera malorum hominum utitur. §. *ult. Inst. de oblig. ex quas. del.* qua de re in Cap. seq. plura. In suis autem venia dignus esse videtur, si tales quales ad instruendam navem adhibuerit. Vnde servorum suorum nomine noxali duntaxat tenetur *l.* 7. §. 4. *D. naut. c. st. l. un.* §. 5. *D. furti advers. n. c. st. l.* 42. *D. de furt. l.* 19. §. 2. *De noxal. act.* vel ipsi ex suo delicto tenentur, si domino ignorante deliquerint. Alienorum nomine dominus tenetur actione in factum *l.* 3. *l.* 7. §. 4. *D. Naute caup. st.* §. *ult. Inst. de oblig. ex quas. del.*

Si

Si vero nautæ quid damni inter se dederint, hoc ad exercitorem non pertinet, sed ad ipsos *l.7.§.2.nau.c.st.* Si exercitor ipse damnum dederit, ex vero delicto obligatur, *arg.§.3.Inst. de oblig. ex quas del.*

XII. Exercitor quoque vectorum factum præstare dicitur, non intuitu delicti eorum *l. un. Furti adv. naut. c. st.* sed ex convento, nomine illatorum in navem. *l.1. §.8.in fin. Naut. c.st. Pac.cent. 7. conciliat. q.* 57. aut quæ in litore perierint; si tamen receperit vel per se vel per magistrum navis, sive res nostræ sive alienæ sint; aut si nostra intersit salvas esse, ut pignus *l.1.§.2.l.3. D. naut caup.stab.l.1.§.7.eod.* Et quamvis nauta vel exercitor non principaliter mercedem accipiat pro custodia, sed pro ipsis vectoribus & mercibus trajiciendis, tamen custodiæ nomine ex locato tenetur, vel actione de recepto; atque sic furti damnive in nave, non extra eam, commissi nomine obligatur. *l.5. l.7. Naut. caup. st.* etiam si quis gratis vel amicitiæ caussa navigaverit *l. 6. dicto tit.* aut si receperit salvas res fore, recipiendo periculum custodiæ subit *l. un. D. furti adv. naut.§.4.* Sed si prædixerit nauclerus vel

exercitor, ut unusquisque vectorum res suas servet, neque damnum se præstiturum, illique consenserint prædictioni sive expresse sive tacite, remanendo in navi, nauta vel exercitor non convenitur. *l.* 7. *Naut. c. st.* Si vero contradixerint, & nauta eos in navi remanere patiatur, tenebitur. *Vinn: in d. tit. pag.* 60. Nec de recepto ex contractu remigis aut mesonautæ aliquid recipientium, ut magistri navis, tenetur, nisi ipse alicui eorum quid committi expressè jusserit. *l.* 1. §. 2. *D. Naut. c. st.* Hic tamen statuta & mores cujusque regionis spectandos, rectè monet Vinnius *ad h. l pag.* 9. Nomine custodum navis & qui annonam istic administrant, exercitor tenetur *l.* 1. §. 3. *D. naut. c. st.* Sed damnum fatale illatarum navi merciū non præstabit exercitor, si quid naufragio aut per vim piratarum perierit *l.* 3. §. 1. *d. t.*

XIII. Si vero mandatarius sit spoliatus à prædonibus, aut naufragio quid amiserit, num imputabit mandanti aut ab eo repetet? Hæc quæstio ex occasione est digna ventilari. Lex *Inter causas* 26. §. 6. *D. mandati & Synopsis Basil.* 14. *tit.* 1. *lib.* 35. *tit.* 1. *c.* 5. §. 2. repetere posse negant: quia

hæc

hæc magis casui quam mandato imputanda sint. Itaque hic locum non habebit regula, Mandatario suum officium non oportere esse damnosum: hoc enim damnum non ex occasione mandati exsequendi, sed vi majore aut fortuito ipsi accidit *d. l. 26. &* *Rittershus. ad leg. 23. de reg. jur. pag. m.* 85. Sic vice versa casus fortuitus à mandatario non præstatur mandatori; nisi ad hoc se obligarit *l.* 39. *mandati*, quod enim absque culpa accidit; à nullo præstatur. Quod autem Accursius ad *leg.* 26. §. 6. *ff.* mand. notat. d. paragraphum de curialitate (ut loquitur) non debere servari, hoc magis de æquitate, vel remissione quam necessitate juris audiendum est; nisi statutum aut mores sint in contrarium.

XIV. Datur electio creditori, utrum magistrum an exercitorem convenire velit *l.* 1. §. 17. *l.* 5. §. 1. *D. de exerc. act.* Et in potestate ejus, cui subrepta res in navi, est utrum malit cum exercitore an fure ipso experiri *l un.* §. 3. *D. Furti adv. naut.* Si vero unum semel elegerit cum altero agere non potest, etsi nihil aut minus, quam ei debebatur, ab uno acceperit, unius enim actionis electione cæteræ consumuntur

vid. hic Vinn. p. 149. 150. Si vero quid solutum sit sive ab exercitore sive magistro, ipso jure minuitur obligatio : nam & alius pro me solvendo me liberat *l.* 1. §. 24. *D. de exerc. act.*

XV. Vt autem creditori contra magistrum navis vel exercitorem competit actio, ita non datur contraria actio exercitori contra creditorem : quia non indiget eodem auxilio; sed aut ex locato cum magistro navis, si mercede ejus operam conduxit, aut si gratuitam operam exercitori præstet, mandati agere potest *l.* 1. §. *sed ex contr.* 18. *D. de exerc. act. & h. cap. sup.* §. 5. aliquando tamen ob ministerium annonæ extra ordinem invatur exercitor *d. l.* 1. §. 18 *h. t.* i. e. per modum restitutionis in integrum, si magister non sit solvendo, ut explicat Bachovius *ad VVesenb. parat. h. tit. numer.* 6.

XVI. Hæc actio hæredi & in hæredem datur *l.* 4. §. 4. *D. de ex. act.* quia continet rei persecutionem *l.* 3. §. 4. *D. nau. c. st.* Sed & in patrem & dominum defuncti filii & servi datur, si filius aut servus eorum voluntate navem exercuerint *l.* 7. §. *ult. d. tit.* quasi omnia quæ ibi contingunt, in

solidum

ſolidum receperint, ut lex loquitur.

XVII. Actiones alias ratione dominii, pro re vindicanda, aut vi obligationis ex contractibus hic non tractamus; nec item de concurſu actionum hic agimus; quum de illis jam ante ſuo loco, quoties occaſio tulit, actum ſit, & de iiſdem tit. Inſt. de Actionib. & Dig. de Oblig. & Act. & Strypmannus *p. 4. c. 1. n.* 156. *& ſeqq. & n.* 178. *& ſeqq.* Item de concurſu actionum *p. 4. c. ult.* fuſe, aliique hæc ex profeſſo tractantes conſuli poſſunt. Non enim omnia ſed præcipua, & quæ maxime huc faciunt, perſequi noſtri eſt inſtituti.

Cap. IX.

De Delictis in navi.

I. Obligatio ex delictis.
II. De furto in navi.
III. Magiſter navis non plené reſtituens recepta, quomodo inde teneatur.
IV. Si res nautæ commiſſa caſu fortuito perierit, num debitoris an creditoris ſit periculum.

V. Quid

V. *Quid proprie raptum ex naufragio vel nave expugnata dicatur, quid non.*

VI. *Quinam rapti actione teneantur; & quæ ejus pœna.*

VII. *Non solum vim à bonis navis sed & personis abstinendam esse.*

VIII. *De damno dato per dolum vel culpam magistri navis, sique naufragio caussam dederit, remisse ve.*

IX. *Si merces alio devehendæ à prædonibus aut piratis direptæ sint, num inde teneatur magister navis.*

X. *Si magister navis falsis insignibus utens causam damni dederit.*

XI. *Si navis aliam navem incurrendo, ei damnum dederit aut eam depresserit quomodo æstimetur.*

XII. *Navis vi ventorum in funes anchorarum impulsa.*

XIII. *Si navis perforata sit.*

XIV. *Damnum quod nautæ inter se dederunt.*

XV. *Malum scandentis casus & damni æstimatio.*

XVI. *De injuriis in navi.*

XVII. *Disciplina nautica, modus in ea non excedendus.*

XVIII. *Stringentis cultrum aut gladium in*

in alium pœna.

XIX. Contumaciæ, factionis & tumultus pœna.

XXI. De quasi maleficiis.

XXII. XXIII. XXIV. De homicidio & ejus variis casibus in navi accidentibus, aliisque delictis pub.

I. Obligationem ex contractu, & quæ inde nascuntur actiones earumque qualitates, nunc sequitur obligatio ex delictis, qualia sunt furtum, rapina, vis, damnum, injuria, quasi maleficium; homicidium & alia publica delicta: quæ, quantum nostro serviunt instituto, nunc discutiemus.

II. Si res, quam magister navis recepit salvam fore, furto sit ablata, inde tenebitur ille: quia semel periculum rei suscepit *arg. l. 3. D. nautæ caup. stab. l. 14. in fin. D. de furt.* Aliud vero dicendum, si inter magistrum navis & vectores convenerit, ut quisque res suas ipse custodiat: hic enim actio contra magistrum navis propter pactum cessat. *l. 27. D. de reg. jur. & in eam Faber. p. m. 151,* plura *sup. hoc lib. cap.* 8. §. 12.

III. Si

III. Si magister navis recipiens res ad me perferendas, non tantum restituat, quantum ei commissum est, omnino inde tenebitur. Sed hic prius constare debet, quantum ejus fidei sit commissum: quod vel testibus probandum esse, vel expressa designatione, alibi dictum (in Synops. jur. Diss. 28. q. 2.) Sed Dd. negant necesse esse expresse adsignari res nautæ, sed sufficere res in navem immissas esse, ut ex contractu etiam tacito de recepto, & exacta custodia teneatur magister navis. Quanquam hoc non aliter procedit, quam si sciverit aut scire debuerit & potuerit esse immissas. *Gudelin. l. 3. de jure noviss. c.* 10. Ceterum si reus negaverit tot & tantas res immissas esse, quot & quantas adfirmat actor, & habeat quidem quasdam hujus rei probationes, sed ancipites nec satis idoneas, hic ut in re dubia juramento locus erit. *l.* 31. *de jureiur.* Sed cui deferendum juramentum, reo an actori? Reus, si bonæ famæ sit, ad delationem actoris se juramento liberabit à præsumtione rerum subductarum aut male custoditarum. Si vero adsit suspicio perjurii in reo, fallere & mentiri solito, aut si sit infamis atque intestabilis, aut in probatione jura-

ne juratoria deficiat; actori, si sit homo bonæ fidei & famæ, deferendum juramentum *Beust. de jureiur. p. m. 403. 404. seq.* & sic à reo tantum restituendum, quantum juraverit sibi ablatum actor. Ea videtur esse mens Theoderici Gothorum Regis in Edicto §. 119. quæ sic habet: *Si quid de taberna, nave vel stabulo perierit, ab his qui locis talibus præsunt, vel qui in his negotiantur, repetendum est, ita ut præstent sacramenta de conscientia sua suorumque: & si hoc fecerint, nihil cogantur exsolvere; aut certe quantum petitor juraverit se in eo loco perdidisse, restituant.* In Codice LL. antiquarum editionis Lindenbrogianæ circa initium hujus Edicti vox *nave* est omissa. sed hanc ei restituendam esse patet ex inscriptione Edicti: Si *quid* (ita emend. pro *quis*) *de taberna, nave aut stabulo perierit.* Si vero postea deprehendatur ipse magister navis res quasdam suppressisse & abstulisse, aut in usus suos convertisse, furti reus erit *arg. l. 7. Cod. de furt. c. 1. 2. jur. Suet. eod.* In Statutis Lub. 4. 1. 7. sic habetur: *Nautæ, aurigæ & similes personæ, quibus res transportandæ creduntur, iis justo loco non traditis, sed ex parte abnegatis, cum aliud compertum fuerit,*
ut

ut fures plectuntor. Conferantur quoque Statuta Prussica lib. 4. tit. 19. artic. 1. § 9. 10. Recepta, quorum dominus ignoratur, magistratui loci, ubi exonerat navem, tradi jubentur, ibid. Sed magistri navis pecuniam ab amicis accipientes, ut illam aliis in transmarino loco degentibus persolverent quam illi non animo furandi, sed necessitatis caussa in usus suos converterunt, reddere parati simulac potuerint, furti pœnæ non erunt obnoxii: quia non habuerunt affectum furandi. *vid. Mev. in d. l. jur. Lub. n.* 8. 9. *Carpz. Pract. crim. p.* 2. *q.* 58. *n.* 87. *& seqq.* Si vero absque eorum culpa res, quam receperunt, pereat, tamen tenentur de recepto; nisi quid damno fatali contingat. *l.* 3. §. 1. *D. naut. cau. stab.* Si vero solvendo sint magistri navis, furti actio contra fures eis dabitur *l.* 14. §. 17. *D. de furt.* Plura de furto in navi extant in *l. un. D. Furt. adv. naut.*

IV. Si res aut pecuniæ nautæ commissæ naufragio perierint, aut per vim piratarum raptæ sint, æquum est magistro navis exceptionem dari, nec eum ad hoc damnum casu datum obligari *d. l.* 3. §. 1. *naut. c. st. l.* 23. *de reg. jur.* Cujus ergo hoc pericu-

lum

lum & damnum erit, an debitoris vel creditoris? Communiter statuitur debitoris esse periculum, quem casus fortuiti non liberant ab ære alieno *arg. l.* 11. *Cod. si cert. pet. cap.* 35. *de jure ædif. LL. pro. Sued.* Aliud vero dicendum, si ipse creditor debitorem jusserit per hunc nautam transmittere pecuniam: vel amico scripserit, ut exigeret à suo debitore pecuniam sibique mitteret: is vero tradiderit nautæ qui spoliatus est à prædonibus, aut naufragio perdidit, hoc casu damnum est creditoris, & liberatur debitor *arg. l.* 10. §. 1. *D. commod. Cravett. consil.* 247. *n.* 2. *& seqq.*

V. Raptum ex naufragio vel nave expugnata proprie dicitur, quod eo tempore & loco quo naufragium fit, raptum est *l.* 1. §. 5. *l.* 2. 3. *D. de incend. ruin. nauf.* & quando navis in prælio expugnatur ab hostibus vel piratis, quando spoliatur, mergitur, dissolvitur aut pertunditur, aut funes ejus præciduntur, aut vela conscinduntur aut anchoræ involantur de mari *l.* 3 §. 1. *l.* 6. *D. d. ti. de inc. r. nauf. nav. r. exp.* Inprimis hic dolus malus attenditur, atque si vis adhibita sit: rapi enim sine vi non potest, *l.* 3. §. 3, 5. *h. t.* Si quis ergo recepit ignarus,

narus, aut ad hoc, ut custodiat & salvum faciat vero domino, qui amisit; non solum extra noxiam, sed & laude dignus est præmioque laboris honesto pro collectis bonis naufragis *arg. l. 7. de serv. exp. Schots. Exa. jur.* In jure Suedico præmium jubetur promi ex bonis collectis, & determinari arbitrio domini & bonorum virorum *c. 17. de furt. L L. civit. 37. L L. prov.*

VI. Non solum qui rapuit, sed & qui abstulit, amovit, damnum dedit, vel recepit, actione rapti tenetur *l. 3. §. 4. d. tit.* Sed & qui invito domino navem usurpat, rapti vel furti tenetur in jure nostro *c. ult. de jur. ædif. L L. prov.* De pœna rapti ex naufragio vel nave, adiri potest lex. 3. § 8. *l. 4. 5. 7. D. de inc. ruin naufr. r. n. e.* & quæ sup. notavi *lib.* 1. *c* 7. §. 16. quæque in diversis populorum Statutis de pœna rapinæ exstant.

VII. Nulla vis fiet vel bonis vectorum & nautarum, vel ipsis, si facta sit, severe punietur *l. 1. D ad leg. Iul de vi pri.* §. 2. Illicite in portu vectigalis nomine extortum, cum altero tanto passis injuriam exsolvi jubetur in jure R. & authores violentiæ præter pœnam tripli extra ordinem plecti,

plecti alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor disciplinæ pub postulat *l.* 9. §.5. *D. de pub. vect.*

VIII. Si quid dolo aut culpa non fecerit, aut fecerit, quod non debuit magister navis, atque sic damnum mercibus dederit, inde dominis mercium tenetur, ut sup. ex occasione suis locis probavi *li.* 2 *c.*1. §. 9. *lib.* 2. *c.* 5. §. 10. 12. *c.* 6. §. 9. *c.* 8. §. 6. 10. 13. 14. 16. *l.* 3. *c.* 5. §. 7. 14. Sed & si naufragio sua culpa caussam dederit, quomodo teneatur, vid. sup. *lib.* 1. *cap.* 7. §. 3. 5.

IX. Si merces alio transvehendæ à prædonibus direptæ sint in ordinaria via, & nauclero nihil de illis ante constiterit, actione nulla tenebitur: cum hic sit casus mere fortuitus. Si vero in locum piratis infestum navim applicuerit, vectoribus ei loci vitium testato denuntiantibus, & direptio subsequuta fuerit, spoliatis damni accepti nomine tenebitur. *c.* 4. *leg. naut. Rhod.* Si nauclerus vel exercitor propter privatum commodum alios deprædetur & ab illis iterum spoliatus sit, unde mercatores damnum patiantur; aut a piratis captus eis resistere potuisset, & non restiterit: aut

piraticam

vid. hic Vinn. p. 149. 150. Si vero quid solutum sit sive ab exercitore sive magistro, ipso jure minuitur obligatio : nam & alius pro me solvendo me liberat *l.* 1. §. 24. *D. de exerc. act.*

XV. Vt autem creditori contra magistrum navis vel exercitorem competit actio, ita non datur contraria actio exercitori contra creditorem : quia non indiget eodem auxilio; sed aut ex locato cum magistro navis, si mercede ejus operam conduxit, aut si gratuitam operam exercitori præstet, mandati agere potest *l.* 1. §. *sed ex contr.* 18. *D. de exerc. act. & h. cap. sup.* §. 5. aliquando tamen ob ministerium annonæ extra ordinem invatur exercitor *d. l.* 1. §. 18 *h. t.* i. e. per modum restitutionis in integrum, si magister non sit solvendo, ut explicat Bachovius *ad VVesenb. parat. h. tit. numer.* 6.

XVI. Hæc actio hæredi & in hæredem datur *l.* 4. §. 4. *D. de ex. act.* quia continet rei persecutionem *l.* 3. §. 4. *D. nau. c. st.* Sed & in patrem & dominum defuncti filii & servi datur, si filius aut servus eorum voluntate navem exercuerint *l.* 7. §. *ult. d. tit.* quasi omnia quæ ibi contingunt, in solidum

ſolidum receperint, ut lex loquitur.

XVII. Actiones alias ratione dominii, pro re vindicanda, aut vi obligationis ex contractibus hic non tractamus; nec item de concurſu actionum hic agimus; quum de illis jam ante ſuo loco, quoties occaſio tulit, actum ſit, & de iiſdem tit. Inſt. de Actionib. & Dig. de Oblig. & Act. & Stryp-mannus *p.4.c.1.n.156.& ſeqq. & n.178. & ſeqq.* Item de concurſu actionum *p.4.c. ult.* fuſe, aliique hæc ex profeſſo tractantes conſuli poſſunt. Non enim omnia ſed præcipua, & quæ maxime huc faciunt, perſequi noſtri eſt inſtituti.

CAP. IX.

De Delictis in navi.

I. Obligatio ex delictis.
II. De furto in navi.
III. Magiſter navis non plené reſtituens recepta, quomodo inde teneatur.
IV. Si res nautæ commiſſa caſu fortuito perierit, num debitoris an creditoris ſit periculum.

V. Quid

V. *Quid proprie raptum ex naufragio vel nave expugnata dicatur, quid non.*

VI. *Quinam rapti actione teneantur; & quæ ejus pœna.*

VII. *Non solum vim à bonis navis sed & personis abstinendam esse.*

VIII. *De damno dato per dolum vel culpam magistri navis, sique naufragio caussam dederit, remissive.*

IX. *Si merces alio devehendæ à prædonibus aut piratis direptæ sint, num inde teneatur magister navis.*

X. *Si magister navis falsis insignibus utens causam damni dederit.*

XI. *Si navis aliam navem incurrendo, ei damnum dederit aut eam depresserit quomodo æstimetur.*

XII. *Navis vi ventorum in funes anchorarum impulsa.*

XIII. *Si navis perforata sit.*

XIV. *Damnum quod nautæ inter se dederunt.*

XV. *Malum scandentis casus & damni æstimatio.*

XVI. *De injuriis in navi.*

XVII. *Disciplina nautica, modus in ea non excedendus.*

XVIII. *Stringentis cultrum aut gladium in*

in alium pœna.
XIX. Contumaciæ, factionis & tumultus pœna.
XXI. De quasi maleficiis.
XXII. XXIII. XXIV. De homicidio & ejus variis casibus in navi accidentibus, aliis-que delictis pub.

I. OBligationem ex contractu, & quæ inde nascuntur actiones earumque qualitates, nunc sequitur obligatio ex delictis, qualia sunt furtum, rapina, vis, damnum, injuria, quasi maleficium; homicidium & alia publica delicta: quæ, quantum nostro serviunt instituto, nunc discutiemus.

II. Si res, quam magister navis recepit salvam fore, furto sit ablata, inde tenebitur ille: quia semel periculum rei suscepit *arg. l. 3. D. nautæ caup. stab. l. 14. in fin. D. de furt.* Aliud vero dicendum, si inter magistrum navis & vectores convenerit, ut quisque res suas ipse custodiat: hic enim actio contra magistrum navis propter pactum cessat. *l. 27. D. de reg. jur. & in eam Faber. p. m. 151,* plura *sup. hoc lib. cap. 8. §. 12.*

III. Si

III. Si magister navis recipiens res ad me perferendas, non tantum restituat, quantum ei commissum est, omnino inde tenebitur. Sed hic prius constare debet, quantum ejus fidei sit commissum: quod vel testibus probandum esse, vel expressa designatione, alibi dictum (in Synops. jur. Diss. 28. q. 2.) Sed Dd. negant necesse esse expresse adsignari res nautæ, sed sufficere res in navem immissas esse, ut ex contractu etiam tacito de recepto, & exacta custodia teneatur magister navis. Quanquam hoc non aliter procedit, quam si sciverit aut scire debuerit & potuerit esse immissas. *Gudelin. l. 3. de jure noviss. c.* 10. Ceterum si reus negaverit tot & tantas res immissas esse, quot & quantas adfirmat actor, & habeat quidem quasdam hujus rei probationes, sed ancipites nec satis idoneas, hic ut in re dubia juramento locus erit. *l.* 31. *de jureiur.* Sed cui deferendum juramentum, reo an actori? Reus, si bonæ famæ sit, ad delationem actoris se juramento liberabit à præsumtione rerum subductarum aut male custoditarum. Si vero adsit suspicio perjurii in reo, fallere & mentiri solito, aut si sit infamis atque intestabilis, aut in probatione jura-

ne juratoria deficiat; actori, si sit homo bonæ fidei & famæ, deferendum juramentum *Beust. de jureiur. p. m. 403. 404. seq.* & sic à reo tantum restituendum, quantum juraverit sibi ablatum actor. Ea videtur esse mens Theoderici Gothorum Regis in Edicto §. 119. quæ sic habet: *Si quid de taberna, nave vel stabulo perierit, ab his qui locis talibus præsunt. vel qui in his negotiantur, repetendum est, ita ut præstent sacramenta de conscientia sua suorumque: & si hoc fecerint, nihil cogantur exsolvere; aut certe quantum petitor juraverit se in eo loco perdidisse, restituant.* In Codice LL. antiquarum editionis Lindenbrogianæ circa initium hujus Edicti vox *nave* est omissa. sed hanc ei restituendam esse patet ex inscriptione Edicti: Si *quid* (ita emend. pro *quis*) *de taberna, nave aut stabulo perierit.* Si vero postea deprehendatur ipse magister navis res quasdam suppressisse & abstulisse, aut in usus suos convertisse, furti reus erit *arg. l. 7. Cod. de furt. c. 1. 2. jur. Suet. eod.* In Statutis Lub. 4. 1. 7. sic habetur: *Nautæ, auriga & similes personæ, quibus res transportandæ creduntur, iis justo loco non traditis, sed ex parte abnegatis, cum aliud compertum fuerit,*

ut

ut fures plectuntor. Conferantur quoque Statuta Prussica lib. 4. tit. 19. artic. 1. § 9. 10. Recepta, quorum dominus ignoratur, magistratui loci, ubi exonerat navem, tradi jubentur, ibid. Sed magistri navis pecuniam ab amicis accipientes, ut illam aliis in transmarino loco degentibus persolverent quam illi non animo furandi, sed necessitatis caussa in usus suos converterunt, reddere parati simulac potuerint, furti pœnæ non erunt obnoxii: quia non habuerunt affectum furandi. *vid. Mev. in d. l. jur. Lub. n. 8. 9. Carpz. Pract. crim. p. 2. q. 58. n. 87. & seqq.* Si vero absque eorum culpa res, quam receperunt, pereat, tamen tenentur de recepto; nisi quid damno fatali contingat. *l. 3. §. 1. D. naut. cau. stab.* Si vero solvendo sint magistri navis, furti actio contra fures eis dabitur *l. 14. §. 17. D. de furt.* Plura de furto in navi exstant in *l. un. D. Furt. adv. naut.*

IV. Si res aut pecuniæ nautæ commissæ naufragio perierint, aut per vim piratarum raptæ sint, æquum est magistro navis exceptionem dari, nec eum ad hoc damnum casu datum obligari *d. l. 3. §. 1. naut. c. st. l. 23. de reg. jur.* Cujus ergo hoc periculum

lum & damnum erit, an debitoris vel creditoris? Communiter ſtatuitur debitoris eſſe periculum, quem caſus fortuiti non liberant ab ære alieno *arg. l.* 11. *Cod. ſi cert. pet. cap.* 35. *de jure ædif. L L. pro. Sued.* Aliud vero dicendum, ſi ipſe creditor debitorem juſſerit per hunc nautam tranſmittere pecuniam; vel amico ſcripſerit, ut exigeret à ſuo debitore pecuniam ſibique mitteret: is vero tradiderit nautæ qui ſpoliatus eſt à prædonibus, aut naufragio perdidit, hoc caſu damnum eſt creditoris, & liberatur debitor *arg. l.* 10. §. 1. *D. commod. Cravett. conſil.* 247. *n.* 2. *& ſeqq.*

V. Raptum ex naufragio vel nave expugnata proprie dicitur, quod eo tempore & loco quo nauſtagium fit, raptum eſt *l.* 1. §. 5. *l.* 2. 3. *D. de incend. ruin. nauf.* & quando navis in prælio expugnatur ab hoſtibus vel piratis, quando ſpoliatur, mergitur, diſſolvitur aut pertunditur, aut funes ejus præciduntur, aut vela conſcinduntur aut anchoræ involantur de mari *l.* 3. §. 1. *l.* 6. *D. d. ti. de inc. r. nauf. nav. r. exp.* Inprimis hic dolus malus attenditur, atque ſi vis adhibita ſit: rapi enim ſine vi non poteſt, *l.* 3. §. 3, 5. *h. t.* Si quis ergo recepit ignarus,

plecti alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor disciplinæ pub postulat *l.* 9. §. 5. *D. de pub. vect.*

VIII. Si quid dolo aut culpa non fecerit, aut fecerit, quod non debuit magister navis, atque sic damnum mercibus dederit, inde dominis mercium tenetur, ut sup. ex occasione suis locis probavi *li.* 2 *c.* 1. §. 9. *lib.* 2. *c.* 5. §. 10. 12. *c.* 6. §. 9. *c* 8. §. 6. 10. 13. 14. 16. *l.* 3. *c.* 5. §. 7. 14. Sed & si naufragio sua culpa caussam dederit, quomodo teneatur, vid. sup. *lib.* 1. *cap.* 7. §. 3. 5.

IX. Si merces alio transvehendæ à prædonibus direptæ sint in ordinaria via, & nauclero nihil de illis ante constiterit, actione nulla tenebitur: cum hic sit casus mere fortuitus. Si vero in locum piratis infestum navim applicuerit, vectoribus ei loci vitium testato denuntiantibus, & direptio subsequuta fuerit, spoliatis damni accepti nomine tenebitur *c.* 4. *leg. naut. Rhod.* Si nauclerus vel exercitor propter privatum commodum alios deprædetur & ab illis iterum spoliatus sit, unde mercatores damnum patiantur; aut a piratis captus eis resistere potuisset, & non restiterit: aut piraticam

piraticam navem, quam sciebat esse talem, vadis liberaverit, si postea à piratis cum navi captus, navi mercibusque exutus ac privatus fuerit, tanquam qui caussam damni dedit, inde tenetur. *arg. l.* 30. §. 3. *D. ad leg. Aquil. l.* 4. §. 14. *D. vi bon. rapt. Stracchа part.* 3. *de naut. n.* 25. *seqq.*

X. Si magister navis falsis insignibus per se injussu domini utens merces per publicationem amiserit, ad damnum præstandum obligatus est. *Id. n.* 23. 24. quia hoc suo periculo fecit.

XI. Navis funibus invalidis ruptis, aut non bene alligata, aut non ita gubernata, ut debebat, aut absque ductore, vel sine perito ductore in mare immissa, si aliam navim incurrendo ei damnum dederit, vel eam depresserit, actio damni dati contra exercitorem competit, si navim minus idoneis hominibus commiserit *l.* 16. §. 1. *D. de rei vindic. & sup. h. l. c.* 7. §. 11. Si vero exercitor sit extra culpam, adversus magistrum navis datur actio, vel quod non idoneos ministros elegerit, vel incuria ipse quid admiserit, unde damnum datum est. *sup. l.* 1. *c.* 7. § 3. *& inf. h. c.* §. 20. *& c.* 9. *jur. Sue. de*

de jur. naut. l. 29. §. 2. 4. *D. ad leg. Aquil. l.* 13. §. 2. *D. loc. cond.* quia eſt damnum culpa datum. Culpa autem eſt, quod, quum à diligente provideri potuit, non eſt proviſum *l.* 31. *D. ad leg. Aqu.* A magiſtro navis autem præcipua diligentia & inſpectio requiritur. *ſup. l.* 2. *c.* 1. §. 9. Mithridates rex Ponti navarchum, qui Chia navi regis navem prætoriam incurrerat laſeratque, capitis pœna affecit. quamvis navarchus vim tempeſtatis obtenderet, tamen illum hoc potuiſſe vel debuiſſe præcavere, ſi prudentius rexiſſet navem, eumque per inſidias hoc feciſſe rex exiſtimavit; uti refert Appianus in Mithridatic. Si vero noctu aut cœlo turbido per tempeſtatem tanta vis navi facta ſit, quæ temperari non potuerit, (quod teſtibus aut juramento adſeret) nulla in magiſtrum aut dominum navis danda eſt actio *l.* 29. §. 4. *ff. ad leg. Aqu. in fin. c.* 14. *de jur. nau. L L. Sue. l.* 4. *Iur. Pruſſ. tit.* 19. *art.* 4. §. 2. eſt enim hoc invitum per violentiam, cujus principium eſt extra patientem. Aliquando etiam dominus vel magiſter navis poteſt carere culpa, non vero nautæ, aut gubernator navis, aut ductor; & tunc actio damni dati

contra

contra eos instituitur. *d. l, 29. §. 2. & 4. ad leg. Aqu. c. 14. jur. naut. LL. Suet.* Alias Legibus maritimis VVisbyens. *art. 27. 50. 70.* & multorum populorum Statutis dimidium damni dati præstatur læsæ navi â lædente, si absque culpa domini navis damnum acciderit; idque jurato adseverare possit. alterum damni dimidium fert ipse læsus. damnum autem tale dividi solet ob culpæ probandæ difficultatem. *Grot de jur. bel. & pac. 2. 17. 21.* Iure Sue. est part tertia damni dati, si casu non culpa factum sit *c. 9. jur. naut. LL. Sue,* ubi vide, quid porro ad hoc requiratur. Existimandum vero, legem Sueticam hic non latam culpam, sed levem quæ casum præcesserit, intelligere. Alias damnum mere fatale nemo præstare potest aut debet. Hoc innuunt verba d. c. Gör androm skada &c. quæ actum nocendi significant, licet haud lata culpa interve- nientem. Si vero culpa domini navis damnum datum sit, idque læsus probare, & seipsum ab omni culpa purgare possit, eo casu dominus navis totum damnum solus sarcire tenetur. *Vin. late ad leg. Rhod. pag. 263. 264.*

XII. Si navis vi ventorum impulsa esse in

in funes anchorarum alterius, vel retia piscatorum & nautæ funes aut retia præcidissent, si nullo alio modo navis explicari posset, hoc necessitas excusabit. *l.* 29. §. 3. D. *ad leg. Aquil.* Si quis funem, quo religata erat navis, præciderit, de nave quæ periit, in factum agendum *d. l.* §. 5. sed si servandæ navis causa præciderit funem scaphæ, excusatur, *vid. Actor, cap.* 27. *v.* 32.

XIII. Si navis perforata sit, est damni dati actio *l.* 27. §. 24. *D. ad leg. Aquil.* Sed si per insidias hoc factum sit, intenditur & augetur crimen, ejusque pœna.

XIV. Damno in navi â nautis dato, factum eorum præstabit exercitor, cum ipse eos suo periculo adhibuerit. Sed extra navem damnum licet â nautis datum ipse non præstabit *l.* 7. *D. nautæ c. st.* Damnum quod nautæ inter se dederunt, ab ipsis præstandum est, non aliis. *d. l.* 7. §. 2. *D. naut. caup. st.* Confer. *c.* 4. 5. 6. 7. 9. 17. 18. *de jure naut. Suedor.* De alio damno dato vid. *lib.* 1. *cap.* 6. §. 7. 8. & *cap.* 8. §. 3. 4. 5.

XV. Si quis vectorum jussu vel rogatu navarchi malum adscendat, & decidens lædatur, pro rata ex damno tenebitur na-

O varchus.

varchus. Si quis per se ex lascivia adscendens decidat, damnum, quod sua culpa sentit, sibi imputet. sl. 4. Manhålg. Byál. *l.* 12. *Cod. de accus.*

XVI. Ab injuriis in navi re & verbis abstinendum. Si quis tamen jure domini aut potestatis corripiat servos aliosve in navi delinquentes, non pertinet ad injuriam, sed juris executio est *l.* 13. §. 1. *&* §. 6. *l.* 15. §. 36 38. *D. de injur.*

XVII. Veteri consuetudine & peculiari quodam jure navium solent vectores & nautæ temere jurantes, maledicentes, preces aut sacra negligentes, alea ludentes graviusve delictum committentes aut mulctari aut pro ratione delicti ad malum suo more plecti, aut loris cædi. Non tamen immoderatè suo jure utentur, qui hoc usurpant in suos; *l. un. C. de emend. serv.* ne modum excedendo, Iudicum notioni subjiciantur magistri navis.

XVIII. Stringentes cultrum aut gladium in alium, etsi non læserint eum, tamen quorundam statutis nauticis hanc pœnam subeunt, ut culter per mediam eorum manum trans fixus inter digitos extrahatur: ut ita severitate pœnæ à cæde & percussione ab-

abſterreantur. *vid. art. 24 Iur. naut. Caroli* IX Aliquando pro qualitate delicti ſub carinam trahuntur, vel aliter plectuntur.

XIX. Vi publica tenentur qui arma noccendi publicè cauſa cogunt, non vero qui navigationis cauſa habent *l. 1. D. ad leg. Iul de vi pub.* item qui armata manu poſſeſſorem navi deiiciunt, eamve expugnant *vid. ſup. lib. 2. c. 7. §. 7.* aut pacem nauticam armata manu turbant, de horum pœna vid. *c. 2. jur. naut. Suet. c. 1. de viol. jur. reg.* quæ homicidio creſcit, *c. 14. de homicid.* De pœna perduellionis *c. 6, 7. de enorm. del. in LL. civ. & 8. 9. in LL. prov. plura Stypm. p. 4. c. 16.*

XX. Si nauta aut miles nauticus ſe opponat magiſtro aut præfecto navis, factionem & tumultum excitet, capitis pœnam meretur. Sed de his fuſius in *articulis nauticis, vel militia naval.*

XXI. Dominus navis tenetur ex quaſi maleficio miniſtrorum, ſi non ejus, ſed illorum ſit maleficium. Aliquatenus enim culpæ reus eſt, quod non meliores conduxerit *§. 3. Inſt. de obl. ex q. del. l. 60. §. 7. D. loc. cond. l. 21. § ult neg. geſt.* Si de nave quid dejectum ſit, datur actio utilis vel

in factum in navi præpositum *l.6.§.3. D. de his qui effud. vel dejec.*

XXII. Si gravi procella oborta plures ministri nautici in navi laborantes tumultuario occursu forte unum ex suis everterint, ita ut præceps in mare decideret & submergeretur, non potest quidem actio adversus omnes ut æque reos institui, si non intelligatur à quo eversus sit. *arg. l. 45. §. 3. D. ad leg. Aqui.* Examinati tamen è suorum numero, designabunt reum, si norint; aut juramento se purgabunt à facti ignorantia. Si vero manifestetur author, tamen ex impetu & incaute, non ex proposito hoc fecisse præsumitur; nisi probari possit, se studio fecisse. judicum autem arbitrio pœna delicti non ex proposito admissi decernetur. *vid. quoque sup. l. 2. cap. 7. §. 7.*

XXIII. Seducens falso lumine navigantes piscator aut prædo & morti causam præbens, merito quoque capitis pœna plectitur, *ex sententia Peckii & Vinnii ad fin. tit. de inc. r. n.* Occidisse enim dicitur, qui mortis causam quolibet modo præbuit *l. 51. D. ad leg. Aq. l. 15. D. ad leg. Corn. de Sicar.*

XXIV. Si

XXIV. Si quis alium submerserit aut suffocarit in aquis, quia hoc dolo fecit, ultimum supplicium meretur *l. 7. §. 1. 7. D. ad l. Aqu. vid. Carpz. p. 1. Pract. cri. q. 3. n. 28. seq.* aut si naufragio causam proximam mortis alicujus præbuerit *d. l. 15. de Sicar. sup. l. 1. c. 7. §. 12.*

XXV. Si vulneratus mortiferè, postea naufragio maturius periit, de occiso agi non posse, sed de vulnerato contra vulnerantem, vult *l. 15. §. 1. D. ad leg. Aquil.* quia naufragium non est passum apparere, an à vulnerante sit occisus, & vulnerans forte animum occidendi non habuit, & aliquando qui lethifere videtur vulneratus, sanari & convalescere potest: quod medicorum judicio stabit. De aliis delictis pub. nihil attinet hic agere, sed alibi tradita satis est recognoscere, & huc paribus rationum momentis ad rem applicare.

CAP. X.

Num magister aut præfectus navis bona cum conscientia possit, igne in pulverem tormentarium injecto, navem una cum seipso & suis, & simul hostibus navem occupantibus, perdere potius, quam salvam navem, se & suos hostium arbitrio permittere?

I. Occasio hujus quæstionis.
II. Argumenta illorum, qui licitè fieri posse statuunt, quod est præsentis quæstionis.
III. IV. V. Hæc contrariis rationibus diluuntur, & vera sententia firmatur.
VI. De virginibus stupri fuga se in flumen proiicientibus.

I. CVm in fine superioris capitis de homicidio dictum sit, non incommode propo-

proposita quæstio, quæ præter cætera de homicidio sui agit, illi statim subjici posse videtur, vel ideo excuti digna, ut eximatur hic scrupulus dubiis conscientiis, & inprimis æterno animarum periculo, quantum potest, occurratur.

II. Qui, quod in quæstione est, ut licitum defendunt, obducunt nobis authoritatem magistratus, desperationem victoriæ & publici boni finem. Chytræus in libro de morte & vita æterna: *Minus,*inquit, *temere pronunciandum est de iis, qui juramento magistratui superiori obligati arces aut naves bellicas defendendas cum hoc mandato susceperunt, ut spe nulla defensionis & incolumitatis superstite, una cum munitionibus aut navibus fides suæ creditis mori & deleri malint, quam contra fidem magistratui suo datam eas incolumes hostium potestati dedere.* Quamvis hic Chytræus non expresse dicat, eos, quibus arces & naves commissæ sunt, posse ob dictam causam sibi manus inferre, tamen hoc inde colligas. Aut si ita sentit, quod præstet mori & deleri nostros una cum navibus (per hostem, non per seipsos) quam contra fidem magistratui datam se navesque incolumes hosti dedere, nostræ

ſententiæ non refragatur. Expreſſius Burgersdicius Ideæ Philoſ. mor. c. 14.§. 17. *Inter αὐτοφόνους*, ait, *damnandi non videntur nautæ, qui igne in pulverem tormentarium conjecto, ſeipſos ſimul cum hoſtibus occidunt, ſi publica autoritate muniti ſint, nullaque appareat ſpes victoriæ, & patriæ, cui militant, bonum potius ſpectent, quod in ruina hoſtium conſiſtit, quam malum quod in hoſtium poteſtatem venientibus perferendum foret.*

III. Verum quidem eſt, magiſtratui non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientam obediendum eſſe *Rom.* 13, 5. Et quamvis dura ſubditis ejus juſſa videantur, tamen illorum eſt iſthæc exſequi, non interpretari. Eorum culpa nulla eſt, qui parere neceſſe habent *l.* 157. *l.* 167. §. 1. *l.* 169. *l.* 199. *D. de reg. jur. vid. & Vaſq. Illuſt. quæ. c.* 8. *n.* 9. In Legibus VViſigothorum l. 8. t. 1. c. 1. dicitur: *Qui dominorum juſſionibus obedientiam detulerunt, culpabiles haberi non potuerunt; quia non ſuo exceſſu, ſed majoris imperio id commiſiſſe probantur.* Sed hæc procedunt, ſi juſta ſint magiſtratus imperia. undę Poeta ait.

Et parere decet juſſis, & juſta jubentur.

Si

Si vero quid præcipiat, quod juri divino & naturæ repugnet, non magis obligantur subditi parere, quam magistratus hoc præcipere. Magistratui quidem parendum, sed magis Deo *Act.* 4. *v.* 19. Deus benefecit obstetricibus apud Hebræos, quod ipsum magis timerent, quam regem AEgypti Pharaonem, jubentem masculos infantes Israelitarum recens natos occidere *Exo.* 1. *v.* 20. 21. sed αὐτοχειρία per se res illicita est, quippe quæ juri divino *Gen.* 9. *v.* 5. 6. quinto Decalogi præcepto & naturæ *Eph.* 5. *v.* 29. contraria est. Vnde Burgersdicius d. c. 14. §. 16. ait: *Si magistratus aliquem damnet ad* αὐτοχειρίαν, *legi naturæ potius parendum est, quam magistratui id quod naturæ contrarium est præcipienti.* Quamvis vero fidem suam & obedientiam videantur probare patriæ & magistratui, qui hoc modo pereunt; tamen non excusantur coram Dei tribunali: qui suo non alieno arbitrio & ea via ac hora, qua ipsi placet, animas hominum vult reposcere, in quas ipsi soli jus est *Sap.* 16, 13. Nemo potestatem habet in proprium spiritum pro lubitu dimittendum; nedum eam sibi sumere potest in alienum. Gustavus Magnus de quodam

sui temporis præfecto navis, se & navem flammis tradente, ne in hostium manus veniret, dixisse fertur: *Erga me & regnum mascule & fideliter, erga seipsum scelerate egit.*

IV. Sed quid si nulla spes victoriæ aut defensionis superfit, metusque præsens hostilis captivitatis & forte crudelitatis adsit, nonne tunc præstat venienti malo hac via occurrere? Quasi non malum majus esset sibiipsi mortem consciscere; & non præstaret, hostili quam sua manu cadere. Aut si vita superstite immaniter tracteris ab hoste, tamen fortius hoc tolerabitur, quam si metu quorumcunque adversorum tibi ipsi manus inferas. Quum Andreas Beronis tempore Erici Regis Sveciæ in bello Danico anno MDLXIV. navem cui præfuerat, aliquot horis fortiter defendisset, tandem ea tormentis perforata, & spe omni incolumitatis amissa, pulverem nitratum ipse in navi accendit & cum ea conflagravit, ne in hostium potestatem veniret. Thuanus lib. XXXVI. *audax ex necessitate consilium cepisse* scribit. nimirum ex opinione quorundam, alias quoque fortium. Heinsius in laudat. Funeb. Mauritii

de

de nautis Batavis: *Navibus accensis pulvere icti, & cum hoste in aerem elisi quia non vincuntur, ex opinione sua vincunt.* Ex opinione sua, inquit. Antonius AEmilius orat. VII. de iisdem & eodem necis genere pag. 165. differens, ita claudit: *Adeo popularis error etiam blanditur fortibus.* Quondam hoc fuit Stoicorum & paganorum, ludibrium hostis morte sui præ venire. Sed qui Christiani sumus, scire fas est, eventum prælii Deo committendum, non voluntaria morte prævertendum esse: ne judicium Dei petulanter involemus: ne omnem Dei opem & liberationem desperare videamur: ne fugiendo temporalem contumeliam delictis nostris debitam, in æternam incidamus. Nonne vita etiam qualiscunque tolerabilior est tam ancipiti & periculosa morte?

V. Cæterum *non directè hoc agi*, ajunt, *ut semetipsos occidant, aut ut effugiant malum ipsis perferendum, si in hostium potestatem veniant; sed patriæ bonum inprimis quæri, quod in ruina hostium consistit.* Eadem est sententia Amesii l. 5. de consc. c. 31. q. 14. quamvis cum aliqua restrictione posita. *Licitum aliquando est,* inquit, *exponere se tali*

author est & dominus vitæ. Hominum omnium est obedire legi de non occidendo, nulla adhibita exceptione, quæ ab authore legis non est approbata. Nec stringunt exempla militis in statione sua cum periculo mortis constituti, & Samsonis. Hoc est officii militis, ut servet suam stationem sibi ab imperatore assignatam, etiamsi sciat se interimendum, sed manu aliena non sua. Quin ut miles injussu imperatoris non excedet statione sua; ita nec homo vita, injussu Dei. Hieronymus in epistol. ad Paulum super obitu Blesillæ, t. 1. p. 159. sic introducit Christum loquentem: *Nullam animam recipio, quæ me nolente separatur à corpore.* Nullus enim homicida (sive sui sive alterius) habet vitam æternam in se manentem 1. *Ioh.* 3. v. 15. 1. *Cor.* 3. v. 17. Samsonis autem exemplũ est singulare & extraordinarium, quod regulam dare nequit, sed solum Dei verbum. Ideo quoque Amesius ait: *Samsonem hoc ex singulari instinctu* fecisse. Et ante ipsum Augustin. l. 1. de C. D. c. 21. *Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Talem instinctum

naturæ

nautas aut milites in navi dicto modo se è medio tollentes habere, non possumus adfirmare. Morte autem Simsonis Deum idololatricam Dagonis domum subvertere, & superstitionem Pelischtæorum punire voluisse, Theologi notant. Itaque non *fere similis*, sed plane dissimilis est ratio eorum qui pulvere tormentario accendunt navem: quia Samson hoc fecit instinctu divino, nautæ hoc faciunt jussu humano. alium finem Samson spectavit, alium nautæ. In eo tamen, dicas, videntur utrinque convenire, *quod non directe intendunt semetipsos occidere, sed hosti incommodare.* Largiri possem, si finis utique simplex esset. Sed Samsoni scopus erat propositus præter ultionem hostium, etiam abolitio superstitiosi cultus & propagatio gloriæ *Dei*, militibus nauticis scopus est unicus bonum temporale, ruina hostium. Quid autem lucraberis, si pro mundanis & temporalibus bonis, animæ periculum facias? *Matt.* 26. v. 16. Meum non est damnare quenquam. quem vox ipsius Dei damnat, is judicium suum habet. Nec meum est disputare decreta superiorum, sed quid justum sit probare tuerique, nec unquam animus

mus fuit obtrectandi, sed solius veritatis amore & conscientiarum tranquillitati consulendi studio hæc simpliciter proferre, & candidorum censuræ submittere. Non autem mea solum hæc sententia est, sed etiam Theologorum, præcipue Bartholomæi Batti, qui hoc argumentum ex professo tractavit in Consiliis Theolog. Dedekenni vol. 2. Dunthi de Casib. consc. pag. 368. Riveti ad Exodi cap. 20. pag. 216. & aliorum.

VI. Quid vero judicandum sit de earum fæminarum morte, quæ, ut hostes & insectatores pudicitiæ suæ devitent, in flumen se projiciunt, inspice Augustin. l. 1. de Civ. Dei c. 26. ubi statuit, *non temere de illis judicandum* esse: *si fecerint hoc forte divinitus jussæ. Videndum tamen* monet, *utrum divina jussio nullo nutet incerto: occultorum enim judicium non usurpandum.* Tandem ita concludit: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas.*

CAP.

CAP. XI.

De Foro & processu juris navigantium.

I. Forum competens navigantium. Census navis vel bonorum in navi respectu habitationis aut jurisdictionis.
II. Expeditus processus.
III. Iudicium in mari vel navi.
IV. Caussa sontica absentia.
V. Probationes.
VI. Quinam possint esse testes, & quomodo examinandi; præsertim in causa naufragii.
VII. Famam etiam hic probare.
VIII. Non differendam diu esse exsecutionem; quæ ejus rei utilitas sit.

I. ULtimum erit pauca notasse de foro & processu juris, per quem tanquam extremum refugium & legitimum juris subsidium personis rebusque nauticis laborantibus succurritur. Præterquam quod navigantes si domum redeant, legitimum

mum forum in patria aut loco habitationis agnoscunt; unde & censum annuum respectu navis, si nihil aliud proprium possideant, in loco habitationis vel jurisdictionis pendere tenentur: aut ratione bonorum in navi *c.* 20. §. 6. 7. *de jur. Reg. LL. Sue. munic.* sed in itinere versantes ad forum ejus qui jurisdictionem in mari aut ad proximum littus habet, vocari possunt, ut sup. lib. 1. c. 4. §. 6. fusius ostensum est; attamen in quocunque foro constiterint, & tabernam vel officinam conductam habuerint mercesque distraxerint, conveniri tanquam temporarii subditi possunt. Ita si peregrinus Holmiæ servum institorem vendendarum mercium gratia habeat, quod cum eo servo contractum est, ita habendum, atque si cum domino contractum sit: quare ibi se debebit defendere. *l.* 19. §. 3. *D. de judic.* Non vero ubi sic veniunt peregrini, ut confestim discedant, aut duntaxat præternavigent. Durissimum enim est solum præternavigantes, quotquot locis conveniri *d. l.* 19. §. 2. *D. de jud.* nisi ex culpa sua detineantur alicubi & conveniantur etiam præternavigantes.

II. Vbicunque litis caussa conveniun-

ur

tur, non diu detinendi sunt, nec longum litis sufflamen permittendum, sed quam brevi potest temporis spatio, caussa maturanda ob navigandi necessitatem, cujus periculum est in mora. Cæsar.l. 1 bel. Gal. *Res maritimæ celerem & instabilem motum habent.* In liquidis debitis nauticis summarie & exsecutive (ut loquuntur) procedendum esse, innuit jus Sueticum *c.* 16. §. 1. *de proc. curia.* Idem volunt Dd. *vid. Mev. in Iur. Lub. l.* 3. *t.* 7. *a.* 7. *n.* 1. *seqq.* Caussæ quoque de submersis navibus aut naufragiis *levato velo* sunt cognoscendæ *l.* 5. *C. de naufr.* i.e. aperto ostio, cui velum solebat prætendi, vel summatim, breviter ac de plano, citra strepitum forensem. *vid. Peck. & Vinn. in d. leg. pag.* 402. In tribunali Admiralitatis Hollandiæ duplica litigantibus partibus non est permissa, neque id absque gravi ratione: quum mare frequentantium ventisque commodis utentium intersit, controversias eorum quantum fieri potest celerrime expediri, *Author Tractatus Ms. de statu Fœd. Belg. c.* 3.

III. Quando vero in mari versantur, quia in navi, ubi focum & ignem habent, quasi domum suam secum circumvehunt,

&

& unius societatis membra sunt, ex suis & principibus nautarum aut vectorum eligere possunt arbitros in rebus litigiosis inter ipsos componendis, directore magistro navis, aut præfecto classis; cui etiam justitiæ patrocinium in mari committi non infrequens est: ita ut non opus sit privata ultione, ex mente Grotii de jur. bell. & pac. 2. 20. 8. si vero dissentiant, majoris partis arbitrio stabitur. *l. 17. § 6. D. de receptis.* Et sic usu receptum est ut comites itineris, unius navis, ejusdem negociationis participes atque collegæ teneantur stare decreto partis majoris, in his duntaxat, quæ determinatione quadam indigent, & ad eam pertinent communitatem, cujus ipsi membra sunt *Grot. c. 4. de imper. summ. potest. circa sacr. pag. 76. vid. quoque notata lib. 2. sup. c. 7. §. 3.*

IV. Si quis in patria sit in judicium vocatus, succurritur ei, quando non solum morbo, sed etiam tempestate, quæ impedimento sit itineri, & navigatione impeditus, ad diem se judicio sistere nequit *l. 2. §. 6. 7. 8. D. si quis caut. l. 38. §. 1. in fin. D. ex quib. caus. mai.* hæ enim sunt caussæ sonticæ.

V. Sed

V. Sed si dicat, tempestatem impedimento fuisse, quo minus in judicium veniret, probare eum id oportet *l. 19. §. 1. D. de prob.* Velut alias adfirmanti incumbit probatio *l. 2. D. eod.* Vt si dicat nauta rem casu fortuito periisse, ejus erit hoc testibus probare *l. 2. C. de naufrag. cap. 12. LL. naval. Rhodio.* Si vero quis dicat, culpa nautæ casum evenisse, ille ipse qui hoc dicit probare debet *Vin. ad Peck. in Tit. ff. Nau. c. st. pag.* 34. Sed & qui excipit, probare debet, quod excipitur *l. 9. D. de prob.*

VI. Communiter quidem domesticum testimonium non admittitur, verum cum per alios scientia gestorum in navi non facile haberi possit, quam per ipsos qui sunt in navi: vectores, aut si illi non adsint, nautæ probatæ fidei duo vel tres in caussa naucleri testimonium perhibere possunt, vel ad probandum ea quæ in navi gesta sunt admitti *arg. l. 3. C. de nauf. c. 23. 27. jur. maritim VVisbyens.* In Legibus nauticis civitatum Hanseatic. *art.* 57. *edit Germ. vel.* 56. *edit. Belg.* hæc *vetus consuetudo maritima* esse dicitur. Si vero universos violentia tempestatis obruerit, nec alia probandi ratio superfit, ne tamen veritas lateat, etiam libe-

ri

ri nautarum seu magistrorum intra judici- um examinari possunt in caussa naufragii de eorum interitu, quos navicularius naufragio periisse contendit *d. l. 3. Cod. de nauf.* cum enim liberi parentibus navem parantibus communiter adesse soleant, notitiam eorum, qui navem ingressi sunt, facile habere præsumuntur. *Peck. ad d. legem.* Testes quoque in tempore productos summarie non citata parte ad examen produci posse, in tali adverso casu qui in remotioribus locis accidit, notant *Pec. & Vin. ad l. 2. C. de nauf. pag.* 395. *Gail. Obs. Pract.* 1, 18, 6. Atque ita judicatum refert Rota Genuens. *decis.* 36. *n.* 12. *& decis.* 56. *n.* 2. *Ibid.*

VII. Si vero non possit haberi in casu naufragii probatio de visu, sola fama sufficit & plene probat, ut vult Gilhaus. *Arb. Iudic. par.* 10. *c.* 6, *n.* 7. *vid & lib.* 1. *c.* 7. §. 12. quam tamen non vagam & incertam esse rationis est.

VIII. Caussa rite cognita sine mora exsecutioni mandanda est, præsertim si talis sit, quæ promtam habeat exsequendi copiam, quam non minus incolæ, quam advenæ desiderant amantque. Certe peregrini

grini navigantes quo celerius in ſuis negotiis expediuntur, eo lubentius ad nos redeunt. Cætera quæ ad proceſſum judicialem ſpectant, ex peculiaribus populorum ſtatutis peti poſſunt. Hactenus ergo in argumento maritimo verſati, nunc tandem terram videmus.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

Errata sic emendanda.

Pag. 13. lin. 12. *Cosmo.* p. 21, 7. *l.* 6. *de leg. Rhod.* ib. 9. *ὅπλα.* 24, 26. *communia: Non.* 28. 26. *sufflaminari* 31, 12. *Gothofredus.* 36, 14. *ejusdem* 38, 4. Dele *&* *jurisdictio.* 45, 13. *faciunt, ut.* 48, 7 *definiri* 49, 1. *munitos.* ib. 17. *transiit.* 22. *recusantem.* 25. *regiis.* 50, 6. Post *relinquo* pone punctū. 51, 13. *ad dictum.* 52, 6. *mercatori.* 53, 16. *diripiantur.* 59, 16. *Id.* *ib. n.* 10. ib. 20. *Basilic.* 60, 24. *arg. l.* 24. 61, 7. *disquisitionis.* ib. 10. *Si faciat, sibi.* 66, 10. *navigationi.* 71, 23. *Pandectas.* 73, 14. *ad incitas.* ib. 26. post *deberi* pone punctum. 74, 12. *Dominium.* 75, 1. *oportebat.* 76, 1. *διαπρόντης.* ib. 2. *de Naufragiis* ib. 4. *terram* 24. *assignare.* 78, 27 *verisimilius.* 79, 12. *VVisbyenses.* ib. 23. *prædæ* 80, 11. *emendationes* ib. 13. *verisimile.* 15. *dilatione.* 83, 2. *dolere.* ib. 24. *amicis.* 87. 23. *privilegio.* 92, 24. *videantur, qua qui.* 98, 13. *domino.* 101, 5. pro *lib.* repone *cap.* 117, 17. *C. de SS.* 135, 18. *Voss.* 146, 20. *Ordines.* 154, 10. *quod.* 155. 25. *Itaque naturali.* 157, 5. *barbara.* 162, 2. *ab hostibus.* 175, 12. *ratione.* 177, 19. *Annal.* XV. 18, 2. 178, 20. *assecuratio* 180, 10. post *perirent* appone *vel interciperentur.* 191, 16. *capere* 194, 8. *Lucæ c.* 6. 195, 3. *Zoes.*

Zoes, *in d. loc.* 206. 15. *tenetur*, *ut vult Statut.* 212, 11. *nauticis Ius.* 231, 1. *cap.* 6. §. 3. 7, 11. 239, 18. *Plautus.* 253, 18. *quia*, ib 20. *quis.* 266, 4. *agatur.* 267, 9. *Flumina.* ib. 13. *oneris.* 276, 13. *dandam.* 292, 23. *sit* 303, 6. *aliisque* 312, 11. *pars.* Ib. 27. *Impulsa esset.*

Reliqua Leviora emendabit ipse Lector.

MARTINI SCHOOCKII

IMPERIUM MARITIMUM,

Ita Explicatum

Ut non Solum ejus ostendantur prærogativæ,

Verum etiam

CUIQUE GENTI,

Maxime

BELGIS FOEDERATIS

Suus vindicetur Honor;

Addito Consilio quod si ab his observetur, per Dei gratiam (quæ imploranda suadetur) antiqua & Gentilis Existimatio sarta tectaque servabitur.

AMSTELODAMI,

Ex officina { HENRICI & THEODORI } BOOM,

M. DC. LXIX.

MARTINI SCHOOCKII

IMPERIUM MARITIMUM,

Sic explicatum,

Ut non ſolum ejus oſtendantur prærogativæ,

Verum etiam cuique Genti,

Maxime Belgis federatis

Suus vindicetur honos; addito conſilio, quod ſi ab his obſervetur, per Dei gratiam (quæ imploranda ſuadetur) antiqua & gentilis exiſtimatio ſarta tectaque ſervabitur.

QVum omnibus, qui inter homines cenſentur, patriæ amor ſit inſitus, omneſque φιλοπάτριδες, omnia, quæ quacunque etiam ratione ei aut adjumento aut ornamento eſſe poſſint, prompto ac benevolo animo conferre parati ſint; ad hoc æqui æſtimatores, conatum, licet imparem, perpetuo in laude ponant, ſi à fuco atque faſtu alienus fuerit: Veniam me impetraturum ſpero, ſi ea, quæ tum à majoribus noſtris, tum etiam ab ævi præſentis heroibus pro aſſerendo maris imperio præclare geſta fuerunt, expendere inſtituero. Quo vero omnia, quæ huc pertinent, rite atque ordine proponere liceat, theſin cum hypotheſi conjungam, atque ſex ſubſequentia ca-

pita ordine pertractabo. I. *Quam necessarium sit maris imperium?* II. *Quinam illud olim obtinuerint?* III. *Quando Belgæ in mari dominari cœperint?* IV. *Quæ à federatis Belgis, postquam Hispanicum jugum excusserunt, pro obtinendo maris imperio præclare gesta fuerint?* V. *Quam necessarium sit federato Belgio maris imperium?* VI. *Quomodo illud in posterum obtinere queant contra quosvis, speciatim Anglos?*

CAPUT I.

De prærogativis, variisque commodis imperii maritimi.

VT ergo hoc agamus, atque ad primum caput sese convertat oratio, sic de Themistocle Plutarchus in ejus vita: *Sensim*, inquit, *civitatem* (intelligit Athenas) *ad mare exercendum deduxit, quos terrestri bello adversus sui quidem similes satis roboris habere, navium vero præsidio & barbaros propulsare, & Græciæ imperium adipisci posse intelligebat.* Magni scil. momenti est maritimum imperium, & ex militiæ navalis usu, facilius longe est terrestri. Quomodo testantur historiæ eos, qui mari plurimum possent, celeritate & magnitudine rerum gestarum aliis gentibus longe præstitisse. Ideoque magnorum principum cura antiquissima fuit, navalis apparatus, & quo

quo pacto oram maritimam obſervare, portus occupare, flumina fauces munire poſſent, in ſumma efficere, autore Thucydide, ne qua gens, alia illis claſſe præpolleret. Ita n. ſe res habet, quiſquis dominus maris eſt, is rerum potiatur oportet. Vide Ariſtot. lib. 7. Polit. cap. 9. Hinc Alexandrini prælio navali à Cæſare ſuperati, claſſis reparandæ (qua ille tota fere potitus erat) *cogitationem non depoſuerunt, videbant enim non auxilia Cæſari, non commeatus ſupportari poſſe, ſi claſſe ipſi valerent*, ut ſcribit Hirt. de bell. Alexandr. Circumfertur Coſmi de Medicis Hetruriæ ducis dictum, quo ſignificavit: *Non habendum potentem, qui potentiæ terreſtri, non ſimul etiam navalem conjunxerit.* Quo vero diſtincte conſtare queat, in quo maris prærogativæ conſiſtant, eas per partes conſideratum ibimus. I. *Claſſis, & maris, per quod illa fertur, ſubſidio, hoſtilis vis, ſi quæ ingruat, facile propulſari poteſt.* Ita olim Athenienſes, cum terra Lacedæmoniis pares eſſe non poſſent, claſſe eoſdem ſunt adorti, adeoque iis inſtitere, ut terreſtrem exercitum domum revocare coacti fuerint: imo ad Naupactum duce Phormione navali prælio non ſolum eos ſuperarunt, ſed ad eas quoque anguſtias redegerunt, ut *feſſi tot malis pacem in annos quinquaginta facere coacti fuerint*, quemadmodum poſt Thucydidem lib. 2. refert Juſtinus lib. 3. cap. 7. Themiſto-

cles etiam animadvertens, Persas Athenis patriæ suæ insidiari, author fuit civibus suis, ut l. d. è Plutarcho patet, muros ligneos extruerent, omniaque, quæ deportari poterant, in naves comportarent, quod consilium universæ Græciæ tantopere profuit, ut cautum quodcunque consilium *Themistocleum* à Cicerone vocetur lib. 10. Ep. ad Att. ep. 7. Speciatim obsessis arctissime hac ratione certissimæ suppetiæ ferri possunt. Apud Romanos Appius Claudius Caudex, dictus à Codicibus sive trabibus junctis, (videatur de eo Seneca lib. de Provid. cap. 13.) missus fuit ad liberandos Mamertinos à Carthaginensibus obsessos. Quod uti facilius obtineret, primum navi piscatoria exploratum castra hostium trajecit: post capta vi à peditatu sua trireme, eadem legione in Siciliam trajecit, reique curatæ exitum invenit. Sueton. Tiberio cap. 2. scribit: plena classe eum Siciliam invectum. Rupellis in Gallia, auctore Thuano, cum Hugonotti (sic Protestantes appellant) terra prorsus essent clausi & circumsepti, sic ut ne musculus pene ad eos penetrare posset, mare vicinum salutem attulit, dum subsidium præbuit. Perrupta enim catena ex crassissimo ferro facta, qua maris claudebatur usus & classis transitu prohibebatur, commeatus & milites maximo spiritu in civitatem sese immisere. Similiter

Gabriel

Gabriel Orgius Mongomerius cum Rotomagi ab Francisco duce Guisio arctissime obsideretur, & transversa per Sequanam catena effugium ad mare sibi interclusum videret; æstu observato, navi cum militibus conscensa, ubi ad catenam ventum, omnes in puppim transire jussit; mox navi velis remisque supra catenam acta, eosdem ad proram duxit, atque ita evasit. Hoc universæ Galliæ pro miraculo fuit: at quibus noti sunt Procopii libri de bello Gothico, id à Belisario usurpatum sciunt, secundo ipsius in Italiam reditu, Romana Totilæ obsidione. 2. Hoc privilegio quoque gaudent maris accolæ, qui classe & navibus valent, quod difficulter à suis adversariis, utut potentibus, subigi possint, maxime si insulam incolant: Nam qui continenti ab una parte adjacent, minus à periculo sunt immunes, quemadmodum hoc cum ratione observatum est à Xenophonte, in libel. de Repub. Athen. ubi hæc occurrunt: *Sed unum eis* (Atheniensibus) *deest. Nam si insulam habitantes, mare tenerent, liceret illis damnum inferre, si vellent, neque tamen pati quamdiu mare tenerent, ita ut neque ipsorum fines vastarentur, neque hostes admitterent. Nunc agri cultores & locupletes Athenienses ad voluntatem hostium se accommodant.* Quod si vero contingat duos populos de summo imperio contendere, & unus terra tantum valeat,

alter mari vero maxime, aut ille fuccumbet, aut faltem ab hoc maximas clades accipiet. Videre hoc præ cæteris eft in Romanis & Carthaginenfibus, quamdiu enim illi terra folum bellum gefferunt, hi fuperiores fuerunt, fed fimulac & ipfi mare fuerunt ingreffi, fuccumbere paulatim Carthaginenfes cæperunt. Polybius lib. 1. cap. 20. *Lucius Valerius*, inquit, *& T. Octacilius poft illos creati qui Agrigentum ceperant, commode Siciliam videbantur adminiftrare, fed quia maris imperium fine controverfia obtinebant Carthaginenfes, belli rationes paribus ponderibus libratas in ancipiti habebant. Proximis namque temporibus poftquam effet ab iis captum Agrigentum, ficut mediterraneæ urbes multæ parum fibi fidentes ad terreftres eorum copias, Romanis fe adjunxerant: ita etiam vel plures è maritimis quas claffis Punica terrore exanimabat, ab iifdem defecerant, qui igitur magis magifque in dies intelligerent, belli palmam ob ejufmodi cauffas modo huc, modo illuc inclinare: hoc amplius Italiam quidem perfæpe à Carthaginenfium claffe agi ferri: Africam vero ab omni penitus damno manere immunem: faciendum fibi putarunt, ut ficut Carthaginenfes, ita etiam ipfi mare ingrederentur.* In Venetis ac Mufulmannis idem obfervare eft. Quoties non hi ab illis, alias licet potentiffimis, maxima clade affecti fuerunt, quod maris nulla experimenta haberent, claffeque minus valerent?

rent? Ut vero adversa acuunt sapientiam, de muris quoque ligneis cogitavit Ottomannicus Imperator, provinciam classis parandæ delegando Afris maris accolis, adeo ut hoc tempore imperio suo opes accommodatas habeat, non terra solum, sed etiam mari. Nec tamen hactenus subigere potest Venetos, derelictos licet ab omnibus prope Europæ principibus; quod ab his navali scientia longe superetur. Guilielmus Tyrius Belli Sacri Scriptor alicubi memoriæ prodidit, quod Charachux, cujus unius consiliis Orientem magnus ille Saladinus subegit, à Christianis captus, atque rogatus, quibus modis Palæstina capi, ac deinceps defendi posset, responderit: Sola classe, maritimoque imperio capi posse Ægyptum, ultro dein secuturam Palæstinam, nec aliam viam esse: *Ad hoc aliam quoque viam non esse, qua aut Saracenis adimi, aut ad Christianos imperium transferri posset.* 3 Ut attendi debet ratio gerendi belli, curandumque, ut quam minimo cum impendio & periculo illud administretur, ita longe maximæ mari præ terra prærogativæ debentur, vel Xenophonte teste, cujus hæc verba ex libello jam ante ad partes vocato notatu digna: *Qui*, inquit, *mare vicinum habent, multa audent facere, quæ qui terra solum valent; facere timeant. Licet enim adpellere maritimis, ubi vel hostes nulli sunt vel pauci sunt. Quod si*

adventantibus inopinati superveniant, pari celeritate conscensis rursum navibus licet solvere. Longius praeterea in agrum hostilem excurrere licet, quia reditus est expeditus, quam terrestri exercitu tentare, cujus & tarda sunt itinera, commeatus etiam longioris itineris paratu difficilis: Terrestri porro (pergit Xenoph.) copia, vel per amica vadendum est per amicitiam, vel per hostilia pugnando. Navigantibus autem si se alicui videant impares, devitare ejus terram possunt ac praeternavigare donec vel in pacata veniant, vel ad eos quibus pares pugnando certe inferiores non sint. Deinde & hoc potest addi, cum in bello magnum momentum ad victoriam habeat celeritas, marinae expeditiones jure merito prae terrestribus praerogativam sibi hic vindicant. Cum judicio Botereus lib. 10. Polit. cap. 8. *Quo terrestres*, inquit, *copiae majores, eo ad itinera sunt tardiores & ineptiores. Difficulter exercitus, difficilius frumenta, difficillime apparatus bellici coguntur. Itineribus prolixis absumuntur equi, affliguntur milites, ob continuam aëris mutationem. Quin etiam omnia majoribus constant sumptibus terra, quam mari. Exemplo nobis est Turca, qui Constantinopoli ad Vngariae limites aut Persiae viciniam quoties devenit, in regressu deinceps non tantum fere optimam aestatis partem insumit, sed etiam optimum exercitus florem variis casibus deperdit: ut lucro damnum si non superius, at minimum par sit. Ideo itaque*

Labores

labores allevat apparatus nauticus, quia facilius omnia transferuntur. Brevi enim tempore ingens exercitus una cum aliis impedimentis procul asportari possunt: & qui mari dominatur, multis in locis hostem nihil tale opinantem adoriri, reprimere & consilii ancipitem reddere potest. Facit huc præ aliis eximius ille Taciti locus lib. 2. Ann. cap. 5. *Germanicus, celerandæ victoriæ intentior, tractare præliorum vias, & quæ sibi tertium jam annum belligeranti sæva vel prospera evenissent: fundi Germanos acie & justis locis; sed juvari sylvis, paludibus, brevi æstate & prætmatura hyeme: suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum & damno armorum adfici: fessas Gallias ministrandis equis: longum impedimentorum agmen, opportunum ad insidias, defensantibus iniquum, at si mare intretur promtam ipsis possessionem & hostibus ignotam: simul bellum maturius incipi, legionesque & commeatus pariter vehi: integrum equitem, equosque, per ora & alveos fluminum, media in Germania fore. Igitur huc intenderet, &c.* 4. Quum vero mercatura maximum reipub. fulcrum sit, nullaque secundum Platonem lib. 11. de LL. possit constitui civitas *quæ non indigeat advectionibus*: fatendum est mercaturam, solum florere posse in iis civitatibus quæ non tam mari adjacent, quam maris imperium obtinent. Naturæ enim & situs si solum munere gaudeant, tum ipsi, tum merces eorum

præda erunt iis, qui in mari dominantur. Accedit per hanc maris commoditatem & imperium illud quoque, quod è Xenophonte loco jam ante citato est notatum: *Frugum*, inquit, *morbos, qui cœli vitio conciliantur, difficilius sustinent, qui terra solum valent & gravissima inde sentiunt incommoda, longe melius ferunt, aut vim majorem, aut cœli injurias, qui mari sunt vicini. Nam si quæ deficiant ipsis fruges, possunt mari ex illis locis procurari, quibus cœlum fuit æquius, quibusque ubertim provenit, quod adflictum est domi.* 5. Quam difficile sit uni alicui urbi imperium augustius acquirere, una abunde Roma ostendit, quæ ut Florus in Prologo loquitur, *ducentos quinquaginta per annos circa matrem suam cum finitimis luctata est*: longe autem hoc facilius urbi maritimæ est, ut præter Carthaginem, quæ maris beneficio brevi surrexit, ac longe lateque potentiam suam exeruit, (quemadmodum præ aliis Diodorus Siculus docet) hoc quoque ostendit Spina Italiæ urbs, ad mare Superum sita, quæ teste Strabone lib 5. & Dionys. Halicarnassæo lib. 1. aliquamdiu maris imperium obtinuit. Item Luna Etrusci imperii sedes, de qua consulendus idem Strabo l. d. nec non Massilia postea uberius consideranda, Athenæ, Lacedæmon, Rhodus, & Lesbus: hodie vero Venetiæ, Genua, & Tunetum in Africa. Inde Isocrates Orat. Panathenaica,

expen-

expendens commoda, quæ modo Laconica, modo Attica civitas ex dominatu in mari percipere solet, diserte dicit: *Evenit, ut utraque civitas maris imperio potiretur; quod utri tenuerint, urbium plerasque dicto audientes habent.* Eandem ob causam Cicero lib. 10. ad Att. ep. 7. consilium id Themistocleum vocat; quod Cn. Pompejus etiam Romæ amplexus est: *Qui mare teneat, eum necesse esse rerum potiri.* Huc spectat & illud quod Corn. Nepos, de Timotheo Atheniensium Præfecto Illustri refert. *Corcyram*, inquit, *sub imperium Atheniensium redegit, sociosque idem adjunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesque eas gentes, quæ mare illud adjacent. Quo facto Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, & sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt, pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum aræ PACI publice sint factæ, eique Deæ pulvinar sit institutum.* Scil. tum demum aris & delubris Pacem velut Numen venerandam esse censuerunt Athenienses, postquam asserto maris imperio, illam certam stabilemque fore sciebant. Is quippe solus in pace securus, qui diligenter providit, quomodo illius tempore, dominatum in mari sartum tectumque sibi præstare queat. 6. Periodi quædam, fatales quasi, imperiorum esse solent; breviores tamen

illæ ſunt, ubi terreſtris ſolum potentiæ viribus hæc nituntur, aut ſi breviores non ſint, pluribus ſaltem mutationibus ſubſunt. Non æque vero mutabile imperium illud, quod maris quoque præſidio præcipue nititur, ut non ſolum Tyri & Sidonis reſp. de qua præter Strabonem lib. 16. conſulendus quoque Eſaias Propheta cap. 23. oſtendit, item Tyrrhenorum imperium, quod diuturnum admodum fuiſſe docent Halicarnaſſæus lib. 1. & Strabo lib. 5. ſed hodie quoque Venetorum reſp. exemplo ſuo probat. Inde Romani, poſtquam ſemel maris potentes facti erant, tam ſedulo caverunt ne illius potentiæ quos æmulos haberent, uti poſtea diſtinctius expendemus: utque teſtis eſt Scribanius Jeſuita lib. 2. Inſtit. Polit. cap. 38. Carolus V. Imper. author fuit Philippo II. filio, ut maris ſibi imperium pararet, *ſi pacata regna vellet, ſi æmulos potentiæ ſuæ Reges ac Reſp. extra ferrum, arma, noxiaſque molitiones, Proregeſque in officio continere; ſi novarum rerum ſtudia frangere; ſi denique extra hoſtilem metum tranquillam vitam ducere.*

CAPUT

CAPUT II.

Quid sit imperium maris obtinere; & quinam secundum Eusebium illud obtinuerint in mari mediterraneo.

VTi ergo ex praecedentibus constat, quaenam maritimi imperii praerogativae atque commoda sint, ita deinceps despiciendum est, quinā illud per naves obtinuerint, aut ut Graeci scriptores loqui amant, ἐθαλασσοκράτησαν. Non debet vero hoc ita cum multis intelligi, quasi vastus Oceanus, in quo nulli limites definiri possunt, dominii capax sit; sed quod quidam armis praevalentes aut in eo imperium affectarint, aut in mari Mediterraneo, quod neutiquam cum ipso Oceano componi potest, reipsa quoque imperium illud exercuerint magis, alios prohibendo illius maris usu, quem reipsa possederint. Hac respiciens Festus in voce *Tyria*, de Poenis haec habet: *Tyro oriundi Poeni, adeo potentes maris fuerunt, ut omnibus aliis mortalibus navigatio esset periculosa.* Verbum autem θαλασσοκρατεῖν, ut recte observatum à Casaub. ad lib 1. Polyb. nihil aliud notat proprie, quam copiis navalibus praestare. Vt hoc agamus, incipimus ab iis, qui annotantur apud Eusebium in Chronico, & quidem per distinctas temporis periodos; non tamen

tamen omnes, sed illi solum, qui ad orientem sedes habuerunt, quibus nos tamen, priorem quoque catalogum ulterius pertexentes, Occidentales populos conjungemus. Ab Orientalibus ergo populis incipiendo, primi hic occurrunt Cretenses, (quod tamen negat Eusebius Latinus numero D. CC. LXV.) eorumque Rex Minos, quemadmodum testis est Diodor. Siculus lib. 4 Biblioth. & Nicolaus Damascenus apud Stobæum, cap. 42. Adeo vero in re nautica exercitati fuere Cretenses, ut Græci, teste Strabone lib. 10. Geographiæ, soliti fuerint dicere de eo, qui rem sibi probe notam dissimulat: *Scilicet Cretensis mare ignorat.* Atque eandem ob caussam sic Phædra in Hippolyto apud Senecam Tragicum:

O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne littus innumeræ rates
Tenuere Pontum; quicquid, Assyria tenus
Tellure, Nereus pervium rostris secat.

Ab Eusebio ad numerum D. CCC. XL. primo loco in hoc catalogo recensentur Lydii, nos tamen ob ea, quæ antea dicta fuerunt, *secundum* locum assignamus. *Tertio* loco ab eodem Eusebio Pelasgi referuntur, ita enim ad annum D. CCCC. LIX. scribit: *Pelasgi mare obtinuerunt* LV. *annos*, aut ut in Græca editione legitur *annos* LXXXV. constat autem ex Strabone lib. 5. Geogr. & Dionys. Halicarnassæo lib. 1.

Pelas-

Pelasgos vetustissimam Græcorum gentem stabiles sedes non habuisse, sed Hamaxobiorum more huc illuc pervagatos fuisse. *Quarto* loco occurrunt Thraces, iisque Eusebius ad annum M. XIV. assignat annos LXXIX, uti ex Græca ejusdem Eusebii editione restituere convenit. Dein *quinto* loco notari debent Rhodii, quibus quanquam Eusebius assignat solummodo annos XXIII. diuturnius tamen imperium iis assignandum esse, aliorum scriptorum authoritate evinci posse videtur. Ita quippe Strabo lib. 14. Geograph. *Rhodiorum urbi admiranda est legum optimarum conservatio, & industria cum aliis reip. partibus, tum navalibus quæ impensa copiis: quibus freti Rhodii, maris imperium diu obtinuerunt, piratas sustulerunt.* Diu obtinuisse maris imperium Rhodum testatur Strabo, nec aliud innuere velle videtur A. Gellius, quando lib. 7. Noct. Att. cap. 3. ita loquitur: *Civitas Rhodiensis & insulæ opportunitate, & operum nobilitate, & navigandi solertia navalibusque victoriis celebrata est.* Et si aliunde hoc non constaret, vel inde liquere posset, quod leges Rhodiorum navales, haud secus atque aliquod necessarium carmen, legisque naturalis quasi dictamen à Romanis pariter atque Græcis receptæ fuerint. Præteritis Pandectis, quæ legem Rhodiam de jactu agnoscunt lib. XIV. tit. 2. Harmenopulus quoque Iudex Thessalonicensis lib. 2. tit. 11.

testa-

testatur omnes marinas controversias secundum Rhodiam legem decidi solere, quod & calculo suo comprobat quisquis est author (nondum enim hoc liquet) qui relatus est ad calcem tom. 2. de Jure Græco-Romano, antehac à Frehero editus. Prærogativa autem hac leges hæ gavisæ sunt à tempore Tiberii, ut docet *Ius Græco-Romanum tom. 2. pag.* 265. *Sexto* dein loco Phryges apud Eusebium recensentur, ita enim ad annum M. C. XXVII. *Mare obtinuerunt Phryges annos* XXI. Quinam deinceps in mari dominati fuerint, dici non potest, siquidem ad VI. Eusebii numerum, qui nobis VII. hiatus ingens in ipsis MSS. Codd. occurit. *Octavo* dein loco, aut ut Eusebius vult *septimo*, *succedunt* Phœnices, ita enim ad annum M. C. XCII. *septimo Phænices mare obtinuerunt*: præ aliis autem Tyri atque Sidonis incolæ, quorum navigationes in historiis longe celebratissimæ sunt. De Tyriis quidem sic Strabo lib. 16. *Quantum classe potuerint, argumento evidenti est magnitudo & multitudo coloniarum ab iis deductarum.* Libro autem undecimo quodam loco has ἀποικίας non pauciores trecentis fuisse testatur. Et eleganter de hac ipsa Tyro Plin. lib. 12. cap. 22. *Olim portu clara, urbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani orbis æmula, terrarum orbis avida Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis.* Quæ omnia ingentem potentiam, unius hu-

jus

jus urbis, in mari dominantis, arguunt. Atque ob hanc caussam Salomon fœdus fecit cum Hiramo urbis illius rege, ut legere est, 1. Reg. 5. ac primitus videtur iniisse societatem classicam, quam vulgo *Amiralitatem* vocant ab *Amiralio* voce, significante Thalassiarcham, quæ & ipsa notante Vossio lib. 2. de Vitiis Lat. Serm. descendit ab Arabico *emir*, vel *amira*, quod *præfectum*, vel *dominum* significat. *Nono* loco dein referuntur Ægyptii, de quibus sic Euseb. ad annum M. CC. XXX. *Ægyptii post Phœnices mare obtinuerunt.* X. Sequuntur Milesii. Euseb. M.CC.LXV. Olympiade VI. *Mare obtinent Milesii, construxeruntque urbem in Ægypto Naucratim.* Ab his, teste Strabone lib. 12. condita est Synope, ad Pontum Euxinum sita, *quæ in sua potestate habuit mare, quod intra Cyaneas insulas volvitur.* XI. Occurrunt Cares. Euseb. M.CC.LXXXIV. Olymp. XI. *Mare obtinent Cares.* Castor antiquus apud Suidam Scriptor: *Dicuntur Cares obtinuisse maris imperium tempore Minois Cretensis.* Similiter Diod. Siculus lib. 5. Biblioth. *testatur eos temporibus Trojanis tum insulam Lesbum, tum etiam maris imperium obtinuisse.* XII. Ipsi Lesbii sese offerunt, de quibus sic Eusebius M.CCC.XLI. Olymp. XXXVII. *Post Cares mare obtinuerunt Lesbii annos LXIX.* Succedunt XIII. Phocenses, qui si fides adhibenda sit Latinis Eusebii Codicibus, maris imperium obtinuis-

obtinuissent per annos XLIV. Duo sequentes numeri apud Eusebium deinceps deficiunt, hiatu occurrente tum in Latinis Codicibus, tum etiam in Græcis ipsius Scaligeri Excerptis. XVI. Ergo notandi sunt Naxii, de quibus hæc Scaliger ex Græcis suis Excerptis: *Naxii decimi quinti mare obtinuerunt annos decem.* Est autem Naxus una è Cycladibus, de cujus priscis inquilinis ut multa habet Diod. Siculus lib. 5. Bibl. ita hæc inter alia refert: *Hinc factum, ut magnos ad felicitatem progressus insula faceret, egregiamque sibi classem compararet, & inter primos à Xerxe deficiens, strenuam ad debellandos pugna navali barbaros operam conferret, nec obscurum in prælio ad Plateas Societatis specimen ederet.* Dein Eretrienses commemorari debent, de quibus sic Eusebius Scaligeri, ex iisdem Græcis excerptis: *Post Naxios Eretrienses decimi sexti maris imperium obtinuerunt annis septem.* Est autem Eretria teste Strab. lib. 10. Geogr. urbs in Eubœa insula, opibus admodum potens, ac secunda à Chalcide, quæ olim totius insulæ metropolis atque caput erat. *Decimo septimo* dein loco, pro quo substituere deberemus XVIII. in mari dominati sunt Æginetæ. Variat autem hic Eusebius Hieronymianus ab Eusebio Græco. Apud illũ sic legitur ad annum M.D.VIII. Olympiade LXVIII. *Decimo septimo mare obtinent Æginetæ, annos XX. usque ad transitum Xerxis.*

Xerxis. Græca vero verba, si quis Latine ea reddat, ita sonabunt: *Gelo Syracusis dominatus est annos* VII. *Decimi septimi mare obtinuerunt Æginetæ annos* X. De hoc autem Æginetarum maris imperio agit quoque Strabo lib. 8. maxime vero Ælianus, lib. 12. var. histor. cap. 10. sic per interpretem scribens: *Æginetæ quondam plurimum inter universos Græcos poterant, temporis fertilitatem & oportunitatem nacti. Copias enim navales possidebant, & erant potentissimi, sed & contra Persas emicuerunt, & idcirco præmium fortitudinis inter primos sunt consecuti, & primi nomisma cuderunt, quod ex ipsis nomen accepit, ut Æginense nomisma vocaretur.*

CAPUT III.

Quinam, præter eos, quos Eusebius enumerat, amplius in Oriente olim mari plurimum potuerint.

POst Æginetarum imperium maritimum, alios populos non commemorat in Chronico suo Eusebius: quum vero dicat, eos maris imperium obtinuisse usque ad transitum Xerxis, quinam illis successerint non est obscurum. Interim oblivione non sunt prætereundi Jones, forte ante Naxios ab Eusebio collocati. De quibus sic Thucyd. lib. 1. *Multo post* (nempe post Corinthiorum vires maritimas

maritimas) *penes Iones res navalis fuit, ætate Cyri primi Persarum Regis, ejusque filii Cambysis. Etiam & cum Cyro pugnantes suo mari aliquandiu potiti sunt.* Ex Græcis, qui in mari valuerint ante Æginetas, in quibus Eusebius substitit, alii non occurrunt. Ex quo vero Xerxes Persarum Rex, præter equitum peditumque nubes, naves mille ducentas (testibus Herodoto, Diodoro Siculo, Corn. Nepote, & Justino) in Græciam, ad eam occupandam expediit, per Themistoclem non tam Athenienses, quam omnes in universum Græci plurimum æstimari cæperunt: hic enim qua erat prudentia, gnarus *neque prælio pedestri,* (verba sunt Frontini lib. 1. cap. 3.) *neque finium tutelæ, neque obsidioni sufficere Athenienses;* suis author fuit, ut classem quam validam instruerent, qua ad angustias Salaminii freti oportune Regis classem aggressus, eam partim depressit, partim profundo mersit, partim fugere compulit: Regum superbissimo, cujus classi mare antea angustum videbatur, cum uno piscatorio lembo, ignominiose, exercitu pedestri adhuc integro, se subducente. Post victoriam de Xerxe atque Persis relatam, principatum Græciæ, marisque imperium per vices obtinuerunt Athenienses & Lacedæmonii. Sed postquam continuis dissensionibus & bello fractæ sunt horum opes; terra marique latè imperitarunt in Europa & Asia reges Macedonici,

nici, quorum tamen marinum imperium valde fuit incertum, quum modo qui in Asia & Syria regnabant, prævalerent copiis navalibus; modo qui in Macedonia rerum potiebantur plurimum mari possent, ut in Bibliotheca refert Diodorus, qui etiam libro XVIII. auctor est Athenienses aliquot in mari à Macedonibus clades accepisse. Hoc solum addatur ab Alexandro Magno usque Macedonicæ potentiæ consortes valde sollicitos fuisse, de asserendo dominatu in mari. Et ut ab Alexandro ipso incipiamus, Tyrios maris dominos, in potestatem suam redegisset nunquam, nisi à vicinis eorum naves accepisset domita potentissima illa urbe, teste Curt. lib. 4. *mare ante omnia à piraticis classibus vindicare* studuit: & nisi mors fato propera prohibuisset (fidem faciente Iuliano Imp. Orat. 3.) Europam invasisset, quo *non minus maris, quam Telluris posset esse Dominus.* Longa serie post eum, Patroclus (videatur Athen. lib. 8. Dipnosoph.) Ptolemæi Lagi Filii dux, ad Antigonum regem pisces simul & recentes ficus misit; cumque ambigerent adstantes, quid illo munere significaretur, Antigonus lepide dixit, satis se intelligere quid sibi vellet Patroclus. Aut enim vult Patroclus, *imperium maris nobis esse occupandum, aut rodendas ficus.* Hoc est, aut ignavum & mollem videri, aut maris dominum fieri.

CA-

CAPUT IV.

De populis ad Occidentem, usque ad Romanos maris potentes.

SEposito Oriente, ad Occidentem nos convertimus, certum siquidem est, neque Græcos, neque quos alios, ex iis, qui jam memorati sunt, ad Occidentem usque maris dominium extendisse, eoque, priusquam expendimus, quinam populi post Romanorum imperium mare obtinuerint, eos considerare convenit, qui ante adultam illorum potentiam, in Occidente ejusdem imperium sibi vindicarunt. Primo hic occurrit Spina in Italia, ad mare superum sita, Ravennæ proxima, atque antiquissima Græcorum colonia. De illa ita Strabo lib. 5. Geogr. *Spina nunc vicus, quondam Græca urbs nobilis, quando & Spinitarum thesaurus Delphis ostenditur, & alioqui fertur eos maris imperium obtinuisse, ajunt etiam ad mare fuisse sitam: nunc in mediterraneis est, stadiis à mari*, xc. Præterquam vero, quod Eudoxus & Artemidorus hujus ejusdem Spinæ quoque meminerunt apud Stephanum in Comm. de Urbibus, de maritimo hoc imperio amplius scribit Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Ant. Rom. postquam enim egisset de Græcis, qui Spinam condiderunt, eoque coloniam

loniam deduxerunt, hæc tandem subjicit: *Fortunatissimi fuerunt omnium maris Ionii accolarum, diu maris imperio potiti: & decimas ex maritimis proventibus, si qui alii, splendidissimas Delphos Deo mittebant* Commemorandi deinceps sunt Tyrrheni, quorum tum illustre imperium maritimum, tum etiam diuturnum fuit. Strabo lib. 5. quo loco de portu Lunensi agit, hæc inter alia: *Luna urbs est, & portus, urbs quidem non magna, sed portus maximus juxta ac pulcherrimus, plures includens portus, omnes prope littus profundos, quale omnino convenit esse receptaculum hominum, qui tanti maris tanto tempore dominium obtinuerunt.* Dionys. Halicarnassæus l. 1. quo loco agit de appellatione maris Tyrrhenici: *Ex quo Tyrrheni maris domini facti sunt, eminere cœperunt inter reliquos Latii populos.* Calculo suo probat hoc quoque Diodorus Siculus lib. 5. ita de illis loquens: *Classe pollentes; diu maris imperium tenuere: & mare Italiæ subjectum Tyrrhenum de suo nomine appellarunt.* Hetruscorum horum potentiam fregit atque obscuravit Carthaginensium dominatio: quam diu enim res Punicæ viguerunt, supremum maris moderamen obtinuerunt. Polyb. lib. 1. cap. 7. *Carthaginenses, penes quos maris imperium erat.* Ante Romanos tentavit hoc illis adimere Agathocles, homo astutus, & singulari dexteritate atque fortitudine præditus: semel quo-

que

que victis, supra spem ac votum prope Carthaginensibus, victoriæ præmium maris imperium accepit. Diod. Siculus lib. 20 cap. 63. *Agathocles nec spem habens in mari Carthaginenses superandi, præter omnium opinionem navali eos prælio devicit: & mare deinceps in potestate habens, securum mercatoribus transitum præstitit.* Sed quod ex insperato erat consecutus, mox iterum amisit, omnibus Africæ populis ob immanem, quam in amicos pariter atque hostes crudelitatem exercebat, ab eo deficientibus. Obtinuisse autem dominatum hunc videntur usque ad bellum Punicum primum, quod Olympiadis c.XXVIII. anno ultimo incepit. Ita quippe Polybius circa hoc tempus lib. 1. *Carthaginensibus Maris dominium citra controversiam obtinentibus.* Nec hoc prætereundum, quod Plinius lib. 2. cap. 67. refert, *Hannonem* (Pænus hic erat) *Carthaginis potentia florente, circumvectum à Gadibus ad finem usque Arabiæ, navigationem eam prodidisse scripto.* Atque ne quis miretur Promontorium bonæ Spei, quod ignorasse Ptolemæum constat, illis jam temporibus circumnavigatum: *ibidem* ab eodem Plinio refertur, in sinu Arabico, res ibi gerente C. Cæsare Augusti Nepote, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis reperta agnitaque fuisse: Sive naves illæ fuerint Hispanicæ, sive ex Hispania profectæ. quomodo & Corn. Nepos (apud Plin. ib. & Melam lib.

3. cap.

3. cap. 10.) testis est, Eudoxum quendam, cum Lathyrum Alexandriæ Regem fugeret, Arabico sinu navibus egressum, Gades usque pervectum esse. Antequam ad Romanos accedimus, qui victis Pœnis maris imperium obtinuerunt, præterire non possumus Massiliam, ea non quidem maris imperium obtinuisse legitur, classe tamen ante Romanos plurimum valuit. Ita enim Strabo lib. 3. *Habent Massilienses navalia, & armamentarium, olim etiam navium, armorum, & machinarum ad navigationes, & ad oppugnationes copia præditi fuerunt.* & paulo post: *Sunt in urbe Massilia permulta affixa spolia, quæ cives diversis temporibus victores pugnis navalibus retulerunt de iis, qui mare sibi injuste vindicabant.* Ob hanc maris potentiam, & classis opportunitatem, accepti postea fuerunt Romanis, uti affirmat Strabo eodem loco. Hoc vero memoria dignissimum, quod teste Eudoxo apud Strabonem l. d. Pytheas Massiliensis, Romanis adhuc circa matrem suam luctantibus, superato Herculis freto, postquam Gades prætergressus esset, universum propemodum Septentrionem lustravit, Thulen, quæ hodie Islandia dicitur, adiit; & totum eum Boreæ tractum Græcis inter primos aperuit.

CAPUT V.

De Romanorum in mari Mediterraneo potentia.

ROmani non nisi devictis Carthaginensibus de asserto maris imperio gloriari potuerunt. Uti mirandum sit Lycophronem, qui vix vidit bellum Punicum primum, vocare γῆς καὶ θαλάττης ἄρχοντας, quod haudquaquam verum esse potest, nisi sic accipiatur: Romanos non minus mari, quam terra plurimum valuisse. Quomodo θαλαττοκρατορία iis quoque tribuitur, qui quanquam maris imperium (eo modo, qui jam dictus, intellectum) non obtinuerunt, classe tamen aut alia ratione plurimum valuerunt. Sic Xenophon lib. 4. Rerum Græcanicarum, Corinthios in sinu, quem hinc Achaia, inde Lechæum claudit, dicit θαλαττοκρατῆσαι, & Diodorus Siculus lib. 18. Cyzicenos cum Aridæo bellum gerentes testatur fuisse θαλαττοκρατοῦντας, quanquam certum per omnia est Cyzicenos nunquam totum maris Mediterranei imperium obtinuisse. Ita, nisi quis Lycophronem interpretetur, haud quaquam ejus assertio cum immota historiæ veritate conciliari potest. Redeundo vero ad Romanos, ut illi oppressis Carthaginensibus, pertinacissi-

nacissimis æmulis suis, maris imperium consecuti fuerunt, ita hoc egerunt, ne quis posset illud imperium recuperare. Eoque post secundum bellum Punicum Carthaginensibus, & postea Antiocho inter primas federis conditiones hæc lex dicta fuit, ne ultra certum numerum, eumque exiguum admodum, naves habere posſent. Formulæ federum illorum legi posſunt apud Livium atque Polybium. Nec aliam ob cauſsam Rhodus, quæ postquam amica Romanis erat facta, multis donis affecta, relictaque libera fuerat, à Vespasiano, teste Xiphilino, in formam provinciæ est redacta; quam quod metus superesſet, ne insula maris imperio quondam illustris, aliquando sese recolligeret, maximasque per provincias turbas daret. Hinc & Romani Imperatores videri voluerunt, non terrestribus solum expeditionibus, sed navalibus etiam excellere. Paterc. lib. 2. *Eadem virtus & fortuna subsequenti tempore ingressa animum Imp. Tiberii fuit, quæ initio fuerat: concussis hostium viribus; classicis, peditumque expeditionibus.* Maris Mediterranei imperium, jam antea descriptum Romani obtinuerunt usque ad Vandalorum in Africa dominatum, & Gothorum in Sicilia & Sardinia: ex quo enim vasta illa regio, & maximæ hæ insulæ Romano Imperio subductæ fuerunt, maris quoque imperium, quod tanti olim fecerat Romanus

populus, amiſſum fuit: de qua Vandalorum & Gothorum potentia conſuli poſſunt præ aliis Procopius lib. 3. belli Vandal. Paul. Diacon. lib. 14. & Proſper in Chron. Poſtquam vero Gilimero Vandalorum duce capto, Africa Principi Juſtiniano per Beliſarium eſt reſtituta, ac poſt paulo ab eodem Sicilia recuperata eſt, viſa quidem fuit Roma iterum mitti in maris poſſeſſionem, uti videre eſt apud Procopium lib. 4. de B. Vandal. & Paulum Diaconum lib. 16. ſed illud imperium haud ſine æmulo conceſſum Juſtiniano eſt, ſiquidem Totilas cum valida claſſe & exercitu in Siciliam reverſus, meliorem inſulæ partem ſubegit, Syracuſaſque obſedit, eoque progreſſus audaciæ, ut in Italiam quoque, quoniam claſſe valebat, trajicere auſus fuerit. Interim vindicavit exiſtimationem Iuſtiniani Artabanes, qui accepta à Liberio claſſe atque exercitu, Syracuſas, pulſis Gothis ab obſidione liberavit, Gothoſque qui in præſidiis Siciliæ ſe tuebantur, ſtatim obſedit, quorum & plures, qui extra oppida ad dimicandum exierant, ſuperavit, cæteroſque omnes ad deditionem compulit, atque ita propere inſulam Gothorum faucibus eripuit, mareque Imperatori reſtituit, uti videre eſt apud authores modo citatos. Manſiſſet antem Juſtinus Juſtiniani ſucceſſor, reliquique, qui eum inſecuti fuerunt, in poſſeſſione, niſi Sarraceni, ſubito exorti, Siciliam

occu-

occupaſsent. Sarraceni enim plurimis victoriis elati; Ægyptique & Africæ melioris partis, totiuſque Hiſpaniæ jam domini,ipſam urbem Romam adorti fuerunt , factoque agmine ingreſſi, (accidit hoc anno Chriſti 620.) & totam intra biduum diripuere. Per idem quoque tempus , quod claſse valerent , & maris domini eſsent , Sardiniam atque Siciliam ſibi ſubjecerunt : Oram deinde totam fere ſuperi atque inferi maris, plurimum , perdiuque infeſtarunt; Diu quoque poſsederunt Lucaniam , ac quicquid urbium & oppidorum ſitum eſt ad mare, à Lucania ipſa uſque ad Gargani montis loca , quæ mari Adriatico imminent. Nec prætermiſerunt oram Dalmaticam , Illyrici , Epiri , Peloponneſi. Ingreſſi quoque ſunt Helleſponti fauces , & quicquid eſt in ora tum Europæ, tum Aſiæ , uſque ad Thracium Boſphorum infeſtum reddiderunt. Cycladas quoque, Cyprum , & Cretam inſulas magna vi invaſerunt. Ipſi autem mortuo jam Mahometo , famoſo illo Orientis impoſtore , imperii ſedem Damaſcum ſtatuerunt. Poſtea progreſsu temporis , quo maris maxime imperium retinere poſsent. Africam in in quatuor regna dividere inſtituerunt , quorum primum regnum Marocci , ultra fretum Herculeum ſitum eſt : alterum Feſsæ:tertium Teleſinum : quartum vero Tunetenſium eſt. Primum regnum nomen habet à Marocco

maxima urbe, adjacente monti Atlanti, atque dividitur in septem regiones amplissimas, quæ sunt: Hea, Sus, Guzula, Marocci regio, Duccala, Hazcora, & Tedle. Alterum regnum est Fessæ, quod ipsum quoque septem regiones habet, nempe Temezenem, Fessæ regionem, Azagarum, Elabathum, Senifi (quæ & hac ætate regni titulum habet) Gatethum, & Elcanzam. Regnum hoc nomen habet ab urbe Fessa, quæ & ipsa denominatur à flumine præterlabente, conditaque est centum & septuaginta annis post excessum Mahometis, à quodam milite seditioso. Tertium Telesinum regnum tres regiones habet: Montes, Tenez, & Elgezer, incipitque ab occasu ad fluvium Mulviam, terminatur autem ab ortu ad fluvium Majorem, & Za: & à meridie ad desertum Numidiæ, ab Aquilone denique ad mare Mediterraneum. Regnum hoc idem est cum Cæsarea, Romanorum olim provinciâ, nomenque habet à Telesina urbe metropoli. Quartum regnum Tunetense est, quod initio divisum fuit in quatuor regiones, nimirum Bugiam, Constantinam, Tripolim, & magnam Numidiæ partem, quam Sarraceni Ezzab vocant. Nomen habet ab urbe Tuneto. Potentiæ hujus marinæ Sarraceni æmulos non habuerunt usque ad tempora Michaelis Imperatoris, illius scil. qui ex Imperatore factus Monachus cognomentum *Balbi* tulit, sub cujus

turbido

turbido imperio, divisa Sicilia per factiones Sarracenorum, Georgius Meniaces (Molochum eum vocat Blondus) in partes ante asscitis Normannis, parataque validissima classe Siciliam occupavit, Sarracenosque maris mediterranei jam diu dominos, in ordinem ex parte redegit: uti ex gestis Normannorum annotat Fazellus Decade Posteriori de rebus Siculis lib. 6. cap. 2. Ab hoc tempore ut Siciliæ dominium ad Normannos pervenit, (primo à Christianis, qui in insula illa supererant, electo Roderico sub titulo Comitis, quorum & posteri usque ad Henricum Aucupem Imp. insulam obtinuerunt) ita & Sarracenorum marina potentia in ordinem redigi cœpit. Quoniam vero post hoc tempus, reliqua per Europam regna & Respubl. θαλαττοκρατεῖν cæperunt, priusquam ad Belgas, & speciatim fœderatos accedimus, externa breviter lustrare est animus. Quæ enim de fœderatis Belgis postea dicturi sumus, in nullius externæ gentis præjudicium vergere volumus, sed potius cuique existimationem suam sive jam olim, sive nuper quæsitam, quantum in nobis, sartam tectam præstari cupimus.

CAPUT VII.

De maritima Gallorum potentia usque ad Regem Carolum V.

INitium ergo facimus à Gallis, gente tota Europa celeberrima & bellicosissima; cogitare quis posset eos securos esse maritimi imperii, siquidem Claudius Sesellius Episcopus Massiliensis, & Ludovici XII. Franciæ Regis ad Leonem X. Pontificem per aliquot annos legatus, *sic scribit lib. 2. de Republica Gallia:* Et quanquam Gallia præ cæteris regionibus facile potest inferentibus bellum resistere, partim propter omnium ordinum obsequentiam & affectum erga Regem, propter colligendæ pecuniæ facultatem, partim etiam propter amplissimum & perpetuum equitatum: tamen ex usu & dignitate Reip. sit futurum, si mari quoque plurimum possemus, quandoquidem & ad Oceanum & Mediterraneum mare Gallia pertinet. Sic enim fieret, ut non modo civitates ac populi maritimi, valde locupletes atque copiosi, Regis imperio subjecti, sed vicini quoque omnes, metu periculi in fide & amicitia permanerent: mercatores etiam multo liberius atque tutius commearent; & maximas Reipublicæ commoditates adferrent, & orto bello, navigatione, hostes

facile

facile possent, propter nostræ classis magnitudinem, prohiberi, & omnibus in locis, quo nostris navibus pateret aditus, militum præsidia disponere, & sumptum facere cogerentur, nostramque oram maritimam minime auderent divexare. Nam una solum classis bene munita rebus necessariis, propter commoditatem navigationis usui & auxilio esse potest multis regionibus longo separatis intervallo, quod terrestris exercitus minime potest. *Hæc Secellius.* Mirum vero accuratissimo Scriptori, qui omnia, quæ ad gentis suæ laudem vergunt, quam accuratissime annotavit, non occurrisse, quod de Francis dicit Sidon. Apoll.

——— *His pelle salum sulcare Britannum*
Ludus, & assuto glaucum mare findere bello.

Jam olim enim sic Franci infesta maria reddere solent, ut cum Oratores, (patet ex Nazario in Panegyr. Constant.) Romanos Principes laudarent, eos dicerent maria littoraque omnia quieta fecisse, restituisse mare Romanis, quod Franci totum tenebant. Præ omnibus vero aliis, antiquam Gallorum, sive Francorum, existimationem vindicat Panegyrico Maximiano dicto : *Recursabat in animos illa sub Divo Probo paucorum ex Francia captivorum incredibilis audacia & indigna felicitas, qui à Ponto usque correptis navibus Graciam Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo navalibus victoriis nobiles*

 ceperant

ceperant, Syracusas, & immenso itinere pervecti Oceanum, qua terras rupit, intraverant, atque ita eventu temeritatis ostenderant; nihil esse clausum piraticæ desperationi; quo navigii pateret accessus. Nec, per Francorum adventum in Galliam advectum fuit maris studium. Illi aliquot seculis ante vacarant varii Galliæ populi, & urbes. De Massilia ante vidimus. De Vennetis, Galliarū populis, ita Cæsar l. 3. c. 14. B. G. *Hujus civitatis* (Vennetorum) *longe est amplissima auctoritas omnis oræ maritimæ, quibus in Britanniam navigare consueverunt. Et scientia & usu nauticarum rerum cæteros antecedunt, & in magno impetu maris atque aperto, paucis portubus interjectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eodem mari ut consueverunt, habent vectigales.* Atque deinceps refert, quomodo sibi subsidio miserint classem cc. xx. navium. Vennetorum horum vestigia occurrunt in urbe Britanniæ Armoricæ, *Vannes* nominatæ. Omissis autem incertis his, quantum in mari jam olim Galli potuerint, inde patet, quod jam sub Childeberto I. Ammiralii sint instituti. Quæ vocis hujus, gente atque domo Arabicæ, sit origo, jam antea ostendimus. Hoc loco illud duntaxat addimus, à Romanis quoque, imitatione Græcorum, ut videtur, Ammiralitates institutas fuisse, & ὁμοπλοίας vocatas. Exemplo sit Cicero, lib. 16. ad Att. ep. 1. sic scribens: *Dymæos agro pulsos, mare infestum habere nil*

nil mirum. manifestum eum loqui de Dymæis pyratis. Mox subjungit rationem occurrendi illis: In *ὁμοπλοίᾳ Bruti videatur aliquid præsidii esse.* Idem eod. lib. ep. 4. *Hac navigatio habet quasdam suspiciones periculi: itaque uti constituebam ὁμοπλοίᾳ.* II. Caroli Martelli auspiciis navali prælio victi sint Frisii, teste Adone in Chron. & Aimon. Monach. lib. 4. cap. 55. III. Carolus M. teste Sigonio lib. 4. de Regno Italiæ, classi suæ præfecerit Burchardum Comitem Stabuli, ejusque ductu Sarracenos ad Genuam debellaverit, 13. eorum navibus captis, reliquisque fugatis & dispersis. Adhoc idem Carolus viginti navibus à Venetis acceptis, Desiderium Longobardorum Regem mari excluserit. IV. Potentia hæc marina maxime se prodiderit, sub Philippo I. ad annum præter propter 1100. cum totus Occidens migrare videretur in Orientem, omnesque Europæ Principes, præ cæteris Galliarum reges, occupandæ Palæstinæ desiderio arderent, quæ in mari, maxime à Ludovico VII. hac occasione contra Sarracenos, & proditores Græcos fœliciter à Gallis gesta sint, præ cæteris annotarunt Sabell. Enn. 9. lib. 3. Girardus in Ludovico Septimo, ac Philippo Secundo, & Georgius Logothetes in Chron. Constantin.

CAPUT VIII.

De Gallorum potentia maritima, usque ad præsentem ætatem.

VT ad tempora propinquiora accedamus, moto pro obtinenda Gallia ab Anglis bello, qui illud regnum tanquam suum repetebant; Carolus V. (annotat Lilius in Epitome Chron. Regum Angliæ) præparata anno 1371. apud Rhotomagenses classe, auxiliisque navalibus ab Henrico Hispaniæ Rege acceptis, ante Rupellæ mœnia, XXXV. Anglorum naves partim cepit, partim destitutas armamentis præcipitavit in profundum, cæsis aut demersis omnibus, qui ex iis pugnabant. Postea Carolus VI. non tantum validæ Classi Joannem de Vienne Amiralium præfecit, ut Scotis contra Anglos subsidia ferret: sed ipse quoque anno 1386. cum classe mille ducentarum & octuaginta navium ad Slusam in Flandria, commodum in Angliam transfretandi præstolatus est ventum, ingentiaque tantæ classis subsidio præstitisset, nisi dum moras nectit Biturigum dux, cui expeditio hæc displicebat, tempestas naves disjecisset, quæque animo agitaverat, turbasset. Postea sub Carolo VIII. anno 1465. & seqq. (ut præ aliis narrant Phil. Cominæus & Bellaforestus)

restus) annum tum agente x x i i. tota Italia veluti ingenti terræ motù metu Gallicanæ classis concussa fuit, non tantum terra, sed mari. Dux classis erat Ludovicus Aurelianensis, qui ad portum Veneris (urbs est in ora Liguriæ) Fredericum Alphonsi, Arragoniæ, Neapolis, & Siciliæ Regis fratrem, præpositum triremibus, maritimo prælio devicit, totamque Italiam à Genua Neapolim usque pacavit, compulitque Alphonsum in Siciliam fugere. Regnante Ludovico X X I I. qui Carolo V I I. successit, anno 1515. Preginius vice-Amiralius, regis auspiciis, primus suo seculo ex Gallis Gaditanum fretum trajecit, grandemque cladem, obtruncato quoque Angliæ Amiralio, Anglicanæ classi intulit, ut testis est Bellaforestus lib. 6. Hist. cap. 23. Dein sub Francisco I. Amiralius est constitutus Andreas Doria, qui quamdiu supremo illo imperio gavisus fuit, ratio maris coronæ Gallicæ constitit, vastataque Asinaria & Sardinia insula omnibus constitit, Gallos, modo vires suas exerere velint, in mari dominari posse. Cæterum Doria tanquam homine peregrino aula submoto, eoque dein ad Carolum V. deficiente, in pejus ruere (ut multi recte notarunt) Gallorum res, nec tantum amissum fuit Neapolitanum regnum, sed etiam ipsa Liguria Gallicum imperium contemnere cœpit. A Francisco I. usque ad Henricum I V.

Bo-

Borbonium cognomento Magnum, nihil fere memorabile est gestum; sub hoc vero dum Amiralius esset Andreas Brancasius, nova Francia in orbe Americano lilia nosse cœpit. Præ cæteris verò Gallica hæc per mare potentia sese prodidit sub hujus Henrici IV. filio, Ludovico XIII. cognomento Justo; cujus quam plurimas victorias mari partas, ut hic silentio prætereamus, illud solum notamus, capta Rupella ei trophæum cum hac inscriptione statutum fuisse: *Fusis terra, marique Anglis. Fractis Sectariorum partibus. Victa subditorum rebellantium pervicacia. Vero veri Dei cultu restituto. Oceano compedibus vincto: Rupella in deditionem accepta: dubium, majori clementiæ an fortitudinis exemplo. Regibus ac Principibus multis frustra conjurantibus: victor exercitus, Deo Opt. Max. ac Ludovico* XIII. *Galliarum & Navarræ Regi Invictissimo, Piissimo, Iustissimo, Gloriosissimo; semperque triumphanti, hoc monimentum sacravit. Deo gloria, Principi decus, hostibus terror, subditis exemplum.* Postea ejusdem Regis præcipua cura fuit mari prospicere. Eoque tres classes uno eodemque tempore ab eodem paratæ sunt. Una, quæ Oceani littus, quacunque Gallia protenditur, servaret. Altera, quæ Septimaniæ, Provinciæque oris excubaret. Tertia classis in Aquitanico littore constituta, devehundis quotannis in Canadam coloniis, merci-

cibusque. Quæ postea gesta fuerunt tum sub hoc rege, tum filio ejus cognomine, qui etiamnum regnat, & in mari non minus quam in terra nominis sui terrorem circumfert, quoniam in recenti adhuc memoria sunt, nec præ victoriis, terra partis, æque augusta, commemorare supersedemus.

CAPUT IX.

De iis, quæ ab Anglis in mari præclare gesta sunt.

POst Gallos occurrunt nobis Angli, qui jam olim quoque, quoniam insulam incolunt, longe lateque nominis sui terrrorem per mare propagarunt. Interim notandum, frustra eos esse, qui existimant jam Romanorum ævo, imo sub ipso Julio Cæsare, Anglos mari potentes fuisse. Quod ut constet, non abs re fuerit paucis errorem hunc detegere. Utque à Julio Cæsare, qui primus omnium ex Romanis Britanniam ingressus est, incipiamus: Tantum ab est, ut tum in mari dominati fuerint Britanni, testatur Cæsar, lib. 4. B. G. cap. 25. primo suo in insulam appulsu inusitatas longarum navium species incolis timorem incussisse; & secundo, navium omnigenarum numero ita perterritos, ut à littore discederent, Cæs. lib. 5. B. G. cap. 8.

E-

Erant siquidem ad bellum navale omnino imparati, nec classem habebant, sed naves vimine contextas ac coriis bubulis circumtectas, testante eodem Cæsare lib. 1. B. G. cap. 54. Nec Cæsaris solum ævo adeo rei navalis imperiti fuerunt Britanni, verum sub ipso Domitiano quoque, fidem faciente Tacito in vita Agricolæ, cap. 27. ubi refert, *Britannos visa classe Romanorum obstupefactos, tanquam aperto maris sui secreto, ultimum jam victis perfugium esset ereptum clausumque*. Imo, quod magis est, tempore quoque Maximini Imperatoris, sive circa annum Christi 238. teste Panegyriste Anonymo, *Britannia* non *erat ullis ad navale bellum armata navigiis.* Et, ne de antiquioribus, quæ incerta sunt, plura dicamus, Anglia navalis belli & potentiæ gloria primum inclaruit, sub Richardo Rege, qui cum seculo undecimo cum aliis Christianis Principibus in Orientem abiisset, totam classem Saladini, quæ laborabat Acrensibus obsessis suppetias ferre, perdidit. Sequuta est victoriam illam Acræ deditio, ipseque Richardus per totam Asiam omnium consensu supremus Imperator appellatus, urbes maritimas, quas Saladinus cum servare non posset, diruerat, mœnibus circumsepsit ac propugnaculis munivit, interque eas Acram ipsam, Porphyriam, & Astalonem: longeque plura egisset, nisi per turbas domi inter suos exortas,

tas,pacem cumSaladino facere coactus fuisset, ut refert Polidor. Virgil. lib. 14. Richardi filius Iohannes, & ipse ingentis animi Rex, anno 1214. teste Polidoro Virgilio lib. 15. in ora Flandriæ Philippi II. Galliarum Regis classem subvertit, omnibus navibus aut captis,aut incendio consumptis. Postea Henricus III. An. 1293. (videatur Gregorius Lilius in Epit. Chron. Angl. Regum) occupationem Normanniæ diu meditatus, infesta classe per ejus oram cucurrit;& dein in Aquitaniã conversus, Rupellam terra marique obsessam expugnavit,postea Burgũ,Blajam,Bajonamque. Anno dein 1340. (uti idem Lilius testis est) Eduardus III. ingentem illam Gallorum classem ad Slusam oppressit,& profligavit: quoniã vero ipse ex vulnere,quod in prælio acceperat, decumbebat, Duce Roberto Artesio arma victricia in Armoricam convertit, asscitaque in partes Comitissa Montfortensi virilis animi fœmina,ad insulam Cæsaream non solum cedere compulit Ludovicum Hispanum Galliæ Amiralium;sed etiam meliorẽ Armoricæ partem domuit.Eduardi hæres Richardus II.classis subsidio, cui præfecerat Richardum Arondeliæ Comitem, non tantũ feliciter sua tuitus est, sed Flandrorum quoque classem anno 1386.secundo successu fugavit,capto amplius illius Amiralio Johanne Bucquoio.An.1519. sub Henrico VIII. rege, classis Anglica, moderante

derante eam Thoma Havardo, urbem Lethen, ſimulque portum totius Scotiæ celeberrimum occupavit, ac longe lateque in ipſum Scotiæ regnum excurrit. Sub Elizabetha vero Henrici VIII. filia, Anglia maxime lacertos movit, & quantum in mari poſset, orbem univerſum docuit. Siquidem anno 1586. Franciſcus Dracus in Americam uſque provectus, in Hiſpaniola inſula, Hiſpanorum colonias, urbeſque littorales aliquot evertit, interque has S. Dominici urbem, portubus, negotiationibus, & populi frequentia celebrem. Anno 1588. eadem Regina ſub Carolo Havardo Amiralio ſtupendam illam Philippi II. Hiſpaniarum regis claſsem, quæ tam milites, quam ſocios nauticos centum viginti millia vehebat, quæque antequam ſolveret, Angliæ hoc occinuerat:

Tu quæ Romanas voluiſti ſpernere leges;
Hiſpano diſces ſubdere colla jugo.

igno ferroque feliciſſime ſubmovit & diſſipavit. Poſtea, anno ſcil. 1596. ſub Comite Eſsexio non ſolum inſulam Gadez, ſed ipſam quoque urbem occupavit, quam cum victores maximo Hiſpanorum incommodo ſervare potuiſsent, deprædatam diruerunt. Anno 1602. Richardus Luſotus in ipſo Lisbonæ flumine ante Setubalis caſtellum validam Hiſpaniæ regis claſsem, accinctam expeditioni Belgicæ partim incendit, partim vaſtavit. Quid quod

quod in Virginiam Americæ regionem plurimæ Anglorum coloniæ ſint deductæ. Primæ duæ deductæ ſunt anno 1606. ducibus Thoma Gateſio & Thoma Hamundo: alteræ duæ anno 1608. Londino & Plemuthio duce Vinofeldo. Hodie vero aliquot millia Anglorum & Scotorum regionem illam incolunt: ibique præter Angliam & Scotiam novam, occurrit quoque Neufonlandia, ſive nova terra. Hoc quoque non prætereundum, quod jam olim anno ſcil. 1344. Macham Anglus nauta primus omnium Europæorum appulerit in Maderam Canariarum inſulam, unde & hodie portus, in quo anchoras fixit, Machico de illius nomine nuncupatur. Similiter Angli anno 1590. per Septentrionale pelagus aditum tentarunt ad inſulas Moluccas, & ni glacies ulterius progredi vetuiſſet, Aniani fretum tenuiſſent: interim Nieulandiam, ſub LXXX. gradu ſitam occupaverunt, inveneruntque illud mirabile aquas polo ſubjacentes, à gelu immunes eſſe, virentes terras, & præſentia ſemper animalibus pabula. Denique nec hoc prætereundum, quod propter hanc maris potentiã, præter Europæ principes, Anglorum amicitiam appetierint Mogol Mahumet Ekebar, Mohol Selin Indiæ Orientalis Principes, Candacharis & Corazari rex, Pedukas Sirir Sumatræ dominus, aliique. Imo hactenus ſalva ibi eſt Societas, in Orientalem Indiam ſingulis adhuc

hue annis clafsem expediens. Recentes recentium dominorum poſt everſum Monarchicũ Imperium per Britanniam & Hiberniam victorias adverſus Luſitanos, itemque res geſtas ab iiſdẽ mari adverſus Belgas, hic commemorarem ; niſi certum eſset, hos impiis injuſtiſq; armis contra omnem rationem peti, claſsemque validiſſimam, & parum quin Europæ terribilem, magnam partem conſtare partim iis navibus, quæ per ſummam iniquitatem integra adhuc amicitia federatis Belgis ſunt ereptæ, partim illis, quas regum infeliciſſimus Carolus I. in uſus ſuorum hoſtium & Percuſsorum eo tempore extruxit, quo à ſuo Parlamento accuſabatur, quod vectigal nauticum in privatos uſus converteret: primaria claſſis navi, quæ *Souveranitatis* ominoſum nomen fert, primum dominum agnoſcente dictum Carolum, qui ut nunquam frui potuit tantæ navis, & cui hactenus æqualem vix orbis habuit, uſu atque voluptate; ſic novorum Dominorum cenſetur Palladium, uſquedum cum ſuis inquilinis aut ultricibus flammis pereat, aut ab aquis abſorbeatur, aut ad alios tranſeat poſseſsores.

CA-

CAPUT X.

De rebus mari ab Hispanis præclare gestis.

ANglos excipiunt Hiſpani, quos præterire haud poſſumus, quod nullum ſua laude defraudare fas ſit. Omiſſis autem antiquioribus regibus, rebuſque plurimis præclare ab iis mari geſtis, initium facimus à Ferdinando & Iſabella, qui plura regna, antea diviſa, primi ſceptro ſuo ſubjecerunt. Horum ergo auſpiciis anno 1492. Chriſtophorus Columbus, primus omnium mortalium in Occidentales Indias navigavit, ac priori ſua navigatione inſulam, quam Hiſpaniolam vocavit, item Guanahamum, Floridam, & Cubam detexit. Poſteriori navigatione, quæ incidit in annum 1493. Canibalorum inſulas idem Columbus invenit, quibus & varia indidit nomina; adhoc redux in Hiſpaniolam, ſanguine inſulanorum, ſuis, qui ab iis interfecti erant, parentavit. Paulo poſt tum ipſe, tum frater Bartholomæus, à Rolando Ximene proditionis accuſati, apud Caſtellæ Reges carceri mancipati fuerunt. Poſtea Columbi ſocii, pertæſi injuriam, quam is cum fratre concoquere cogebatur, expeditis ſuo ære liburnicis in diverſas partes diſceſſere, variaſque regiones

regiones detexere. Et quidem Vincentius & Arias Pinzonii mare dulce, item Maragno, Orillanam, Chianam, Payiamque. Americus Vespucius dum Moluccas per Occidentem petit, istud maxime profecit, quod quartam, eamque maximam orbis partem de suo nomine Americam vocavit. Petrus Aloisus, cognomento Niger, ad Pariam, in qua jam ante Columbus quoque fuerat, pervenit, ampliusque Curtanam, atque Cinianam detexit. Deniqüe Vasco Nugnesius à Balboa, reliquis felicior extitisset, nisi naufragio præpeditus fuisset: postquam enim Isthmum qui Americam Australem à Septentrionali dividit, tenuisset, mare Pacificum detexit. Omnes vero hos supergressus Ferdinandus Cortesius opera Hieronymi ab Aguilar, per Jucatanam provinciam penetravit usque ad urbem Mexicanam, quam eodem tempore (anno scil. 1513.) expugnavit, quo Oran in Africa à Cardinale Ximenio Hispaniæ Prorege expugnata fuit. Anno vero 1521. demum, Cortesius Carolo V. tantæ victoriæ primitias obtulit, qui per Castellanorum seditiones beata illa possessione paulo post excidisset, nisi tempestive missis eo judicibus, occurrisset. Anno 1519. Ferdinandus Magellanus, Lusitanus, patriæ suæ iratus, promisit Carolo V. se compendiario itinere per Occidentem ad Orientem & Moluccas Insulas perventurum esse: cæterum

cæterum ex quinque navibus, una solum cui Victoriæ nomen est inditum, reversa, errores varios referre solum scivit, & ostendere fretum, (hodie Magellanum dicitur) quod Australem terram ab Americæ Septentrionalis continenti divellit. Anno 1535. idem Carolus V. maximam adornavit classem, eaque in Africam trajecit; verum frustra tentata Algeria, quæ aliquamdiu obsessa fuerat, navibusque tempestate disjectis & perditis, cum paucis in Europam rediit. Nec magis arrisit fortuna navalis Philippo II. Caroli V. filio; (eum in mari infelicem fuisse, à pluribus annotatum fuit) namque, anno 1553. Andreas Auria Præfectus Hispanicæ classis, majorem ejus partem perdidit, dum Dragutum famosum Turcarum piratam persequitur. Præ cæteris vero jacturam maximam fecit anno 1588. perdita potentissima illa classe, quæ sub duce Medinæ Sidoniæ in Angliam destinata erat: & si excipias prælium navale, quod Philippi ejusdem auspiciis anno 1582. ad Terceras insulas à Philippo Strozzio commissum est, contra Antonii Lusitaniæ Regis naves, nihil memorabile sub Philippo II. in mari ab Hispanis est perpetratum. Felicior fuit ejus filius, idemque successor Philippus III. namque anno 1608. sub Petro Acune Belgas Terenate & Tidora, Moluccarum Insulis repulit, victisque infra Guletam Turcicis piratis,

corum-

regiones detexere. Et quidem Vincentius & Arias Pinzonii mare dulce, item Maragno, Orillanam, Chianam, Payiamque. Americus Vespucius dum Moluccas per Occidentem petit, istud maxime profecit, quod quartam, eamque maximam orbis partem de suo nomine Americam vocavit. Petrus Aloisus, cognomento Niger, ad Pariam, in qua jam ante Columbus quoque fuerat, pervenit, ampliusque Curtanam, atque Cinianam detexit. Denique Vasco Nugnesius à Balboa, reliquis felicior extitisset, nisi naufragio præpeditus fuisset: postquam enim Isthmum qui Americam Australem à Septentrionali dividit, tenuisset, mare Pacificum detexit. Omnes vero hos supergressus Ferdinandus Cortesius opera Hieronymi ab Aguilar, per Jucatanam provinciam penetravit usque ad urbem Mexicanam, quam eodem tempore (anno scil. 1513.) expugnavit, quo Oran in Africa à Cardinale Ximenio Hispaniæ Prorege expugnata fuit. Anno vero 1521. demum, Cortesius Carolo V. tantæ victoriæ primitias obtulit, qui per Castellanorum seditiones beata illa possessione paulo post excidisset, nisi tempestive missis eo judicibus, occurrisset. Anno 1519. Ferdinandus Magellanus, Lusitanus, patriæ suæ iratus, promisit Carolo V. se compendiario itinere per Occidentem ad Orientem & Moluccas Insulas perventurum esse: cæterum

cæterum ex quinque navibus, una ſolum cui Victoriæ nomen eſt inditum, reverſa, errores varios referre ſolum ſcivit, & oſtendere fretum, (hodie Magellanum dicitur) quod Auſtralem terram ab Americæ Septentrionalis continenti divellit. Anno 1535. idem Carolus V. maximam adornavit claſſem, eaque in Africam trajecit; verum fruſtra tentata Algeria, quæ aliquamdiu obſeſſa fuerat, navibuſque tempeſtate disjectis & perditis, cum paucis in Europam rediit. Nec magis arriſit fortuna navalis Philippo II. Caroli V. filio; (eum in mari infelicem fuiſſe, à pluribus annotatum fuit) namque, anno 1553. Andreas Auria Præfectus Hiſpanicæ claſſis, majorem ejus partem perdidit, dum Dragutum famoſum Turcarum piratam perſequitur. Præ cæteris vero jacturam maximam fecit anno 1588. perdita potentiſſima illa claſſe, quæ ſub duce Medinæ Sidoniæ in Angliam deſtinata erat: & ſi excipias prælium navale, quod Philippi ejuſdem auſpiciis anno 1582. ad Terceras inſulas à Philippo Strozzio commiſſum eſt, contra Antonii Luſitaniæ Regis naves, nihil memorabile ſub Philippo II. in mari ab Hiſpanis eſt perpetratum. Felicior fuit ejus filius, idemque ſucceſſor Philippus III. namque anno 1608. ſub Petro Acune Belgas Tcrenate & Tidora, Moluccarum Inſulis repulit, victiſque infra Guletam Turcicis piratis, eorum-

eorumque XXXIII. navibus concrematis, ne quid imperio suo grave esset, cum federatis Belgis in XII. annos inducias pactus fuit. Philippi III. cognominis filius, ceu Philippus IV. quasi sub avi sui sidere natus esset, navalem coronam diademati suo hactenus non conjunxit; multoties grandibus cladibus in mari affectus, quamvis ipsi plurimæ insulæ, portusque maritimi subsint, suisque Cantabris rerum nauticarum peritissimis, multoties Flandros sociaverit. Maximum vero damnum percepit anno 1628. quum in sinu *Matanza*, valida, quæ argentum vehebat, classe exueretur; atque iterum anno 1639. quum circa Angliam, classem, in qua per plures annos instruenda, occupatus fuerat, amitteret, Belgis federatis eandem funditus delentibus.

CAPUT XI.

Quæ Lusitani, ceu Portugalli mari præclare gesserint.

SUccedunt Lusitani, sive Portugalli, quos ab Hispanis ideo sejungimus, quod antequam Castellano jugo subessent, duas jam orbis partes Asiam, atque Africam implevissent. Ut vero inde incipiamus, Alphonsus Henricus, primus Portugalliæ Rex, (filius is fuit Henrici Lotharingi Gallici sanguinis, cui

Alphon-

Alphonsus III. Castellæ Rex,quod Saracenos Hispania ejecisset, filiam Teresam uxorem, & Lusitaniam dotis nomine, dedit) anno 1147. præter multas urbes maritimas, quas Mauris eripuit, Ulyssiponem quoque occupavit, regnoque suo caput constituit. Filius ejus, & regni heres Sanxius, XLIX. navibus à Philippo Flandriæ Comite in auxilium acceptis, Sylvam expugnavit. Inde quies usque ad Regem Johannem I. qui classis subsidio cum in Africam trajecisset, anno 1419. Septam Mauritaniæ civitatem expugnavit. A filio ejus Henrico Infante anno sequenti detecta insula Madera, simulque à Lusitanis circumnavigari Africa cœpit, qua parte Oceano Atlantico adjacet. Deinde sub Johanne II. Æthiopia detecta fuit, etiam ab ea parte, qua ante Cosmographi eam inaccessam esse existimabant. Joanni II. successit Emanuel, eoque regnante anno scil. 1497. totus Oriens cœpit detegi, & Indiæ cognosci. Ejus auspiciis feliciter hoc præstitit, eodem & subsequentibus duobus annis Vasquez à Gama, qui præter innumeras fere regiones & urbes Orientales detectas, penetravit usque in sinum Persicum & Arabicum. Gamæ successit Petrus Alvaresius, qui anno 1494. nontantum Calecutium adiit, sed primus quoque Brasiliæ oram detexit, tempestate ad eam delatus. Postea sub eodem, anno 1500. classis iterum

data fuit Vasquesio à Gama, qui in hac expeditione non solum detexit insulam S. Helenæ, sed passim quoque Lusitanorum vires in Africa firmavit. Anno 1506. alia classis data est Laurentio Almeidæ, ab eoque detecta Madagascar, quæ hodie vocatur Insula S. Laurentii, item insula Zeilàn, & insulæ Maldivæ. Postea usque ad annum 1529. Castellani, seu Hispani atque Lusitani inter se ipsos varie contenderunt, propter ea quæ in utraque India possidebant, editis utrimque propter prædam illustribus documentis navalis peritiæ. quæ omnia hic referre longum foret. Ejecti vero fuissent Moluccarum possessione, conspirantibus non solum Hispanis, verum etiam indigenis contra illos, nisi Carolus V. aliis bellis intentus, anno 1528. jus quod circa Orientalem Indiam prætexebat, Joanni III. Lusitaniæ regi, acceptis 111. M. D. aureis, cessisset. Virtus Lusitanorum admodum se in mari quoque prodidit anno 1538. contra Solimannum Magnum Turcarum Imperatorem, cum Lusitanos Cambaja ejicere laboraret. Raro enim stratagemate Nonius Cugneus Prorex non tantum succurrit iis, qui in arce Dizæ insulæ obsessi erant; sed etiam validissimam Musulmannorum classem profligavit. Potentissimi vero in mari fuerunt Lusitani, & vix quisquam iis resistere ausus fuit, quamdiu imperavit apud eos Johannes III. cæterum

rum ex quo Sebaſtianus, qui dicto Joanni ſucceſſit, temeritate propria in Africa cecidit, vel cecidiſſe vulgatum eſt, Henrico mortuo, atque Antonio, qui pro legitimo herede ſe gerebant, excluſo, Philippus II. Caſtellæ Rex regnum & potentiam eorum marinam occupavit; occupatamque tranſmiſit ad poſteros; donec anno 1640. de veterum regum Luſitanorum familia reſurgeret Comes Bragancius, qui unanimi ſubditorum conſenſu electus in regem, ſub Joannis IV. nomine, antiquam Luſitanorum in mari exiſtimationem, in integrum reſtituere laborat; futurus exteris longe acceptior, ſi aut non violaſſet per ſuos fidem federatis Belgis datam, aut, qui eam contra juramentum & ſolennia pacta temerare inſtituerant, ſerio atque ex meritis caſtigaſſet.

CAPUT XII.

Quæ à Danis in mari præclare geſta ſint.

PORTUGALLOS excipiunt Dani, quorum potentia marina jam olim tam formidabilis fuit in mari Orientali, ut ab eorum arbitrio omnes mercatores, per mare illud commeare ſoliti, pependerint. Omiſſis vero antiquioribus Daniæ regibus, initium facimus ab Haraldo

raldo III. qui teste Krantz. lib. 1. Norveg. sub Ubbone Frisio classis præfecto, totam Vandalorum oram cædibus implevit, Rhenique, qua cum Oceano commiscetur, fluente transcurso, Humbroto Britanniæ Rege navali prælio superato, Aquitaniaque devastata, totum Oceanum à Garumnæ ostio usque ad Cimbricam Chersonesum suo imperio subjecit. Sueno II. qui & Suenotho vocatur, (testis Crantz. lib. 3. & Meursius lib. 3. Hist. Dan.) postquam Adelredum regem Britannia expulisset, præfectum maris constituit Wethemannum, qui Vandalos piratas insequeretur, ea lege, uti navibus ubique locorum repertis, dominis invitis quoque, pro libitu uteretur, modo de præda, certa quæ portio, conductionis loco, dominis navium cederet. Ingenti itaque classe collecta, Wethemannus Oceanum piratis purgavit, captis eorum navibus LXXXVII. Sub Erico VI. Rege (testis est Meurs. lib. 5. Hist. Dan.) duæ Vandalorum classes profligatæ fuerunt, Amburgensis scil. & Bajana: XXX. onerariæ naves captæ. Potentiæ maritimæ, qua Dani quondam illustres præ aliis populis fuerunt, indicium præbet vox *Danegildi*, aut *Danegeldi*; sic vocabatur tributum, quod olim ab Anglis annuatim Danis solvebatur, quo immunes forent ab eorum excursionibus & expilationibus maritimis. Agnoscit ipse Cambdenus

denus Historicus Anglus Celeberrimus, in vita Reginæ Elizabethæ sic scribens: *Tributum Danegildum misello populo ad horum Danorum latrocinia reprimenda impositum, quod cujusmodi fuerit, hæc ex legibus nostris descripta indicant: Danegildi redditio propter piratas primitus statuta. Patriam enim vastantes, vastationi ejus pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam statutum est Danegeldum annuatim reddi.* Sed, sepositis his antiquioribus, ut ad recentiora accedamus, quantum Christianus V. qui ante annos paucos fato concessit, in mari valuerit, patuit maxime anno 1611. cum Suecica classis, quæ castellum Calmaris obsidione liberare moliebatur, portu pelleretur ac per pelagus dispergeretur; quam Suecorum cladem non solum dicti castelli traditio secuta fuit, verum etiam occupatio Oeslandiæ & Borcholmiæ Insularum. Idem quoque ad negotiationes Coromandeli & Zeilanæ Collegium mercatorum instituit, ne alia hoc tempore commemoremus. Quoniam vero jam olim plurimum Dani in mari potuerunt, tertium dignitatis locum à Rege regni Ammiralius obtinet, cujus munus est naves ædificare, veteres restaurare, & singulis annis ea ordinare, quæ ad tutandum Oceanum, & res nauticas pertinent. Habere is solet sub se alium Ammiralium, & in singulis navibus præfectum equestri genere prognatum.

tum. Hodie adhuc, valida pro regno classis excubias agit, quam auguror auspiciis Frederici IV. Regis, una cum Belgicis navibus, in ordinem brevi redacturam Anglorum insolentiam, τῆς ὅλης οἰκυμένης imperium, tanquam sibi debitum, affectantem. Annue votis è cœlo Iustissime & Clementissime Deus!

CAPUT XIII.

De potentia, quam Sueci in mari habent.

POst Danos, considerandi veniunt Sueci, omissis vero antiquioribus eorum regibus, qui numerari solent ab Erico Sancto, itemque navali gloria, quæ iis cum Danis, quatenus per multos annos communes habuerunt Reges, communis est; initium facimus à Gustavo Erichsen, qui genus ducens è sanguine antiquorum Sueciæ Regum, submoto Christiano II. Daniæ rege, à quo parens ejus cum multis aliis proceribus publice capite truncatus fuerat, regnum hereditarium fecit. Ut multa vero immortali memoria dignissima ab hoc Gustavo gesta fuerunt, ita maris quoque quam diligentem curam gessit, primusque in mari Septentrionali triremibus usus fuit, Venetis artificibus conductis: idem in famoso illo portu supra civitatem Holmensem,

mensem, qui ab onagris vocatur *Elgænabben*, anno 1540. navem exstrui jussit, quæ caperet M.CCC. armatos naucleros. Avi autem sui, & reliquorum majorum, gloriam supergressus Gustavus II. cognomento Magnus, non minus de mari subigendo, quam de terra victoriis peragranda sollicitus fuit. Ut pauca modo delibemus: anno 1625. classe in Livoniam & Borussiam advectus, incredibili celeritate cuncta in suum pertraxit obsequium: namque deprædatis Livoniæ littoribus, cum classe CC. navium in Regalem Prussiam invectus, plurimas urbes Polonis subditas, & territorii Dantiscani occupavit, interque maritimas clarioris nominis, Brunsbergam, Frawenburgam, & Elbingam: ipsumque Dantiscum occupasset, nisi Poloniæ rex totis viribus accurrisset, urbemque non minus à fame quam ab hoste obsessam, libertati restituisset. Idem exemplo Christiani IV. Daniæ Regis, qui Gotemburgi ad Oceanum Cimbricum Collegium erexit ad Indiæ Orientalis commercia, simile constituit Holmiæ. Omissis reliquis, hoc memoratu dignum, quod anno 1630. cum exercitu per mare in Germaniam trajecerit, duabusque classibus ordinatis, hoc egerit, ut dum ipse foras rem gereret, domi securus esse posset, temporeque opportuno subsidia accipere, atque eum in finem majora navigia in portu Stock-

holmensi stationem habere jusserit; minora in Finlandiæ portubus adversus Moscos & Germanos præparaverit. Ab excessu hujus Regis, qui gloriosissime in prælio occubuit anno hujus seculi XXXIII. ut summa rerum devoluta fuit ad filiam ejusdem unicam, Serenissimam Christinam, sexu suo longe superiorem Reginam, sic, hoc nequaquam silentio prætereundum, quod anno 1644. ejusdem auspiciis feliciter ad insulam Femeram profligata fuerit Danorum classis. Ea moderante, ut è Suecia usque naves expediri cœperunt in Africam & speciatim in Guinæam; ita optandum omnibus modis foret, classis, qua instructum regnum, duceretur in eos, qui hoc tempore in Anglia dominatum armis tuentur; ut ut enim hoc tempore Suecis velut sociis amicisque blandiantur, simulac federatos Belgas (quod æternum Deus avertat!) libidini suæ servire coëgerint, prima eorum cura erit, occupare omnes illas maritimas urbes, quæ post tot annorum molestias ad mare Balthicum occupatæ sunt. Quantum enim hominum horum fidei atque fucatæ amicitiæ tribuendum sit, ipsis Suecis subodorari facile est circa detentionem navium, quas, qui eas expediverant, ex Guinæa reduces exspectabant.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Venetis, eorumque potentia maritima.

ANtequam ad Belgas nos convertimus, non possumus non de Venetis, Genuensibus, ac Melitensibus Equitibus, quorum trophæa navalia in historiis sunt notissima, breviter quoque agere. Quod ad Venetos, ut de iis per satyram agamus: Prima eorum virtus navalis contra Istros atque Dalmatas se prodidit, quos devictis navigiis aufugere coëgerunt. Tergestinos Catulanis aquis oppressere. Pipinum Caroli M. filium, Italiæ regem, levibus navigiis fugaverunt. Urso duce prope Tarentum contra Saracenos prospere pugnaverant, iterumque in eosdem ad Albiolam, ubi paucis annis ante Hunnos navali prælio superaverant. Tarentinos maria infestantes XXXIII. navibus, quæ à forma Hombariæ dicebantur, subegerunt. Urseolo duce insulæ oram Illyricam spectantes usque ad Drilonem amnem imperio adjunctæ fuerunt. Durante bello sacro Smyrnam occuparunt, Phœniciæ littora vastarunt, Sidonem, & Faraniam oppidum maritimum circa VIII. ostia cum Tyro & Ptolemaide receperunt, unde & plurima privilegia à Balduino Hierosolymorum Rege impetrarunt. Cele-

brem præ cæteris verò expeditionem susceperunt sub Duce Dominico Michaële, qui cc. navibus, in quibus onerariæ LXX. erant, in Saracenos, qui in obsidione Joppensi occupabantur, movit, & non tantum obsidionem eos solvere compulit; sed in reditu quoque Chium, Samum Lesbum, Andrum, atque alias Græcanici imperii insulas occupavit. Post hunc Petrus Polanus imperii regimen suscepit, qui Joanne fratre & Rainero filio classi præfectis, classem Rogerii Siciliæ Regis prope Corcyram insulam expugnavit. Sebastiano Ciano Duce, Othonis Friderici Imp. filii classis LXXV navium in Istriæ orâ victa fuit, naves XLVIII. captæ ipsaque regia triremis, ex qua Otho pugnabat, depressa. Omissis vero sexcentis aliis navalis gloriæ documentis, tum in Bello sacro, tum etiam contra Genuenses, æmulos Venetæ potentiæ, editis: illud silentio haut quaquam prætereundum, Venetos esse quasi frænum Turcicæ potentiæ, quam sæpissime maritimis præliis gravissime attriverunt; &, quanquam maximas clades in mari à multis jam annis à Turcis acceperunt, observatum tamen est, victorias hasce graves magis victoribus, quam victis fuisse. Præ cæteris vero Veneta virtus se prodidit, in famoso illo Naupactæo prælio anno 1571. & nuperrime adhuc, anno scil. 1638. quo Capella Venetarum triremium Præfectus, depressis

Tunc-

Tunetorum & Algericorum XVI. triremibus & brigantinis duabus, M.D. hostes cecidit, & captivos III. M.DC. XXXIV. qui in vinculis detinebantur, libertate donavit. Taceo de bello Cretensi, reip. quidem, quod sola illud ad decennium jam sustineat, quam gravi, cæterum tot navalibus victoriis, & tam splendidis, nec unquam interituris trophæis illustri, ut difficile quoque sit ea omnia ad digitos revocare. Hoc dixisse sufficiat, eam solam Othomannici Imperii potentiam, qua orbis non agnoscit majorem, tot per annos non modo frænasse sed & barbaros magno eorum malo docuisse, imperium ut ut vastum, & plurimis exercitibus vallatum, non solum in ordinem redigi, sed destrui quoque posse ab una gente, quæ mari duntaxat dominium obtinet. Præter alia multa, quæ hic amplius notari possent, haudquaquam prætereundum est celeberrimum Venetorum navale, ex quo quotannis innumeræ pene naves, in mare deducuntur ad bellum, mercaturam, transvectiones & præsidia. Amplius in ipsa urbe varii constituti sunt magistratus, qui omnia ad firmandam maritimam potentiam convenientissimo ordine procurant. Sic Gubernatores redituum publicorum, sumptus, tum ad alia, tum ad classes procurant. Præfecti annonæ triticeæ, frumentum, hordeum, panem secundarium,

& farinam in easdem. Præsides navales, omnia ad navalem usum necessaria provident, & stabiliunt. Purgandorum alveorum, & reficiendorum portuum cura penes ædiles est. Amplius è Patriciis solis eliguntur Triremium Præsides, qui unicuique triremi ad bellum instructæ imperant: item classis Legatus, qui imperium habet in universalem classem, & omnes triremium præfectos. Si usus sit onerariarum navium, resp. eas domi à privatis, aut apud amicos & socios conducit, illas enim in navali suo habere non solet. Nisi extrema urgeat necessitas, supremus Classis Imperator non constituitur, qui extraordinario classi, decreto Patrum datur, ea fere lege, qua olim apud Romanos dicebatur Dictator. Nullus enim apud Venetos majoris dignitatis Imperator, quam hic est, namque in Legatos, Præfectos triremium, totamque classem merum imperium exercet.

CAPUT XV.

De Repub. Genuensi, & de magno Hetruriæ Duce.

POst Venetam remp. consideranda est Genuensium resp. quæ jam olim quoque maritimo imperio & potentia illustris fuit. Ne vero distinctè commemoremus, quæ præclare

clare ab iis gesta fuerunt contra Saracenos, Pisanos, & Venetos: duo solum ex annalibus prælia navalia celebriora referemus. Prius duce Pagano Auria anno 1352. circa Peram, olim Galatim, ad Bosphori angustias depugnatum fuit, eoque captæ fuerunt Venetorum triremes xxx. Arragonum XXVII. Alterum biennio post eodem Auria duce commissum est circa Genusas, eoque classis Veneta debellata fuit, ipseque Dux Nicolaus Pisanus cum XLV. M. hostium, & vexillo D. Marci oblique inverso & ad puppim affixo, Genuam missus est; Tarento quoque urbe Adriatici sinus direpta atque incensa. Ab eo tempora tanta fuit existimatio Ligustici nominis, ut Reip. amicitiam alii populi peterent, alii emerent. Andronicus Junior, quo Andronicum avum Orientis imperio deturbaret, privatis viribus diffisus, ut auxilium à Liguribus impetraret, Insulam illis Tenedum concessit, quæ media inter Lesbum & Hellespontum sita, antiquam Trojam respicit. Apud Genuenses autem, administratio navalis diversa fuit, immutata sæpius reip. forma. Hodie tutando littori præsidia destinata sunt, in mari vero, piratis arcendis triremes VIII. quæ navibus, triremibusque privatorum additæ, numerosam semper paratamque classem conficiunt. Corsicam, Cercinamque insulas, quæ dominii Genuensium sunt, Collegium

S. Georgii

S. Georgii (uti vulgo vocatur) terra ſimul & mari à Turcarum, Barbarorumque direptionibus & deprædationibus ſervat. Non pretereunda quoque Florentina Reſp. quæ hodie ſub duce Magnæ Etruriæ acquieſcit, & per Equites S. Stephani, ſtabilitos à Coſmo Medicæo, anno 1561. longe lateque mari imperat. Ab iis anno 1608. capta claſſis Ægyptia fuit. Anno 1610. Sylvius Piccolominus Thuſciæ tum Ammiralius, Hipponam in Africa, Auguſtini patriam, intravit, & quia ſervari non poterat, incendio delevit, Biſqueram vero in eadem regione civitatem, ſupra Algeram ſitam ſolo æquavit, captis amplius IV. Turcis triremibus. Utque alia, quæ in recenti adhuc memoria ſunt, ſilentio prætereamus, magnus Etruriæ Dux Piſis arcenale munitiſſimum habet, omni apparatu maritimo repletum: unde inſtrui ſolet valida claſſis, quæ ſub imperio Equitum S. Stephani, juges adverſus Turcas, reliquoſque piratas excubias agit.

CAPUT XVI.

De Equitibus Melitenſibus, itemque de rebus præclare ab iis mari geſtis.

Ratione habita methodi, jam ante delineatæ, non poſſumus non Equitum Rhodiorum

Rhodiorum sive Melitensium meminisse, quantum enim in mari possint, magno suo malo sæpe didicerunt Turcæ. Alias Joannitæ dicuntur, annoque Christi 1104. à Balduino I. Jerosolymitano Rege instituti, voto castitatis, obedientiæ, & paupertatis se astrinxerunt. Rhodii, sive Rhodienses dici cœperunt anno 1291. quo, raro quo stratagemate Saracenos urbe atque insula Rhodo ejecerunt, magno Christianorum commodo; siquidem soli sæpe totius Othomannici imperii impetum sustinuerunt, fœliciterque eliserunt. Ex plurimis documentis pauca solummodo annotamus. Anno 1308. Orchanis Ottomannici Imperatoris LXXX. navium classem, qua Rhodo imminebat, non solum perdiderunt; sed Chium quoque in quam insulam ipse Orchanes fugerat, cæsis X. M. tenuerunt, itemque Smyrnam, quæ celebris est Joniæ civitas, & Imbrum Insulam, Turcicis præsidiis neci datis, & quinque millibus ad remos datis. Postea, anno scil. 1522. post longam obsidionem à Solimanno Imp. expugnata Rhodo, Melitam commigrarunt, quam simulac occupaverunt, cum Scendeco celebri pirata Turcico, ante Tripolim pugnaverunt, eumque omnibus, quas habebat navibus, exuerunt. Anno 1601. Equites sub Viversio suppetias venerunt Joanni Andreæ Auriæ triremium Genuensium præfecto, conjunctis-

que

que viribus Paſſavam munitiſſimum in Peloponneſo Caſtellum expugnaverunt. Anno 1604. Naupactum, hodie Lepantus eſt, occuparunt & diruerunt. Anno 1620. Cephaleniam Inſulam, & Torneſam Arcadiæ Arcem diripuerunt. Anno 1625. non ſolum Leucadem, ſive Leucadiam, aut, ut hodie vocatur, S. Mauri Inſulam, ſed & Epiri maritimum littus, populationibus, incendio, ſtrage, & ruinis impleverunt, ſub Talmeiſio Nobili Burgundo Duce. Anno 1638. ſub Charaltio claſſis præpoſito, claſſem Turcicam Triremium XXX. cum Galeacijs VII, quæ munimenta belli Imperatori ad bellum Perſicum ſubvehebat, interceperunt, atque vaſtarunt. Plura, quæ de Melitenſibus, hic annotari poſſent, quod in recentiori memoria ſint, repræſentare ſuperſedemus.

CAPUT XVII.

De gloria navali, qua, ſub Romanis quoque, Belgæ illuſtres fuerunt.

HActenus quidem externarum gentium res, mari geſtas conſideravimus, convertimus deinceps nos ad domeſtica, circa quæ omnia diſtincte ſic conſiderabimus, ut pariter ex vero, citra ullius aut amorem, aut odium annotaturi ſimus. Vulgo quidem perſua-

persuasum est, & ab exteris quoque scriptoribus relatum, Belgas, postquam tumultibus omnia apud eos misceri cœpissent, mare primum ingressos fuisse, & quantum in eo possent, expertos esse. Cæterum, ut libenter dederim, ab eo tempore, virtutem eorum, præ cæteris sese exeruisse, atque intra breve temporis spatium, quam plurima navalis victoriæ trophæa promeritam fuisse; non tamen eo tempore primitus concepta fuit, sed multis seculis ante, pro re nata sese exeruerat, suique illustria experimenta sumpserat. Et, ut ab antiquissimis temporibus incipiamus, C. Cornelium Tacitum, primum ad suffragium hic vocare lubet ex lib. 2. Ann. cap. 6. ubi agens de Germanici expeditione, hæc inter alia habet: *Silius & Antejus, & Cacina fabricandæ classi præponuntur. Mille naves sufficere visæ, properatæque aliæ breves, angusta puppi proraque & lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam plana carina, ut sine noxa siderent: plures appositis utrinque gubernaculis, converso ut repente remigio, hinc vel illinc adpellerent: multæ pontibus stratæ, super quas tormenta veherentur, simul apta ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citæ remis, augebantur alacritatemilitum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum in quam convenirent prædicta, ob faciles adpulsus, accipiendisque copiis, & transmittendum ad bellum opportuna.* Prætulit vero Germanicus Batavorum insulam

insulam aliis stationibus, non solum propter opportunitatem, sed etiam, quod ipsi Batavi in undis concepti & nati, præ cæteris navalis rei scientiam habere viderentur, atque ad hanc expeditionem maxime idonei. Accedebat quod præ aliis labori & sobrietati assueti, omnes molestias superare posse viderentur. Sic enim Tacit. libel. de Morib. Germ. de illis & Caninefatibus: *A parvulis duritiei ac labori studebant. Pellibus aut sagis singulis amicti, magna corporis parte nuda, majorque pars victus eorum in lacte, & caseo, & carne, potus ex hordeo aut frumento.* Movit quoque Germanicum natandi peritia populo huic propria. Exemplum unum attulisse suffecerit ex Tacit. qui Batavos lib. 4. Hist. signans, sic inter alia: *Erat & domi eques præcipuo nandi studio: arma equosque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere.* Ipsi vero Batavi probati adeo Romanis Principibus fuerunt, ut jam olim ipse Octavius Augustus lateris sui custodes ex iis conscripserit. Fidem facit Dion Cassius testis locupletissimus, lib. 55. per interpretem suum sic loquens: *Corporis autem custodes sunt decem millia, in decem divisi partes, & urbis præsidium sex millia, quadrifariam hi divisi, tum Equites alienigenæ extraordinarii, qui Batavorum à Batavia, quæ in Rheno est, insula, quia equitandi arte pollent, nomen habent. Eorum sicut & evocatorum summam dicere nequeo. Uti illis cæpit,* (Augustus)

gustus) *quum veteranos patris contra Antonium iterum convocaret, servavitque deinceps.* Præ cæteris vero virtus eorum se prodidit, cum infensi Vitellii vitiis, duce Claudio Civili contra Romanorum tyrannidem, arma pro libertate sumerent. Tunc enim capta stationaria Romanorum classis, trucidati Centuriones & Tribuni cum milite, expugnata castra, deletæ cohortes; pulsum Batavorum insula Romanorum nomen. Dolo quidem & ex insidiis Romanorum classis oppressa fuit, lubet tamen exhibere Taciti verba, quod ex iis constet Batavis Romanos, ut classiariis usos fuisse. Verba Scriptoris occurrunt lib. 4. Hist. cap. 16. *Eadem,* inquit, *navibus perfidia. Pars remigum è Batavis, tanquam imperita officia nautarum, propugnatorumque impediebant. Mox contratendere & puppes hostili ripæ objicere. ad postremum gubernatorem centurionesque, nisi eadem volentes, trucidant. donec universa quatuor & viginti navium classis transfugeret; aut caperetur.* Quicquid alii existiment, Batavorum eques ab Augusto usque, quod nulla flumina ejus impetum sistere possent, pedesque quod nandi peritissimus esset, præcipue æstimatus non solum fuit, sed in eo maximum ad victoriam momentum, ut plurimis, ex solo Tacito locis adductis, ostendi posset, nisi alii occupassent. Tacito subjicio Plutarchum, qui in Othone agens de pugna ad Bedriacum,

depugnata

depugnata inter Vitellianos, & Othonianos, sic per interpretem suum loquitur: *In gladiatores qui peritia, atque animo ad congrediendum habebantur insignes, invexit vanis Alphenus Batavos. Hi equitum Germanorum sunt præstantissimi, insulam Rheni incolentes.* Similiter Ammianus Marcellinus lib. 16. Juliani Cæsaris, sub Constantio Imp. res in Gallia gestas perscribens, *formidabilem Batavorum* in Argentoratensi pugna memorat *manum* Item lib. 20. *Batava auxilia* cum eodem Juliano in Britanniam transiisse refert. Zozimi testimonium, quod hic quoque exhiberi posset, infra commodius repræsentabimus.

CAPUT XVIII.

De rebus à Belgis in mari gestis usque ad Carolum V. Imperatorem.

OMissis vero his antiquioribus, ut ad recentiora nos convertamus: primo silentio præteriri non potest præclara illa opera, quam aliquando universo Christiano orbi sub auspiciis Friderici Barbarossæ anno scil. 1219. Harlemi cives exhibuerunt; cum enim Pelusium (hodie Damiatam vocant, estque inclyta Ægypti urbs) à Saracenis teneretur, portusque transversa catena ferrea inter duas validas turres munitus esset, Harlemæi, qui in

ea

ea expeditione militabant, obſervato vento ſecundo atque opportuno portum ſubierunt, diffractaque catena eum aperuerunt, atque claſſi Chriſtianæ rei bene gerendæ occaſionem ſuppeditarunt: non ſoli autem Harlemenſes, ſed multi alii in hanc expeditionem ex Belgis nomen dederunt: teſtis eſt Matthæus Pariſienſis, cujus hæc verba occurrunt ad anni M.CC.XVII. menſem Majum: *Circa dies iſtos facta eſt motio maxima ex Colonienſium & Friſiorum provinciis virorum & bellatorum, qui à principio prædicationis crucis poſt generale Concilium* (intelligit Concilium Lateranenſe II.) *trecentas naves magno ſtudio ingreſſi ſunt, ut vota ſuæ peregrinationis exſolverent crucifixo.* & poſt paulo: *Claſſe diviſa pars apud Cajetam & Tunetum hyemavit, & pars altera duos habens Capitaneos, Wilhelmum ſcil. Hollandiæ ducem, & Comitem de VVies Georgium, Alcairam obſedit.* Quo in loco cum Friſiorum mentio occurrat, non illud prætereundum (quemadmodum in Friſiorum annalibus annotatum fuit.) Richoldum II. Friſiæ Regem jam anno 470. Haraldum Danum, qui Friſiæ oram infeſtabat, non ſolum feliciter profligaſſe, ſed fugientem quoque per Harconem virum ſtrenuum, & bello apud Imperatorem Conſtantinopolitanum & Theodoricum Italiæ Regem exercitatum, claſſe feliciter inſecutum fuiſſe, Friſiamque

Danic-

Danicis spoliis replevisse. Iidem alias (uti ex Historiis patet) feliciter quoque Danorum impetus contuderunt, eorumque classes dissipârunt, ac tantopere se probarunt Carolo Magno Galliarum Regi, ut non tantum in libertatem ab eo sint asserti, sed etiam in Diplomate eum in finem ab eo anno 802. dato, vocentur *viri strenui, agiles, & miræ audaciæ*. Ut non omnia jam olim præclare gesta vel summatim hic referamus, non possumus non tamen ex Mejeri lib. 10. Ann. Flandriæ meminisse Gulielmi Joannis II. Hollandiæ Comitis filii, inter Hollandiæ enim Comites præ aliis navali victoria claruit, quam de Guidone Dampiero ante Zirizæam reportavit, in qua Flandrorum X. M. cæcidit, innûmeros cum navibus cepit, mox & eosdem hostes in insula Cadsant profligavit. Victus demum ad Veram Walachriæ oppidum, dein & ante urbem Zirizæam, postremo in littore, Duvelandiæ, in qua maritima pugna, inter Gulielmi duces præcipuos, captus est Guido Episcopus Trajectensis. Cæterum Gulielmus classe tandem reparata, armataque milite Gallo, Frisio, Hollando, & Hannonio, cum ei Reinerum Grimaldum Genuensem præfecisset, ante eandem Zirizæam Guidonis Dampierii classem adortus est, atque in alterum diem retracta pugna, quam nox interruperat & æstus maris, harpagonibus naves

suas

ſuas connexuit, ne incertæ fluctuarent, & ſine ordine, reciprocante pelago: harpagones, cum è ferro eſſent, ab hoſte rumpi non potuerunt. Contra Flandrica claſſis vinculis & funibus vincta fuit, qui, ut primum de nocte excisi ſunt ab Hollandis, Oceani creſcentis fluctibus claſſis allevata, concuſſa, & divulſa eſt, uſque adeo ut victoria redierit ad Gulielmum, qui non tam ea lætus fuit, quam potiſſimum ipſo Comite Guidone capto. Ante hunc Grimaldum, peregrinum hominem, alium Hollandiæ Ammiralium invenire non potui: quod imputarim incuriæ Scriptorum, veroſimile enim conſtitutum fuiſſe, etiamſi nulla illius memoria extet. Sub Burgundis Principibus vero, maxime ſub Philippo Bono Hollandorum & Zelandórum virtus æſtimari in mari cœpit. Sic enim Mejerus lib. 16. Hiſt. Flandr. ad annum 1439. *Hollandi*, inquit, *duce Henrico Domino Kerienſi, junctis ſibi exulibus, latronibus, & homicidis grandi numero piraticam exercent. Mercatores Hiſpanos, maximeque Orientales Flandriam petentes deprædantur, eorumque naves apud Sluſam, Heys, Blanckenbergam, & Oſtendam invadunt. In feriis vero divi Matthiæ Apoſtoli Cadſant inſulam aggreſſi, omnibus, pene bonis incolas ſpoliarunt. Habebant tunc Hollandi bellum cum Orientalibus, hoc eſt, civitatibus Hamburgo, Luneburgo, VViſmer, & Roſtoc, quod totum tenuit triennium,*

nium, vincentibus ſæpe Hollandis, atque iterum eodem lib. ad annum 1441. *Concordia,* dicit, *quædam inita apud Coppenhaven inter Hollandos & Orientales, qui ſunt Lubecenſes, Hamburgenſes, Luneburgenſeſque cum aliis civitatibus, pactæque induciæ in annos duodecim. Ceperant Hollandi hoc bello totam claſſem Orientalium ſale onuſtam, redeuntemque ex Baja, teſte CranZio lib.* 11. *cap.* 29. Idem lib. 17. ad annum 1471. referens quomodo Carolus Audax ſub jam nominato Henrico Borſalio Veriæ Domino claſſem XXIV. navium expedierit adverſus Comitem Warwicenſem Gallorum Regis induſtrii piraticam exercentem, ſic inter alia dicit: *Tandem* XVII. *Kal. Iulias ſolvit noſtra claßis, ex Flandria, Hollandia, & Zelandia adunata, petitque Normandiæ littora, & hoſtium latrocinia coërcet. Sed VVarvicus naves ſuas conſtituit ubique in portubus & locis tutis, nec ad manus auſus eſt venire aut prodire in apertum mare.* Hæc eo fine ex ipſo Mejero, Hiſtorico probato adducere volui, quo conſtaret, quantam fidem mereatur Pontus Heurerus, de ulterioribus etiam temporibus, quæ ſub Philippo Pulchro Auſtriaco lib. 4. rerum Auſtriacarum *ſic loquens:* Brugenſes ac Sluzani opibus ac mercatura eo tempore florentes, re nautica vicinos omnes facile ſuperabant, inprimis Zelandos, Hollandoſque navium multitudine, navigandique audacia præce-

præcedebant. Raro enim hoc tempore Hollandi ac Zelandi in Hiſpaniam, ſed hi, quemadmodum & Itali ad eos, præcipueque Brugas, indies veniebant. Hollandi vero inter Angliam Scotiamque tentare ad occidentem & ſeptentrionem maria auſi nondum fuerant, nec tam audacter Amſterodamii, Enchuſii, eorumque vicini (inteſtinis tantum ſeditionibus, iiſque continuis dediti, ac proinde Friſiæ Saxoniæque tantum maritima legere aſſueti) ad Orientem vela converterant, Cimbricam Cherſoneſum, Danos, Gothos, Suecos, Iſlandos, Nortwegios, Prutenos, Moſchos ex auditu tantum noverant, halecum capturam plane ignorabant, majores aſellos (cabbeljau vocant) in proprium tantum uſum leviter ſaliebant, aut aëre ventoque ſiccabant, qui nunc hyeme capti ſaleque conditi, per univerſam Europam diſtribuuntur. Munitiſſimæ nunc Hollandiæ ac Zelandiæ civitates, Oppidula tantum erant piſcatorum, & obſcuriorum aliquot mercatorum receptacula. Vliſſinga vallo, muris, foſſa carebat. Middelburgi infrequens erat mercatus. Armudam eorumque portum piſcatores tantum frequentabant. Campovera, nunc Tervera, paulo ante à proceribus Borſeliis condita & clauſa fuerat. Zirizæa & Rommerſvvalia in pretio ob vetuſtatem Scaldiſque propinquitatem, erant (qui tum limites ſuos ruptis aggeribus

nondum excesserat) Belgicaque tantum mercatura contentæ visebantur. Amsterodamum, Enchusa, atque Horna, non admodum vetustæ civitates, piscatores complures, mercatores paucos atque ignobiles alebant, ob continua dissidia magis bello quam mercaturæ assuetæ. *Hæc Heuterus.* Quæ ab Heutero dicta licet abunde à Mejero refutentur, ut tamen mitius cum eo agamus, illa sic admittimus, quod eo tempore, quo per domesticos tumultus omnia in Hollandia turbata erant, singulæ illius civitates minus semetipsis uti potuerint, atque vires suas exercere; Alias certissimum est, ut plures civitates ad partes jam non vocemus, solam civitatem Amstelodamensem vires suas sic præcedentibus quoque annis prodidisse, ut quantumvis angustioribus terminis circumscripta, terrorem incutere potuerit potentissimis quoque regibus. Pauca è multis solum ut referamus, illud memoria dignissimum, quod anno 1417. Amstelodamenses pene soli contuderint grassantem dominatum Jacobæ Hollandiæ Comitissæ, quæ jam Enchusam occuparat, missa classe adversus illius classem, quam Gulielmo Brederodio commiserat. Iidem anno 1438. impatientes injuriæ, qua afficiebantur à quibusdam pyratis, ad mare Orientale præsidium invenientibus, non solum fortiter iis obviam iverunt; sed etiam eorum impetus tam prudenter

denter ac feliciter represserunt, ut jure merito navium malis scopas affixerint, in signum eos mare sulcare, quibus tum animus tum potentia esset, mare quasi everrere, atque expurgare omni maritimorum latronum colluvie. Denique nec hoc prætereundum, quod anno 1477. fidem facientibus annalibus libris, Amstelodamenses decem expeditas, omnique apparatu bellico instructissimas naves habuerint, quæ oppugnarint navim quam, Genuensium preciosissimis mercibus instructam, eaque occupata, converterint sese ad Galliam infestam tum Mariæ Caroli Audacis filiæ, simulque cohibuerint impetum, quem in Gallicis portubus instructæ naves, in Belgarum littora edere diu meditatæ fuerant. Nec reticendæ (licet ad idem tempus non pertineant) res ab aliis Hollandiæ Zelandiæque populis præclare gestæ. Anno 1641. sex exiguæ naves ab Hornanis & Enckhusanis expeditæ, circa Norvegiam tres ingentes naves, in quibus erant 450. viri armati, pertinentes ad maris Balthici accolas, expugnarunt, capto eorum præfecto *Petro Brant.* quæ victoria magnum momentum attulit ad pacem, paulo post intercedente Daniæ rege, inter Belgas, Borussos, Livonos, Luneburgenses, & Balthici maris incolas initam. Anno jam dicto 1477. Hornanæ, Enckhusanæ, & Zelandicæ naves junctæ Amstelodamensi classi, quæ, ut

 dictum

dictum, adversus Gallos præclare rem gesserant, portum Dieppensem obsederunt, sic ut Gallicana classis non fuerit ausa in altum descendere.

CAPUT XIX.

De iis, quæ à Belgis in mari gesta sunt, sub Carolo V. Imp. & filio ejus Philippo II. usque ad fatales Belgii motus.

QUo vero progrediamur ulterius ad tempora Caroli V. Maximiliani Imper. nepotis, Philippi autem Pulchri filii; is usus quidem fuit Belgarum, maxime Batavorum & Zelandorum, potentia, ita tamen ut noluerit vere eam æstimare aut ullo loco censere. Usus autem (ut de eo primo) illorum est opera contra Gallos iis vicinos, nec infeliciter: siquidem anno 1543. mense Majo, Batavi & Zelandi cum decem armatis onerariis navibus in portum Burdigalensem invecti, septendecim naves, vino aliisque mercibus oneratas, atque in Normanniam tendentes, ceperunt, & in Zelandiam abduxerunt, cæteris omnibus incensis, & ex continenti non exigua in naves præda avecta. Præ cæteris vero anno 1555. illustri documento ostenderunt, quam ægre in mari se vinci patiantur: quod quia destincte relatum est à Ponto Heutero

tero sub finem lib. 13. Austr. rer. non pigebit *ejus verba hic exhibere:* Pugnatum est Augusto mense mari inter Belgas & Francos. Belgæ enim cum viginti quatuor Hulcis (ingentes sunt onerariæ) ex Hispania cum mercibus domum tendentes, à viginti sex Francorum armatis navigiis, Dieppæ rebus omnibus necessariis instructis, medio mari invaduntur. Cum diu ultro citroque tormentis, summam nacti maris tranquillitatem, cum multum diuque se lacerassent, tandem injectis harpagonibus, mancisque ferreis, cominus, quod unicum Franci, militum numero longe superiores quærebant, congrediuntur. Erant ab utraque parte electi, sed numero impares viri, qui summo animorum ardore æquo diu Marte rem gerebant. Sed quod Franci navium agilitate gravissimas Belgarum onerarias facile circumvenirent, opprimerentque, tandem de rei summa Belgæ desperantes, conjecto in proprium pulverem tormentarium igne, naves, harpagonibus inter se connexas incendunt, se, Francosque communi morte extinguentes. Paucæ confractis harpagonibus liberatæ, flammæ se subducentes, laceræ in Hollandiam rediere. Prætoriæ ab utraque parte cum Ducibus, omnibusque qui intus erant, periere. Superstites Franci quinque ambustas Belgarum naves, hominibus mercibusque omnibus vacuas, Dieppam in

signum victoriæ perduxere. Studio enim Hispani,aurum, argentum,ac merces omnes, ne iis Franci potirentur, in mare projecerant, pugnantesque aut incendio interierant. *Hæc ille.* Cæteroquin Carolus V. uti erat providus, & de firmanda dominatione sua admodum sollicitus, quantum in se hoc egit, uti Belgæ, maxime Hollandi & Zelandi, inter terminos suos manerent, nec agnoscerent eas vires, quas in mari promere possent. Eoque cum alteram expeditionem in Africam moliretur, & quidam ex consiliariis authores ei essent, ut Zelandis & Hollandis præ aliis nationibus uteretur, rejecit illud consilium; addendo non debere eos per experimentum vires suas cognoscere. Quemadmodum hoc, ut ab ipso Principe dictum, in quadam ad amicum epistola, multis annis post retulit Viglius Præses. Ideoque, quod tamen eo tempore maxime erat necessarium, cum Gallicum bellum ferveret, ordinariam nullam classem in Belgio habuit idem Carolus, aut curam gessit eorum, quæ urgente necessitate classi extraordinariæ servire possent. Gnarus siquidem erat sagacissimus Imperator, omnia eum posse, qui in mari plurimum potest, Belgasque, facili negotio excutere posse lenius etiam illud jugum, cui eos subjecerat, si semel experimentum suæ potentiæ sumpsissent, cognoscerentque mari claustra

sese

ſeſe injicere poſſe, ſi aliquando per occaſionem ſe totis uti poſſent. Accedebat & alia ſollicitudo, orbis Americanus recenter ſubactus, à Belgis adiri potuiſſet, ſi ſciviſſent ſe ſufficere quibuſcunque negotiis mari expediundis; eoque variis etiam interdictis, nominatim anno 1542. & 1546. prohibiti ſunt in alterutram Indiam excurrere. Quod enim Belgarum rei faciendæ ſtudioſorum ingenium ſit, uſu Carolus didicerat: Eventuſque docuit hoc ſtudio Hollandos maxime & Zelandos incenſos, totum terrarum orbem etiam hodie percurrere. ut non ſine ratione dictum ſit à Famiano Strada Dec. 1. lib. 1. *Quæ vero ignota marium littora, quaſve deſinentis mundi oras ſcrutata non eſt Belgarum Nautica? Nimirum quanto illos natura intra fines terræ contractiores incluſit: tanto ampliores ipſi ſibi aperuere. Oceani campos, quos ſubigerent, incolerentque, Belgii velut pomœria prolatantes.*

CAPUT XX.

De Belgarum rebus geſtis in mari ab initio motuum Belgicorum, uſque ad bellum Anglicanum.

PRæ cæteris vero Batavorum & Zelandorum virtus per mare longe lateque ſe exeruit, poſtquam Philippus II. Hiſpaniarum

Rex avitæ libertati Belgarum insidiari *cœpit*, atque jugulum eorum petere, qui capita sua pro asserendis privilegiis sacrare parati erant. Pulsis enim in exilium iis, qui præ aliis pertinaces bonæ causæ patroni erant, aliquandiu inter eos consultatum fuit, qua ratione tum postliminio restitui possent, tum succurrere patriæ sub Albani Ducis tyrannide ingemiscenti: quod vero prior Principis Auraici expeditio terrestris suo destituta esset successu, maris fortunam experiri stetit sententia, parareque quam plurimos equos ligneos. Ex re est hac de re audire Famianum Stradam Jesuitam, *qui ita lib.* VII. Cœptum est à Batavico mari bellum: quasi jam tum vires suas præsenserint, & qua parte dominaturi aliquando essent, principio intellexerint: Et sane quum in eam rebellionem intenderint, attentaverintque sæpenumero Gheusi, tum qui in urbe degentes, urbanique dicti: tum qui saltus obsedere, ac silvestres nominati; soli demum aquatiles (sic enim & maritimi quoque anseres vulgo appellati sunt) felici rem audacia confecere. Horum dux aquatilium Gheusiorum fuit Gulielmus Comes à Marcha Lumæi Dominus, odium in Albanum professus depictis in vexillo decem monetis, ad decimi nummi memoriam invidiamque militibus inferendam. Commilitones fuere primi: Gulielmus Blosius Treslongus, Lancelottus

celottus nothus Brederodii filius, Bartholomæus Entesius, Senojus, atque complures. *Hæc Strada.* Ut vero ad Argonautas Batavos redeamus, postquam multum diuque jactati essent, jussuque Angliæ reginæ, ad quam Albani Legatus questum venerat, Angliæ portubus excedere cogerentur, frustraque Enchusam petiissent, ab adverso vento ad Insulam Vornensem delati fuerunt. Est in ea unicum oppidum Briela, quod illi, capto in arena consilio, tentandum sibi sumunt. Atque excitato confestim ad portam australem incendio, & ad illud restinguendum, civibus undique concurrentibus, portam Borealem occuparunt, oppidoque potiti fuerunt. Accidit hoc anno 1572. simulque via ad libertatem, qua federatæ provinciæ adhuc hodie per Dei gratiam gaudent, strata fuit. Brielam secuta est mox Vlissingæ & Enchusæ defectio: & paulo post exemplum earum imitata sunt reliqua Borealis Hollandiæ oppida: *Horna, Alcmaria, Edamum, & Medenblicum.* Quod cum perlatum esset ad Australes Hollandos, etiam ipsi, & in his Dordracenses, Goudani, & Leidenses, cæterique se reliquis associavere, atque Principi Auraico, ut præsidi Hollandiæ sacramentum dixere, sola Schoonhovia & Amstelodamo exceptis. Incredibile vero quam exilis initio fuerit potentia horum aquaticorum Geusiorum (sic enim per contemptum

viri hi fortissimi vocabantur) eorum plerique Embda profugi (quâ non minus per instigationes Hispanorum proscripti erant, quam ex Anglia) nudi, inermes, omniumque rerum indigi duas naves conduxerant, iis transfretaturi in Angliam, ubi existimabant adhuc se delitescere posse; cumque consilii inopes per mare oberrarent, prope Aemlandiam incidunt in navim majorem, quam desperabundi invadentes, inveniunt varia in ea arma, quæ, ut valde opportuna erant, sic eam omnes conscenderunt, dimissis quas conduxerant naviculis, atque Angliam versus cursum direxerunt; appropinquantes autem Tamisis ostio, socios itidem inde proscriptos cum paucis navibus in anchoris stare vident, iisque se jungentes, nomen simul dant in hanc expeditionem: cui Deus æternum à nobis celebrandus sic benedixit, ut ostenderit se humanis deliberationibus præsidere, atque contra se non valere ullum consilium, ne quidem Albani Ducis, qui pridie ante quam audiret de Brilæ occupatione, Bruxellis septem patibula erigi jusserat, Carnificique in mandatis dederat, ut laqueorum abunde in promptu haberet, postridie multos suspendendos; quibus ut una Brila salutem attulit, ita conturbavit res Hispanorum. Ab hoc tempore tot, eaque illustrissima facinora mari à federatis Belgis sunt edita, ut difficile sit omnia ea enumerare. Ex

multis

multis pauca modo proponemus. Anno 1572. Clasſis XL. navium quæ ducem Medinæ Sidoniæ cum lecta militum manu in Belgium erat deportatura, tota pene diruta eſt, bis mille Hiſpanis aut ferro cæſis, aut Neptuno conſecratis. Eodem anno 20. Portugallicæ naves omnis generis mercibus repletæ à Vliſsinganis, interceptæ maximo iis ſubſidio fuerunt, in tolerandis ſumptibus, qui in conſcribendo milite faciendi erant. Anno 1573. ad Walachriam à Zelandis, claſsis, cui præerat Sancius de Avila, fugata eſt, interceptis ſex illius navibus. Anno eodem ſimiliter claſsis, quam Amſterodami inſtruxerat Comes de Boſſu Gubernator Hollandiæ, à longe minori numero navium per federatos Hollandos inſtructarum, feliciter diſsipata fuit, captis, aut ſubmerſis pleriſque navibus, & inter eas ipſa navi prætoria, quæ odioſum nomen Inquiſitionis ferebat, & ipſum Boſſuvium Comitem propugnatorem nacta erat, qui ex pacto cum paucis ex ſuis cuſtodiæ mandatus, uſque ad Gandavenſem pacificationem in ea detentus fuit. Eodem anno Zelandiæ Amiralius, ſub tormentis Caſtelli Rammekens, viginti & amplius naves Biſcajenſes milite Hiſpano repletas, incendit, Herculeam ſic ſupergreſſus audaciam ſingulari Dei Gratia. Anno 1574. regia claſsis, à Ludovico Requeſenio ſub Glimeſio & Julino Romero contra Zelandos in-

instructa, ad Romerswaliam pari ratione. Zelandorum virtute perdita fuit, plerisque navibus aut captis, aut submersis, reliquis dissipatis, Hispanisque amplius mille lethodatis. Eodem anno Leida Dei & classis subsidio, aqua marina per ruptos aggeres admissa, feliciter obsidioni est exempta, multis Hispanorum millibus interfectis, omnibusque eorum propugnaculis & castellis dirutis. Hæ expeditiones maritimæ maximam existimationem non tantum Hollandis ac Zelandis pepererunt, verum etiam summum terrorem Hispanis incusserunt, qui, uti testis est Meteran lib. 4. Ammiralium Zelandicum haud aliter atque diabolum metuerunt, postquam *Assabres* (sic lingua Biscajensi minores naviculæ vocantur) prope castellum Rammekens incendisset, (uti modo notatum fuit) multasque Hispanorum centurias flamma atque fumo perdidisset. Enchusiani scopas malis navium suarum alligantes, ostenderunt se non degeneres nepotes esse eorum, qui soli cum vicinis suis Hornanis anno 1441. validam Oosterlingorum, quos vocant, classem ceperunt, finemque imposuerunt gravissimo illi bello, (quemadmodum antea notatum fuit) quod inter Hollandos & Oosterlingos exortum erat. Anno 1588. federatorum Belgarum classis conjuncta classi Serenissimæ Angliæ Reginæ partes suas fideliter ex-

plevit

plevit in ſubvertenda ac perdenda portentoſa illa Hiſpaniarum Regis claſſe, per integrum ſexennium in Angliæ præ cæteris perniciem, uti ſupra quoque annotatum fuit, maximis impenſis adornata: Belgarum autem diligentia, vigilantia, atque alacritate minores Parmenſis Principis naves, in portubus Flandricis ſtantes impeditæ ſunt, quo minus cum majoribus Hiſpanorum navibus conjungerentur; quæ conjunctio ſi facta fuiſſet, filo pependiſſet Anglia tota, exercituſque Parmenſis Principis ex veteranis conſcriptus, in proximam Angliam facili negotio tranſportari potuiſſet. Anno 1596. Ordinum federatorum claſſis, ſociata iterum Angliæ Reginæ navibus addicentibus auſpiciis in Hiſpaniam delata fuit, Gadibuſque expugnatis & incenſis, opima ſpolia in Belgium detulit. Anno 1599. iidem Ordines claſſem LXX. navium inſtruxerunt, in qua erant duo millia militum, & ſex millia ſociorum nauticorum, eaque tantum terrorem Hiſpanis incuſſit, ut multi, qui ad mare habitabant, pretioſiora ſua κειμήλια, ad caſtella à mari remotiora, detulerint: niſi autem vis major, tempeſtas ſcil. & epidemicus morbus inter milites & nautas graſſans, conſiliis probe coctis ſecurim injeciſſet, maximo damno Hiſpaniarum Rex à claſſe hac inſtructiſſima affectus fuiſſet. Interim inſula S. Thomæ expilata, plurimæque onera-

onerariæ naves pretiosis mercibus repletæ, à Belgis captæ, incommoda hæc magnam partem lenierunt, plusque ex præda coactum fuit, quam in ipsam classem expensum esset. Anno 1600. prid Kal. Decemb. una longa navis Ordinum, & quædam minores, intempesta nocte, ante ipsa Antverpiæ mœnia, inter tot propugnacula & infesta undiquaque tormenta, expugnarunt navim prætoriam munitissimam, atque in Zelandiam deduxerunt. Anno 1602. octo triremes, quas Fredericus Spinola, Ambrosii frater, in portum Slusanum deducturus erat, à Zelandis aut captæ, aut dirutæ fuerunt. Anno 1605. d. 12. Junii, Hispanorum classis, vehens duodecim centurias militum, exponendorum in Flandriam, prope Doveram, à paucis federatorum Ordinum navibus funditus perdita est, captis quoque compluribus navibus. Anno 1607. d. 25. Aprilis Hispanorum classis instructissima, sub ipsis tormentis Calpes (vulgo *Gibralter*) ab Ordinũ classe oppugnata, aut incensa aut diruta est, rege Hispanorum clade illa adeo consternato, ut ab eo tempore, ad pacem, aut minimum, inducias, cum federati Belgii Ordinibus contrahendas animum adjecerit. Anno 1622. mense Novembri, in Archipelago classis Hispanica, quæ numero navium fisa, oppugnare cœperat onerarias Belgarum naves, ab adjunctis præsidiariis navibus sic re-

pulsa

pulſa & contuſa fuit, ut ignominoſa fuga ſibi conſulere debuerit. Anno 1629. Petrus Heynius, poſtea amplius commemorandus, ut oſtenderet ſe dignum legatum eſſe Celſiſſimi Auraici Principis, die 18. Junii, Amiralium, ac Vice-Amiralium Dunckerkanum eo animi ardore aggreſſus eſt; ut ante mortem, quam majoris tormenti globo ictus; glorioſiſſime oppetiit, ſuis viam ad certiſſimam victoriam munierit. Anno ſubſequenti, menſe Januario, duæ naves, Ordinum Federatorum, minores licet, tres naves Dunckerkanorum invaſerunt, unamque Neptuno conſecrarunt, perforatam ante crebris tormentorum ictibus, duas vero cum captivis multis Roterodamum deduxerunt. Anno 1631. menſe Septembri minores naves cum variis militibus Antverpiæ expeditæ, cum expeditionem per Scaldim in Zelandiam meditarentur, atque aliquouſque jam progreſſæ eſſent, favente cœlo fortitudini Batavorum, aut interceptæ, aut deletæ fuerunt, magnaque captivorum copia per federatarum provinciarum carceres diſtributa eſt. Anno 1636. menſe Aprili, Prætoria Dunckerkanorum navis, cum illa, quæ ſecunda ab ea cenſebatur, & adhuc tertia alia, à Zelandorum navibus, poſt arduam atque longam pugnam expugnata fuit: ipſeque Amiralius, cum ſuo Vice-Amiralio cuſtodiæ mandatus eſt. Anno ſequenti, menſe Decembri

bri, Hispanorum Regis classis, constans viginti duabus navibus, quæ per totam æstatem ab Ordinum federatorum classe obsessa quasi fuerat, cum vi perrumpere vellet, ab Hollandiæ Vice-Ammiralio, qui cum quatuordecim solum navibus ad ostium portus excubabat, sic excepta fuit, ut duabus navibus captis, una incendio deleta, atque octo ad littus propulsis, reliquæ fuga se subducere, atque in portum redire coactæ fuerint. Anno 1639. die 17. Septemb. magna illa Hispaniarum Regis classis, in qua erant LXVII. qua majores, qua minores naves, prope Angliam ab Hollandiæ Vice-Ammiralio, cui initio XII. solum naves aderant, oppugnata ad stationem Anglicam, quæ *Duins* dicitur, ut se recolligeret cedere coacta, à centum & amplius navibus obsessa, die 21. Octob. ferro & igni magnam partem deleta est; sic, ut è tanto navium numero, præter XIII. Duinkerkanas naves, quæ initio, subsidio tenebricosæ noctis elapsæ erant, domumque redierant, vix XIV. aut XV. laceræ in Hispania cladem illam inexspectatam annunciaverint.

CAPUT

CAPUT XXI.

De India Orientalis Societate in Belgio federato, illiusque potentia.

NAvalibus Ordinum federatorum victoriis, veluti per satyram relatis, ad privatos nos convertimus, qui publica authoritate muniti, communi hosti hactenus non solum obfuerunt, mari eum excludendo, sed etiam federatis provinciis immensos auri thesauros procurarunt. Primo loco hic occurrit Societas Orientalis Indiæ, quæ in unam societatem, conferendo LXVI. auri tonnas, uti loquuntur, impetratoque ab Ordinibus Generalibus privilegio, primum coiit XX. Martii die, anno 1602. cum ab anno 1595. variæ naves, tum ab Amstelodamensibus mercatoribus, tum à Middelburgensibus expeditæ, in locis multis Hispanorum Regi admodum obfuissent, turbataque Lusitanorum negociatione, viam muniissent ad Japonensem, Moluccensem, Zeilanam, Persicam, Siamensem, Chinensem, Sumatrensem, &c. mercaturam. Cum variis quidem difficultatibus initio luctata hæc Societas fuit, cæterum Deo benedicente, Ordinibusque Generalibus in partes sæpe venientibus, jam anno 1608. ad eam potentiam pervenerat, ut Directores Societatis

cietatis declaraverint, se stipendia solvere *octo* millibus sociorum nauticorum, & octingentis; ipseque rex Hispaniarum, æmulus maximè progressuum, quos Societas quotidie faciebat, ultro duodecennales inducias ambierit, annoque 1609. liberalissime in eas consenserit. A plurimis autem annis Gubernatores tum militiæ, tum mercaturæ constituit per universam non solum Indiam, sed plerasque quoque regiones conterminas: Speciatim in *Tayowan*, Insulis *Moluccensibus*, *Iapan*, insulis *Banda*, *Amboyna*, *Siam*, finibus *Persia*, & finibus *Cormandeli*. Generalis mercaturæ, cui adjuncti aliquot consiliarii, vivit in insula Java Majori, in qua ut primitus mercaturam cœpit exercere Societas, sic locum delegit geminum, unum in regno *Iacatra*, alterum in regno *Bantam*. In hac siquidem insula multa regna, & reges sunt, quorum primarius ab indigenis vocatur *Ragia Mataran*, à nostratibus vero Imperator *Matarani*, eique paret universa propemodum insula, cum inferioribus suis regulis, excepta *Iacatra*, quæ hodie Societati subest, regno *TZereboy* intacto hactenus ob sanctimoniam, quæ ab antiquo fano ei conciliari creditur; item regno *Zonrisbaja*, quod tamen vectigale, & regione *Bantam*. Olim ei parebat quoque *Iacatra*, sed Societas animadvertens Bantamensium perfidiam, & commoditatem portus

portus in regione *Iacatra*, ibi ſtatuit urbem *Bataviam*, portumque valido caſtello muniit, ita ut anno 1629. ſuffecerint ſuſtinendæ horrendæ & longæ obſidioni. Hæc urbs ratione negotiationis, quam Societas exercet, veluti centrum eſt; omnes quippe naves, quæ in patria expediuntur, eò primum deſtinantur, quo pro arbitratu Generalis, & conſiliariorum illius ad loca convenientia ulterius ablegari poſſint: nec ulla navis, ex locis ad quæ ulterius deſtinata, immediate patriam repetit, ſed huc primo redit, quo ulteriora mandata accipiat. Præter præſidiarios milites, hic multi velut cives vivunt, qui obliti Belgii quiete aut artem manuariam exercent, aut negotiantur. Nec Belgici ſolum mercatores hic vivunt, verum etiam *Chinenſes, Iapanenſes, Sianenſes, Perſæ, Samatenſes, Succadani, Tarnatani, Iacatrani*, ceu indigenæ &c. qui omnes mercaturæ cauſſa hic libenter commorantur. Qui initio ſortis ſuæ ſymbolam contulere, jam diu illam multoties multiplicaverunt, ſinguliſque annis reditus quam maximos percipiunt. Quo vero conſtet, quantum lucri ſocii in hac ſocietate percipere conſueverint, exiguum duntaxat ſpecimen, præcedentes annos concernens, proponam. Ergo octo annis ſubſequentibus talis facta diſtributio, ut quivis redituum nomine pro quaque florenorum centuria, acceperit, quod ſequitur:

Anno

Anno 1605.	mense Julio	15. flor.	In centuriam.
Anno 1606.	mense Martio	75. flor.	
Anno 1607.	mense Julio	40. flor.	
Anno 1608.	mense Aprili	20. flor.	
Anno 1609.	mense Junio	25. flor.	
Anno 1610.	mense Augusto	50. flor.	
Anno 1613.	mense Maio	37. flor.	

Pro una ergo centuria, ratione sortis adhuc integra, usura nomine accepti 262. *floreni.* Porro uti ea, quæ ab hac Societate in mari præclare sunt gesta, sigillatim enarrare longum foret, ita de ejus potentia, per Dei gratiam hodie adhuc maxima, pluribus non agimus, cum constet eam suis opibus militem conscribere, exercitus colligere, castra figere, movere, bella sub alio Sole gerere, urbes expugnare, insulas subdere, classes instruere, ac denique terris, fretis, portubus Hispaniarum, itemque Lusitaniæ Regem, (atque ut auguramur, etiam Anglos) exuere. Illud unum hoc tempore deploramus, quod potentissima hæc Societas non tam instructa sit à navibus, atque ante annos quadraginta: ut enim omnia suadet spes lucri, maxime, quando inter privatos inita Societas; sic eadem consuluit à pluribus annis, ut paucæ solum, eæque grandiores naves, pro transportandis mercibus in usu essent.

CAPUT

CAPUT XXII.

De Indiæ Occidentalis Societate, illiusque potentia.

ORientalis Indiæ Societatem Occidentalis excipit, de qua quanquam ante duodecennales inducias varia consilia inita fuerunt; serio tamen de ea demum agi cœpit, postquam induciæ (accidit hoc anno 1621 die 9. April.) expirassent, propositoque die 3. Junii ejusdem anni 1621. ab Ordinibus Generalibus privilegio, concessaque recenti Societati Africana negotiatione, à privatis hactenus exercita, aliisque, exclusis illis Americæ & Africæ insulis, ex quibus sal peti solet; mox singularem vim ad oppugnandum Hispaniarum Regem Societas hæc convertit, eo potentior, quod non solum rex Galliarum, sed & Veneti subditis suis permisissent nomen dare in hanc Societatem, Genevatibus quoque compluribus eum in finem pecuniam suam in Belgium destinantibus. Imo ipsa rep. Veneta summam eximiam conferente. Tanta jam tum reip. hujus apud Belgas existimatio erat! Sensit hoc rex Hispaniarum, qui mox in America & Africa oppugnari cœpit. amissoque anno 1624. præcipuo portu Brasiliano (*Bahia todos los Sanctos*) maximos sumptus facere coactus est, non solum in eo recuperando, sed tuto deducendis quoque classibus,

classibus, quas quotannis auro argentoque onustas ex Indiis accipere solet; quibus utut provide prospiceret, anno tamen 1628. die 9. Septemb. ad Havanam trecentarum auri tonnarum thesaurum una cum classe amisit: quibus spoliis locupletata Societas, anno sequenti, cum hostis communis, occupata Velavia, Hollandiæ jugulo immineret, liberalissime publicæ necessitati succurrit, pecuniam & militem commodando. Postea in Brasilianam oram, Portugallis jam olim concessam, impetum suum convertit, annoque 1630. feliciter occupata Capitania Parnambuco, ut loquuntur, cum propugnaculis & portubus variis, paulatim ulterius progressa, tota regione Lusitanos ejecisset, Saccharique confectionem & mercaturam sibi ex asse vindicasset; nisi concessa his pax Punicas suggessisset artes; quibus multis circumventis, ac interverso emolumento, quod quotannis ex sacchari præparatione percipi solet, Societas hodie ex parte laborat, nec tam in castigandis fœderis violatoribus occupata, (quorum vindex certo suo tempore justissimus Deus futurus est) quam in asserendis suis reliquiis, & quidem tam difficulter, ut vixdum lacertos adhuc suos moveat. Varii varia incusant, pauci vero cogitant ob peccata nostra, & neglectum cultus Divini in regionibus barbaris (quorum vix ulla cura

gesta

gesta fuit) Deum non benedixisse tot mediis, quæ maximis cum impensis fuere adhibita, sed internecioni quasi devovisse validissimos exercitus & classes, adversus perjuros Lusitanos expeditas. Omnium piorum votum, ut primo & ante omnia seria resipiscentia Deum in partes nostras sollicitemus, atque dein majori cura & studio incumbatur erigendis Ecclesiis in iis regionibus, atque convertendis cæcis Gentilibus. Quorum vero privatim refert, optarent antehac tam inutiles sumptus non fuisse factos, paucorum avaritiam & perfidiam fuisse castigatam, atque hodie minui inutilium Curatorum & Ministrorum numerum, reliquias vero tenues ea prudentia & fide administrari, ut maneant salvæ, suoque tempore quid commodi redeat ad se, quorum fortunas improspera Societatis fortuna attrivit. Prioribus accedimus, posteriores non curamus; sed cum utrisque vovemus, ne unquam, quantum in se (votum hoc quoque est plurimarum viduarum, Gerontocomiorum, & Orphanotrophiorum, quæ suas fortunas Societati huic promptissime crediderunt) Illustrissimi Ordines Generales committant, ut ea intereat Societas, quæ patriæ labores, antehac in se suscepit, plurimumque juvit, atterendo ibi Hispanorum vim, unde hactenus veluti ex arcula, in totius Europæ perniciem tela accipere solent. Atque utinam Societas

cietas hodie ea esset, quæ olim! centum & amplius naves cum sex millibus nauticorum militum intra paucas hebdomadas suppeditare posset adversus communem hostem, ceu eos qui in Anglia, quam diu Deo visum fuerit, dominantur.

CAPUT XXIII.

De Insidiatoribus hostilium navium, itemque de Directoribus.

DEinde illi, qui apud federatos Belgas authoritate publica insidiantur hostilibus navibus, in proprium commodum convertendis, considerandi; qui vulgo audiunt *Caep-Vaerders*, uti eorum professio *Caperye*, aut *Vrye-Neerinck*; quam uti secundum jus Poli hic non examinamus; (novimus enim bellum non esse gerendum, propter prædam solam, nec illud esse convertendum in excidium privatorum, qui sæpe ingemiscunt illud motum esse ab iis, quibus solis jus est publice hoc indicere) ita solummodo notamus eam aut toleratam, aut permissam à supremis Potestatibus, admodum antehac præjudiciosam fuisse Hispanorum per mare potentiæ, atque existimationem federatorum Belgarum mirum quam auxisse. Ut enim privata magis, quam publica sentiri solent; sic, is publice

in

in armis plurimum posse creditur, cujus potentiam quam plurimi, cum suo malo & damno sentiunt. Hoc tempore, adversus Anglos, Scotos, atque Hibernos, iterum publica authoritate privatæ hæ expeditiones navales permissæ sunt, ea scil. spe, hac ratione plebem in iis regnis commotum iri adversus eos, qui secundum Dei judicia, nobis profundiora mari, dominatum obtinent. Sed, cum hi victricibus armis, validoque nitantur exercitu, misera plebecula, etiam quando videt omnia sua privilegia pedibus conculcari, ut laquei secura sit, publice gratias agere debet. Eoque, dubito valde, an Deo hæc piratica placeat. Certum quidem mihi, commune non posse esse magnum, si privati quotidiano damno implicentur; populumque adversus suos Rectores primo stomachari, atque dein insurgere, si cogatur ventri suo rugas inducere: interim ex Dei singulari atque ineffabili dispensatione non videtur hoc exspectari hic posse: quare non sine iniquitate aliqua arma nostra expediri videntur in eos, qui sub insolito jugo noctes diesque gemunt, & non minus, quam nos ipsi injustum impiumque hoc bellum occultis gemitibus (neque enim in propatulo dolorem iis prodere permissum) execrantur. Forte longe magis rei communi consuleretur, si utrimque conveniret de inhibenda hac piratica, atque flos inventutis

nauticæ, qui ob ſperatam prædam, privatis illis exercitoribus operam ſuam addicere ſolet, per claſſem reip. diſtribuatur, atque in communem hoſtem ducatur. Poſtremo non ſunt negligendi illi, qui vulgo audiunt *Kruyſſers*, ſive, qui invitati ab Ordinibus Generalibus, ſub certis conditionibus, naves Bellicas inſtruere ſolent, atque pro maris defenſione in communis hoſtis perniciem (privatæ licet perſonæ ſint, quæ haſce naves hactenus inſtruxerunt.) convertere. Qui ad haſce naves ſuis ſumptibus inſtruendas Societatem ineunt vulgo Directores (Belgice *Directeurs*) audiunt, ſæpiſſimeque rem admodum præclare, & in communis hoſtis perniciem pro aſſerendo Belgarum nomine, liberoque maris uſu converterunt. Veneti, qui talium hominum ſubſidio antehac navales ſuas vires firmarunt, non ita pridem naves ab iis conductas magnam partem exauctorarunt, exiſtimantes remp. ipſã minoribus impenſis eaſdem expedire poſſe: quæ ratio, licet apud multos in Belgio federato, pondus haud tralatitium habere videatur; præſens tamen reip. ſtatus non videtur carere poſſe navibus à Directoribus conductis, & per eoſdem milite & annona inſtructis.

CAPUT XXIV.

De Archithalaßis, ceu Amiraliis Belgarum.

QUum vero ea, quæ per virtutem cum laude gesta sunt, commendationem mereri non videantur, nisi debita laus iis cedatur, qui talia expedierunt; non possumus non hoc loco meminisse præcipuorum Argonautarum Belgicorum, quorum nomina cum sint ἄξια πέπλιι, vitio nobis haudquaquam verti poterit, quod ea hoc loco referamus. Divisionem autem instituimus, classiumque præfectos, & legatos, sejungimus ab inferioris ordinis capitibus. Inter Classium præfectos primo loco, suo magno merito commemorandus, jam antea quoque cum Meiero nominatus, Henricus Borsalius Toparcha Veriensis, cui ut supremum, cæterum fiduciarium in mari imperium, commissum fuit à Philippo Bono, & Carolo Audaci illius filio; sic jam anno 1426. à jam dicto Philippo baltheo Equestri donatus erat, ob operam præclare navatam in prœlio adversus Jacobam Hollandam, depugnato in insula Scaldia, prope oppidum *Brauwers-haven.* Hic, ut promoveret non minus rem nauticam quam mercaturam, meliores suas fortunas mari committere solet, per illud longe lateque

mercaturam exercendo, atque hac ratione suis Zelandis, hactenus remissioribus, animum addendo ad comparandos equos ligneos. Non prætereundus quoque *Petrus Longus*, vulgo *lange Pier*; quamvis enim ingens damnum Hollandis intulerit, quandiu Carolo Geldriæ Duci militavit: necessario tamen hic commemorandus, quod ortus ex rustica Frisiorum plebe, ad complures annos, paucis licet instructus navibus, præclarissima, eaque plurima, in mari Austrino facinora ediderit, atque summo suo merito, ab Authore Chronici Lubecensis vocetur: *Vastator Danorum, Vindex Bremensium, Interceptor Hamburgensium, ac crux Hollandorum.* Hujus insignia erant *Patibulum Rotæque*, nec unquam aliud symbolum habuit, solitus omnes, quos in mari capiebat, Neptuno consecrare, quod Belgica phrasi dicitur: *De voeten spoelen.* Postquam vero continuis victoriis, sub auspiciis Ducis Geldriæ, Burgundos fatigasset, pertæsus ulteriorem militiam, Suecæ in Frisia ad vitam privatam se composuit, ibique, teste Pontano lib. 11. Hist. Geld. d. 28. Octob. anno 1520. placide sua morte defunctus est. Postquam fatalibus motibus Belgium turbari cœpit, primus, ut Amiralius, Heroicæ fortitudinis complura specimina edidit, vir de universa patria, assertaque illius libertate meritissimus. *Euwout Pietersen Worst*, primus

Vlis-

Vliſſinganorum in mari Capitaneus & Amiralius, qui tantum terrorem nominis ſui Hiſpanis incuſſit, ut haud ſecus atque leonem eum metuerent. Legatus illius fuit *Ian de Moor*, qui vitam patriæ conſecravit. *Boudewijn Ewoutſe* item Vliſſinganus, nominis ſui terrorem longe lateque poſt Worſtium, cui ſucceſſerat, circumtulit, cum ante navim Biſcajenſem, Hiſpanum militem Duci Medinæ Sidoniæ adducentem, cui nauclerus erat datus, ſubſidio popularium, quos apud ſe habebat, feliciter occupaſſet, ſuiſque Vliſſinganis cum præda obtuliſſet. *Lodovicus Boyſot* Vliſſinganorum Amiralius, Belgis, licet extraneus, militans Leydam feliciter obſidioni exemit anno 1574. aliaque memoria digna geſſit. *Adriaen Willemſſe* Zirizæanorum Amiralius, ut ſæpe alias patriæ præclaram operam navavit, ſic cum Boyſoto Leidam præſenti excidio exemit. *Cornelis Claeſſe* Vice Amiralius ſub *Boudewijn Ewoutſe* varia fortiter non minus, quam feliciter expediit. *Cornelis Dirxſſe* Noort-Hollandiæ Amiralius ſtrenuiſſime rem geſſit contra Comitem de Boſſu, uti antea ex parte relatum fuit. *Iuſtinus à Naſſau* naturalis filius *Guilielmi* 1. *Auraici* anno 1588. præfuit claſſi Ordinum federatorum, ejuſque ſubſidio feliciter impediit, ne quas naves Dunckerckæ Parmenſis Dux expedierat, Hiſpanicæ claſſi in Angliæ excidium

ſe conjungerent. *Iohannes de Duvenvoorde, Dominus de VVarmond* anno 1596. una cum claſſe Anglicana ea expediit, quorum cap. 20. ad dictum annum mentio facta fuit. *Petrus vander Does* miles imperterritus anno 1599. præclariſſime, uti cap. 20. dictum, pro patria contra Hiſpanos rem geſſit. *Ian Adriaenſe Cant* Vice-Amiralius triremes Friderici Spinolæ aut oppreſſit, aut cepit: victoriam tamen ex parte funeſtavit *Ioos de Moor*, vir fortiſſimus, atque à parte Ordinum Vice-Amiralius. Anno 1605. *Haultain* non minus fortitudine quam natalibus illuſtris, Amiralii titulo conſpicuus fuit, eaque in patriæ gratiam patravit quorum jam antea mentio facta fuit. Nec minor virtus fuit Vice-Amiralii *Ian Gerbrantſe* infra diſtincte conſideranda. *Iacob Heemskercke* Amſtelodamenſis anno 1595. cum aliis occupatus fuit in inveſtiganda via per novam Zemblam in Chinam, ſexcentaſque difficultates animo heroico ſuperavit. Anno 1604. cum altera vice in Orientalem Indiam ablegatus eſſet, majorem Luſitanorum navem, (*een Craeck* vocant) non ſolum mercibus pretioſiſſimis refertam, ſed ultra octingentos armatos viros vehentem, duabus ſolum naviculis & vix ducentis viris inſtructus feliciſſime expugnavit. Præ cæteris vero anno 1607. animum heroicum prodidit, cum oppugnata ad Calpen Hiſpanorum claſ-

ſe,

se, moriendo pro patria, cui se totum consecraverat, suis ad gloriosissimam victoriam viam sterneret. Anno 1611. *Haultinio* Vice-Amiralius datus est *Moy Lambert*, quo mare à piratis obsessum, expurgaretur, quod hic anno 1618. potissimum, non minus feliciter quam fortiter executus fuit. Eodem anno *Hillebrant Gerbrantse Quast*, cui, tanquam tertio Amiralio, pars classis adversus piratas commissa erat, æque feliciter in patriæ gratiam id expediente ad Algerium in Africa. *Haultinio* ut Amiralius successit *Dominus de Opdam*, eique anno 1625. defuncto *Guilielmus Nassovius* naturalis filius Mauritii Principis Auraici, quo in obsidione Grollana anno 1627. infelici glande transfosso, mare aliquamdiu infestum fuit, usque dum anno 1628. tres ordinarentur classes, iisque totidem distincti Amiralii præficerentur: Nempe *VVemmer van Berchem* natione Gelder, *Hillebrant Quast* Enchusanus, & *VVilhem Melckman* Hornanus, qui patriæ illiusque incolis, maxime in deducendis navibus onerariis, præclaram operam navarunt. Non multo post maris præfectura secunda (supremi quippe maris præfecti fuerunt illustres Principes Auraici, quamdiu notati fuerunt) delata fuit *Pieter Pieterße H.yn*, qui postquam sæpius experimentum sui contra Hispanos, à quibus aliquandiu in vinculis detentus fuerat, edidisset,

diſſet, præfectus Societatis Indiæ Occidentalis claſſi, non ſolum ad ſinum Matancæ claſſem Hiſpaniarum Regis, argentum vehentem intercepit; ſed etiam meritus iterum navalem coronam anno 1629. vitam patriæ impendit. Quo vero ore celebrem noſtrum *Marten Harperſe Tromp*, ad quem ex ordine jam perveni, in quo, ut omnes, quotquot commemoravi, archithalaſſi reſurrexiſſe videntur, ita animum ejus vere heroicum, ſumma ejus humanitas, & quod caput, erga Deum pietas inſtar ſpecularis lapidis illuſtrat, omnibuſque commendatiſſimum reddit. Locum hunc excelſum diu ante meruerat, quam conſequeretur, ſiquidem jam anno 1630. menſe Januario unam ſolum navim in comitatu habens, tres Dunkerkanorum naves aggreſſus unam profundo merſit, ſecundam cum centum & quinque captivis cepit, tertia ignominioſiſſime fuga ſibi conſulente. Eodem anno menſe Martio iterum Dunkerkanam navim expugnavit, nec unquam ab eo tempore è mari rediit, quin opima ſpolia ab hoſte referret, uſque dum anno 1637. ſubſtitueretur *Dorpio*, qui indignus dubium ob ignaviam an incuriam eo loco cenſebatur. Ab eo tempore ea virtutis ſuæ edidit ſpecimina, quæ nulla unquam ætas delebit, obiter à nobis commemorata ſupra cap. 20. ad annos 1637. & 1639. Imo adhuc quotidie contra

tra Anglos præclare rem gerit, non minus diligens in vindicanda existimatione antiquorum Hollandorum & Zelandorum, quam asserendis commerciis patriaque libertate. Proximus ab eo *VVitte Corneliſſe de Wit*, vir est imperterritus, nesciusque hosti suo tergum obvertere, nec promeritus ea, quæ invidia cum sorore sua calumnia, (nescia optimorum consiliorum eventum sæpe frustraneum evadere, atque virtutem prodere se non posse, nisi illi sese occasio sociaverit) eructare antehac sustinuit. Nec silentio prætereundus *Cornelis Evertſe* Præfecti nautici (vulgo *Commandeur*) titulum ferens, item Amiralii Zelandici, heros navalis nulli secundus, insignisque non minus prudentia quam scientia rerum nauticarum: primitus inclaruit expugnata navi Amiralii *Collaert*, quem ab infimis ordinibus propter virtutem Rex Hispaniarum non solum promoverat, præficiendo eum classi Dunkerkanæ, verum etiam allegerat inter Equites Crucigeros. Animo & amore pro patria nequicquam ei cedit frater *Cornelis Evertſe*, pariter præfecti titulo insignis. Omittendus haudquaquam etiam *Michiel de Ruyter*, quem bellum Anglicarum cœpit reddere illustrem, cujusque virtus omni prœconio major: vir vel ideo commendandus, quod unius patriæ amore caput suum intrepide quibuscunque periculis offerat, securus omnis

 stipen-

ſtipendii, quod alios invitare ſolet; hoc quippe liberaliſſime patriæ remittit. Denique his ſubnectendus vir pervigil, intrepidus, ſuaque ſtatione digniſſimus *Pieter Floriſſe*, Prætor nocturnus in Claſſe majori, aut, ut vulgo loquuntur, *Schout by Nacht.* His heroibus hodie apud federatos Belgas res nautica potiſſimum nititur, atque utinam virtuti & conſiliis eorum Deus ſic benedicere dignetur, ut per eos ſuperbos procaceſque hoſtes etiam deprimat! In mari Mediterraneo, nuperrime adverſus Anglos admodum ſtrenue atque feliciter rem geſſit *Ian van Galen* Amſtelodamenſis, cui victori feliciter paulo poſt prœlium defuncto ſurrogatus eſt patre ſuo digniſſimus filius, junior *Tromp.* His addi debent tot eximii Archithalaſſi Societatis Indiæ Orientalis: Nominatim *Iacob van Neck*, *Olivier van Oort*, *Spilbergen*, *Steven vander Hagen*, *Matelief Schouten*, *VVibrant Schram* &c. itemque Generales Batavici, *Renſt*, *Reael*, (qui aliquando quoque præfuit claſſi Ordinum) *Carpentier Coenen*, *Spex*, *Brouvver*, *Diemen*, &c. Qui omnes aut Hiſpanum docuerunt, quanta ſit Belgarum fortitudo, aut novas per mare vias in navigantium commodum invenerunt. Nec prætereundi Amiralii Societatis Indiæ Occidentalis, *Iochem Ghyſen*, *Pieter Adriaenſe*, Ita, *Schapenham*, *Dirck Simonſe*, *Boudevvijn Hendrixſe*, *Ian Dirxſz Lam*, *Ian Ianſe*

van

van Hoorn, *Iacob VVillekens*, *Hendrick Loncq*, *Pater* (qui licet anno 1631. superaretur ab Amiralio Hispano *Antonio d'Ocquendo*, qui postea *Trompio* pœnas dedit, victor tamen moriendo fuit, solus quippe cum duobus centurionibus *Ian Mast*, & *Marten Tijssen* postea memorando, aggressus est sedecim ingentes Galeones, quos & expugnasset, si reliqui centuriones suo functi fuissent officio) *Houtebeen*, *Lichthart*, aliique, non minus præclare de Societate meriti, quam de universa patria, cujus existimationem contra Hispanos fortiter asseruerunt. His addendus *Iaques l'Hermite* Amiralius in classe Auraica, qui nisi præpropere mortuus fuisset, summo terrori Hispano extitisset.

CAPUT XXV.

Enumerantur quidam Centuriones navales, quorum virtus præ aliis suspicienda.

AD centuriones singulos, si descendendum esset, non unus hic Scæva aut Petrejus occurreret, ut in ipso quoque vulgo nautarum Cynegyri plurimi, ex immenso exemplorum acervo pauca sequentia dilibasse solum sufficiat. Initio occurrit *Adriaen Banckert*, qui quanquam anno 1600. defendere non potuit omnes lixarum naves, quas solus

Ostendam deducturus erat., contra septem Slusanorum triremes, plurimas tamen periculo eripuit, ipseque moriendo pro patria, suis viam ostendit, qua navim servare possent. *Legier* Centurio anno 1600 d. 29. Novemb. quis esset ostendit in occupanda ante Antverpiæ mœnia prætoriana navi. Centurio *Saal*, & alter quis *Hartman* præ aliis se probarunt contra Friderici Spinolæ triremes. Ante omnes alios vero commemorandus *Lambertus*, vulgo *Moye Lambert* terror ille Duinkerkanorum, qui præterquam quòd cum Heemskerckio ad Calpen præclare rem gessit, amplius anno 1605. 11. d. Novemb. Amiralium Duinkerkanorum, una cum Vice-Amiralio *Ian Gerbrantsse*, feliciſſime expugnavit, ſæpeque alias minores Duinkerkanorum naves expugnatas Roterodamensibus, qui ei defuncto, & ante mortem Vice-Amiralio, (uti dictum antea) monumentum erexerunt, obtulit. *Langen Hendrick* vir fortissimus, & facile secundus ab Heemskerckio, ejus exemplo patriæ vitam consecravit. Nec silentio prætereundus *Pieter WVillemsé Verhoef*, qui mortuo *Heemskerckio*, in prætoriana illius navi tum imperium capessivit, tum prælium feliciſſime prosecutus fuit. Anno 1618. *Melchior van den Kerckhove* cum aliquot navibus bellicis Venetias deducturus militem à Rep. in his provinciis conscriptum inter *Tarifam* & *Gibraltar* obvias

vias habuit novem naves Hiſpanicas, quas ita excepit, ut deſideratis quadringentis ex ſuis, ignominioſa fuga ſibi contulere debuerint. Centurio *Pleckeroers* anno 1621. inter Doveram & Caletum ſub initium anni 1621. duas naves Hiſpanicas expugnatas in patriam deduxit. Eodem anno præ cæteris ſe exeruit virtus *Hermanni Kleuter* Amſtelodamenſis, quæ nec ſubſequentibus annis quieſcere potuit, aggreſſus quippe archithalaſſum Duinkerkanum *Ian Michielſe*, eum expugnaſſet, niſi perforata ſua navis profundo merſa, ipſeque natando ſibi conſulere coactus fuiſſet; interea reliquis navibus, Dunkerkanis ſic inſtantibus, ut eorum Archithalaſſus accenſo pulvere pyrio navim perdere maluerit, quam ſe committere fidei hoſtium. *Ioachim Hendrixſe Swartenhont* in Archipelago anno 1622. contra Regis Hiſpaniarum claſſem ſtrenuam admodum operam navavit, aſſerendo naves onerarias, quas deducebat. Præter dictum *Ioachim Hendrix*, eodem anno reip. præclaram operam navavit Centurio *Alteras*, juſſus excubias agere ad Canalem, tutoque deducere naves mercatorias. Eodem anno menſe Junio *Ian Yſbrants* Edamenſis Piratam Biſcaienſem ante Caletum perdidit. Eodem anno menſe Auguſto virtutis ſuæ eximia documenta ediderunt ſubſequentes centuriones: *Kleuter*, jam antea commemoratus, *Antonis Ianſſe*,

Ian

Ian van Nimmegen, *Adriaen Kuyf*, *Adriaen Floris*, & *Iacob Volkertse Vinck*, in oculis Ostendanorum, occisis amplius ducentis, duas naves Hispanicas perdendo. Hoc & subsequenti anno, fidem & fortitudinem suam in deducendis & defendendis navibus bellicis præ aliis probarunt *Adriaen Crimpen*, *Pieter Schout* ē *Hillebrant Quast* antea nominatus, *Ian Iacobse Mey*, *Cornelis Splinter*, *Hans Bournon*, *Adriaen van Kruinigen*, qui subsequentibus quoq; annis strenuam & utilē rei communi operam dederunt. *Ieroen Evvoutsse* Roterodamensis celeri solū navi imperans, biennii spatio undecim naves ad oram Flandricam occupavit. *Dirk Goethals*, imperans tali navi, quæ *een Fluyt* audit, anno 1627. una expeditione duos piratas Biscaienses navibus exuit, alteriusque navim sub tormentis castelli Olonnes abduxit, promeritus eo nomine præmium fortitudine sua dignum. *Rombout de Par* anno 1626. & 1627. sæpius præclare contra Duinkerkanos sese gessit. Iis qui jam nominati sunt, adjungendi ex Centurionibus navalibus *Hardebil*, *Ian de Lapper*, *Ian Faes*, *Pieter van Vianen*, *Hendrick Cop*, *VVolfert Deyman*, *Teunis Floris*, *Tymen Claesse*, & *Vlo*; qui omnes sub tribus Amiraliis, quorum cap. 24. facta mentio usque ad annum 1629. præclare rem gesserunt, aliis pro dolor! torpescentibus, suique sacramenti non minus, quam antiquæ Batavorum virtutis obli-

oblivifcentibus; adeo ut Ordines coacti fuerint anno 1627. centurionem *Bagijn* Roterodami capite plectere, eo quod nulla cogente neceſſitate navim ſuam Dunkerkanis tradidiſſet. Sub *Petro Heinio* anno 1629. priſtina virtus revireſcere cœpit. Speciatim Centurio *Iacob Vinck* (antea quoque nominatus) icto anno 1629. in prælio navali tormento Heinio, hoſti integro pene tam diu inſtitit, quam eum oppreſſiſſet. Nec prætereundi *Ioris Martens*, & *VVilhem Bouvvens keert de Koe*, qui hoc anno cum *Cleuter* in Portugallia ſtrenue rem geſſere. Inclaruere quoque ſub *Heinio*, *Liedekercken*, *Evert Antonis*, aliique. Cæterum, quod deplorandum cum maxime, mox ardor ille iterum elanguit, Dunkerkanis pro arbitrio in mari dominantibus, & parum quin illud obtinentibus: adeo ut ſub finem anni 1632. pro aſſerendis navibus mercatoriis Societas Directorum erigi debuerit, cui cum militaret *Cornelis Ianſſe*, alias *de Haen*, univerſo orbi fortitudinem ſuam, & animum imperterritum probavit, ſepties cum hoſte ſuo dextro Marte congrediendo: poſtremo cum d. 19. April. anno 1633. obvias haberet duas Duinkerkanorum naves, cum ſua navi medium inter eas ſe ſtitit, unamque ictibus plurimis perfoſſam, Neptuno devovit, alteram vero ignominioſe fugere compulit, ipſeque moriendo victor, pleriſque nauticis præfectis

fectis interfectis, jure merito in Amstelodamensium templo monumentum virtute sua dignum consecutus fuit. Anno 1631. *Hollart* Vice-Amiralius, probavit operam suam in profligandis navibus minoribus, quæ sub Comite Johanne Nassovio ad Scaldim, pro invadenda Zelandia, expeditæ erant. Anno 1636. fortissimo *Ian Evertse*, cujus cap. 24. facta fuit mentio, strenue succurrerunt *Pieter Adriaense*, & *Banckert*, expugnando Amiralium Duinkerkanorum, duasque alias regis naves perdendo. Nefas vero est, silentio premere nomina eorum, qui anno 1629. una cum nostro Trompio ad *Duins* Hispanicam classem igni ferroque devastarunt. Sub initium ergo Hispanis se opposuerunt XII. duntaxat naves subsequentibus commissæ nempe: Amiralius *Tromp*, *VVilhem Colster*, *Pieter de VVeint*, *Robbert Post*, *Claes Ianse Ham*, *Lambert Halfhoorn*, *Kamp*, *Ian Garrebrantsen*, *Louvverens Pieterse Back-huisen*, *Frederick Pieterse*, *Rengelsen*, & *Pottebreker*: pugnantibus supervenerunt quinque naves: Vice-Amiralius *VVitte Corneliße de VVit*, *Foran*, *Bredero*, *Adriaen Dommerse*, & *Sybrant Barentse*: Eadem vespera accesserunt: *Vijck*, & *Ian Iacobs Lobbes*. Postridie summo mane ad classem amplius appulerunt: *Ioos Banckert*, *Frans Ianße van Vlißingen*, *Ioris Cats*, *Ian Theuniße Sluys*, *Lieve de Zeeuw*, *Ionck-Hoen*, *Dorrevelt*,

Gerrit

Gerrit Veen, *Tiaert de Groot*, *Ioris Pieterſe*, *Hoffert*, & *Abraham Krynſen* Atque per hos factum, ut potentiſſima Claſſis Hiſpanica ſeſe receperit in eum angulum, ubi primitus fuit obſeſſa, atque dein ignominioſe deleta. Denique non prætereundi centuriones, qui antehac à privatis in Hollandia Zelandiaque conducti, eos non minus ditarunt, quam prædæ ſpe virtutis eximia documenta ediderunt, aſſerendo pariter patriæ exiſtimationem. Ex his præcipui, qui ſequuntur: *Fort Legier*, *Pieter Bancker*, *Adriaen Parys*, *Marcus Andrieſſe*, *Adriaen Claeſſe*, *Bevernage*, *Theophilus Thibault*, *de Ionge Simon den Danſer*, *Vrien*, *Bende*, *Pieter Barentſe Dorrevelt*, *Andries Berghenaer*, *Antonis Ianſſe van Lillo*, *Lijn Ianſſe Fate*, *Meynart Ianſſe*, *Ian Frelin*, *Chriſtiaen Iacobſe*, aliique, quos recenſere longum foret.

CAPUT XXVI.

De ſociis nauticis, & quid exiſtimandum ſit, de navibus ab iis incenſis.

POſt præfectos nauticos, ſocii quoque nautici, ſive nautarum vulgus conſiderari debet; eorum autem major per Hollandiam atque Zelandiam numerus eſt, quam muſcarum, quando caletur maxime. Quod enim Florus

Florus lib. 2. cap. 7. de Rhodiis dicit, vocando eos *nauticum populum*, examussim in Hollandos atque Zelandos quadrat. Immensus autem eorum per Belgium numerus hinc colligi potest, quod jam anno 1588. cum tota Anglia & Belgium trepidarent ad mentionem Classis Hispanicæ, Vice-Amiralius Hollandiæ coram Ordinibus professus fuerit, sese, si necessitas urgeret, inter quatuordecim dies cogere posse amplius quam triginta millia exercitatorum sociorum nauticorum, uti testis est *Reidanus lib.* 8. Nec tantum ingens horum numerus, sed etiam peritia navigandi, virtus atque alacritas est. Quod præfiscini enim dictum sit, in nullo terræ angulo aliquos invenire est, qui pleraque & ordinaria nautarum officia tum dexterius, tum alacrius & promptius expedire possint: unde vulgo quoque marinæ manus atque pedes iis tribui solent. (*Zee-handen en Zee-voeten*) 2. Intrepide quæcunque pericula non tantum maris, (ad quod ut concipiuntur, ita in eo à primis annis educantur) sed etiam præliorum navalium (longe ea asperiora terrestribus esse solent) adeunt. Imo pauci licet, ardua & stupenda quæque aggredi sustinent. Documento sunt novem socii nautici, qui anno 1626. in Hispania navim copioso milite repletam, tum occuparunt feliciter, tum incolumem in patriam deduxerunt. Sub initium tumul-

tumultuum Belgicorum, cum nulli ex captivis servarentur, sed aut occiderentur, aut in mare præcipitarentur, confertim ad navalia prælia, Vlissingani, Hornani, & Enchusani quoque cives ruere solent, & æque intrepide in navalem expeditionem nomen dare, atque encœnia adire. Imo adhuc hodie, ibi nauta Batavus & Zelandus se maxime prodere solet, ubi novit aut vincendum, aut moriendum sibi, nullumque locum custodiæ sperari posse. Ex consuetudine magis, quam ex lege, diu quoque observatum est, navim potius perdere accenso pulvere tormentario, quam hosti tradere privatum unquam. Nullus autem ex navalibus nostris sociis ad tale sacramentum exhorruit, sed in plerisque navibus Bellicis antehac non quidem jussu Ordinum, sed ex consuetudine puer quis conductus esse solet, qui urgente necessitate pulverem accenderet, quod phrasi nautica est *den rooden haen in het cruyt steecken.* Quum vero in rei hujus, extremam desperationem arguentis, memoriam inciderimus, haud abs re fuerit post tot viros eximios accuratius aliquanto, sed tamen distincte, totam hanc rem expendere. Atque initio quidem, video plerosque præsupposuisse falsum, quasi milites navales, ab Ordinibus Generalibus mandatum unquam acceperint, incendendi navim, ubi desperarent de sua salute, atque hoc ipsis juramento solemni promise-

miserint. Nunquam hoc insertum fuit formulæ juramenti; sed res ipsa ultro, atque citra authoritatem publicam, paucis aliquibus exemplo suo præeuntibus, frequentari cœpit inter eos centuriones navales, qui præ aliis fortes atque invicti videri volebant; hac potissimum occasione, quod utrimque (hoc est tum à parte Ordinum, tum à parte Hispanorum) captivi in mari, cujuscunque loci atque ordinis, Neptuno instar victimæ consecrarentur. Belgarum federatorum exemplum secuti sunt ipsi Hispani, quorum Amiralius *Ian Michielse* (ut superiori quoque capite annotatum fuit) se & navim suam cum omnibus vectoribus incendio perdere maluit, anno 1622. quam hostium fidei se permittere. Imo extranei quoque imitati fuerunt, speciatim Sueci, ex quibus cum quis se atque navim perdere maluisset, quam venire in potestatem Dantiscanorum, Magnus ille Gustavus Adolphus regum prudentissimus, convenientissime dixisse fertur, teste Loccenio lib. 3. de Maritimo cap. 9. *Erga me & regnum mascule & fideliter, erga seipsum scelerate fecit.* Præsupponendo ergo, hæc hactenus facta esse, à privatis citra jussum supremi Magistratus, dicimus, utut alii hæc facinora à fortitudine, publicisque usibus (iis quippe hostes terreri admodum putantur) commendare gestiant, nullo modo probari posse, ob sequen-

quentes rationes: 1. E diametro hæc adversantur sexto præcepto, quod Exod. 20. 13. Deut. 5 17. ut, circa authoritatem publicam, prohibet omne homicidium, sic etiam *αὐτοφονίαν*. 2. Non possumus ex vita hac discedere, quando nobis visum fuerit, sed cum advenerit tempus à Deo definitum, aut, ut loquitur Scriptura 1. Sam. 26. 10. *quum advenerit dies, ut moriamur.* 3. Contra naturam est, ut quis *odio prosequatur propriam suam carnem*, Eph. 5. v. 29. (4) Expresse videtur Deus improbare factum eorum, qui se suosque funditus perdere instituunt, sic enim loquitur per Ierem cap. 44. v. 7. *Quare facitis malum maximum contra vos ipsos, ut exscindatis vobis virum & fœminam, parvulum & lactantem è medio Iehudæ, ut non reliquas faciatis vobis reliquias* 5. Idem sensus omnium ferme Gentilium, qui, exceptis solis Stoicis, *αὐτοχειρίαν* improbarunt quam maxime. Ex quorum sensu convenientissime Martialis lib. 11. cap. 57.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

6. Aliter quoque non existimant Pontificii Doctores: quamvis enim consueverint in aliis laxi satis esse, *αὐτοφονίαν* tamen omnem, quocunque etiam prætextu palliatam, improbant, ut videre est apud *Navarr. ad Sextum præceptum quod ei quintum cap.* 15. *th.* 11. *Tolet. lib.* 5. *Instr. Sacerd. cap.* 6. *concl.* 1. 7. Speciatim

tim vero in hoc casu ex Orthodoxis Theologis pro nobis stant *D. Voetius in Thersite, D. Udemans cap. 6. qu. 9. libri, quem inscripsit, Coopmans roer.* Rev. *D. Pasor* Collega honorandus *In Syllabo Quaest. Ethic.* Ex Lutheranis Theologis velut ὁμοψήφους Lotichius l. d. adducit *Battum*, *Dedekennum*, & *Dunthium.* Nec contrarium suadere potest exemplum Simsonis Iud. 16. v. 30. neque enim ipse Simson, qui Hebr. 11. refertur inter illos heroas, qui pro fide certarunt, aliter excusari potest, quam quod actus fuerit peculiari instinctu, ut gnarum quoque erat August. lib. 1. de C. D. cap. 21. *Nec Samson*, dicit, *aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppreßit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Quid quod Simson primario videatur intendisse templum Idololatricum Dagonis evertere. nec tam ex desperatione aut privata vindicta, quam actus zelo gloriae Dei illud egerit. Audio quidem dici, nautas non tam intendere directe, sui, quam hostis excidium. Sed hoc dilutum valde, siquidem non consueverint antea ad hoc facinus se accingere, quam aut desperent de salute impetranda ab hoste, aut videant, se conservando navim ditaturos hostem; accidit quidem aliquando, ut simul aut quaedam ex hostium navibus incendantur, aut quidam etiam ex hostibus pereant,

pereant, ſed, hoc caſu magis fit, quam deſtinato conſilio eorum, qui navim incendunt. Præterea, quum ſimpliciter αὐτοχειρία illicita ſit, nullo caſu licita fieri poteſt. Convenienter Auguſt. lib. 1. de C. D. cap. 27. *Si ſponte ſe occidendi cauſſa juſta non eſt, ergo nulla eſt.* Cui conſentit ipſe Burgerſdicius, à nobis alias diſſentiens cap. 19. Id. Phil. Moral. §. 17. *Quod per ſe malum eſt, non poteſt ulla effecti ratione fieri bonum.* Ad rem quoque non facit, exemplum militis in tali ſtatione conſtituti, in qua certo ſibi moriendum ſit; ſiquidem ſi ille moriatur, non ſua, ſed hoſtis manu cadit in ſua legitima vocatione. Multo minus curari debet terror, qui hinc in hoſtes redundet, quum regula Apoſtoli Rom. 3. v. 8. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, nullam limitationem admittat. Nec D. Burgerſdicius, aliter affirmativam ſententiam defendit, quam ſub hac hypotheſi, eos, qui navim incendunt, *publica authoritate munitos eſſe*, cap. 14. Id. Phil. Mor. §. 17. quam nunquam hic interveniſſe certum eſt. Et quid ſi ea interveniat, nihilominus magis *obediendum fuerit Deo, quam hominibus*, Act. 4. v. 19. quod in hoc ipſo caſu non audet diffiteri ipſe Burgerſdicius l. d. §. 16. ſic loquens: *Quid ſi magiſtratus aliquem damnet ad αὐτοχειρίαν? Legi naturæ potius parendum eſt, quam magiſtratui, id quod naturæ contrarium eſt, præcipienti.* Conclu-

cludimus ergo facinus hoc, heroicum licet animum arguat, legi Dei adversari, sic ut optemus eo in posterum abstineri. Si socii, postquam omnia egerint, nec vincendi nec effugiendi occasionem videant nostri milites navales, arbitrio potius victoris se permittant, quo, si forte in vivis serventur, alio commodiori tempore patriæ inservire queunt, seque ab hoste, non virtute sed occasione superiori, ulcisci in Dei nomine.

CAPUT XXVII.

De existimatione Belgarum federatorum apud extraneos, propter navalem experientiam & fortitudinem: quæ hactenus per Anglos non imminuta.

OB res has non tantum præclare gestas à federatis Belgis, verum etiam propter eorum singularem peritiam in nauticis negotiis, non solum ab hostibus suis metuuntur, verum etiam ab omnibus Regibus & Rebuspublicis, non tantum per Europam, sed universum terrarum orbem æstimantur. Testis est Reidanus lib. 8. Anglos prius abjecte admodum sensisse de federatis provinciis, & jactasse, Serenissimam Reginam ex sola misericordia populo misero suppetias tulisse, cæterum plurimum easdem æstimare cœpisse, quum

quum anno 1588. viderent intra paucas hebdomadas validissimam non solum classem ab illis expeditam, sed illius quoque subsidio impeditum fuisse ducem Parmensem, quo minus se cum classe Hispanica conjungere posset. Hinc maximi quique Reges & potentissimæ Resp. hujus reip. Societatem non tantum ambierunt, sed ab ea quoque subsidia nautica sollicitarunt, quæ omnia distincte referre, quod in recenti adhuc memoria sint, non est opus. Illud memoria dignum fortitudinem Belgarum in mari exercitam, tantum potuisse apud magnum Imperatorem Ottomannicum, ut eos anno 1611. per supremum suum Archithalassum invitaverit ad societatem secum ineundam. Nec hoc silentio prætereundum, ipsum Hispaniarum Regem implorasse opem maritimam Belgarum adversus ipsos Belgas. Quum enim per duodecennales inducias, quidam ex ipsis Belgis (quod detestamur tamen cum maxime) instituissent piraticam exercere, nec tantum mare mediterraneum, verum ipsum quoque magnum infestum reddere, vexando potissimum Regis Hispaniarum subditos, instruendoque piratas Turcicos, aliter in ordinem redigi non potuerunt quam per ipsos Belgas populares suos. Præterea ab anno 1618. Resp. Veneta sæpius ab hac repub. subsidium navale imploravit, cujus exemplum aliquoties secuta fuit

resp. Genuensis, itemque Equites Melitenses, in mari licet exercitatissimi. Hujusce reip. operam fidam non solum sibi, sed suis quoque rebus perutilem expertus Christianissimus Galliarum Rex in obsidenda & occupanda Rupella anno 1627. & 1628. Utinam vero tum temporis alio conversæ fuissent vires nostræ navales, quam adversus eos, qui æque pretiosam fidem constantissime nobiscum profitebantur! sed hæc jam præteriere. Deum rogo, filiis & nepotibus non imputet, quæ à parentibus facta fuerunt. Anno 1646. idem Rex occupando Dunkerkam, reipsa expertus est, quantum possit populus, qui mari potens. Sueci quoque æstimantes, suo merito, virtutem atque potentiam nostram maritimam, anno 1644. felicissime contra Danos sub viro fortissimo *Marten Tijsse* (cui ipsi cognomen addiderunt *Anckerhelm*) navibus & sociis nostris nauticis usi fuerunt: an pro salute reip. nostræ dubitant mecum plurimi in patria. Nec virtus & existimatio hæc per Dei gratiam adhuc aut obliterata, aut marcore obducta sunt. minime per Anglos, in mari licet dominantes, quandiu Deo visum fuerit. Ipsi enim armati nostris primo eleemosynis (anno 1644. per has provincias pro afflictis quasi Hibernis collectis) in suum Regem, postquam, effascinato populo specioso Parlamenti & privilegiorum nomine, feliciter &

Regem,

Regem, & Hibernos cum Scotis submoverunt, fingentes frivolam caussam, naves mercatorum nostrorum detinere, easque deprædari instituerunt; qua potentia per nostrum torporem aucti, eo audaciæ progressi fuerunt, ut non solum æquas pacis conditiones rejecerint, injustissima multa à nobis postulaverint, verum etiam libertati nostræ per classem in speciem horribilem (gnari incommodorum quibuscum domi luctamur) insidiari sustinuerint. At quid interim præclari, & quod fortitudinem bellicam arguat, gesserunt? Unam navim à sex capi & opprimi posse, quis miretur? sed unum nautam, qui octo solum tormenta habet, & in navi 22. solum homines numerare potest, trium Anglicanarum navium impetum per octo horas sustinuisse, & maluisse navim ad littus applicatam perdere, quam hostis arbitrio se permittere, miraculo simile, sed hoc accidit superioris anni mense Septembri, ne de aliis virtutis Batavicæ speciminibus recentibus dicam. Sed interim cladem sumus passi? Deo scil. eam inferente, quia non potuimus aut vento, aut tempestate, aut aliis incommodis impediti, hactenus virtutem nostram contra Anglos exerere. Utinam autem præsumeremus, placato ante omnia Deo, maritima negotia eo ordine, quo olim administrare! brevi dolerent Angli. Verum est, va-

 lidam

lidam habent classem, & ingentes naves, sed ipsa sua mole præpeditas. Obsident nostros portus, sed quoniam per negligentiam (ut mitissime loquar) ex justo Dei judicio, qui indidisse nobis videtur spiritum vertiginis, rem navalem diligentius non curamus. Quando Leonidas cum suis trecentis ad Thermopylas cæditur, moriendo tamen cum omnibus suis vincit. Nec trecenti Fabii victi, sed occisi: Regulus captus à Pœnis, non victus; opprimi ab Anglis possumus, sed per Dei gratiam animum nondum submittere. Idem animus in plerisque heroibus nostris navalibus, qui in *VVilhelmo Tas* Harlemensi, præfecto classi Groenlandicæ anno 1624. qui cum injuria ab Anglis afficeretur, exiguam licet navim haberet, duas tamen Anglicanas, ut secum aperto mari congrederentur, ausus fuit provocare. Heroës nostri in exiguis licet navibus consistant cum modico milite, congrediuntur tamen cum Anglorum prætoriana navi, sola si modo congredi velit. Exhibet quidem nobis hoc tempore tergum Deus, sed placatus, ut spero, brevi iram suam convertet in eos, qui impia sua arma justa esse existimant, quia hactenus felicia. quasi scil. melior fuerit Benjamitarum caussa, quam reliquorum Israëlitarum, quia diu victores fuerunt. Vos, qui ex picata gente, navales mei socii, durate & animum modo retinete, propediem ut spero,

mare,

mare, ut in eo veſtram prodatis virtutem habebitis apertum. Vos pii vero à Deo pendete, exſpectantes ejus auxilium adverſus dominantes Anglos, qui mare invaſerunt, ut olim *Cilices piratæ: ſublatiſque commerciis, rupto fœdere generis humani, maria bello, quaſi tempeſtate præcluſerunt*, ut loquar cum Floro lib. 3. cap. 6.

CAPUT XXVIII.

Quam neceſſaria Belgis ſit maritima potentia.

EX ordine dein expendendum, quam neceſſarium Belgis ſit, mari plurimum poſſe, & hanc potentiam qua, ante hunc Anglorum dominatum polluerunt, retinere. Præter ea, quæ in genere ſub initium hujus Tractatus notavimus, quod quivis huic reip. facile ea applicare poſſit, ſubſequentia breviter ſubjicimus. I. Quod Salluſtius dicit in Catilinaria Conjuratione, hic ſerio cogitandum: *Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt*. Quando mare primi aſſertores libertatis, qua jam ex Dei beneficio gaudemus, ingreſſi ſunt, hoſtem terreſtri bello eo uſque victorem, vinci poſſe didicerunt, &, ut Famianus Strada dicit lib. 1. *Epiſcatoriis aliquot navibus, nova repente reſp. extulit caput:*

quæ armis in dies prævalida, superiorem pati nec terra velit, nec mari jam poßit. II. Quicquid aliis videatur, propitio, ac mediis benedicente Deo, quandiu Belgis federatis salva erit hæc maris potentia, salva quoque erit Resp. concidet vero, atque transibit in manum *illius*, qui eandem eripuerit, & obtinuerit. Ex re est audire Scribanium Jesuitam Cap. 38. Instit. Politico-Christianæ: Et sane, *inquit*, cum plurima fuerint, quæ Belgicum aluere bellum: novarum rerum cupiditas, loci opportunitas, maris, fluminum; vicinorum Regum & principum auxilia; hostilis in nostris contemptus; consiliorum optimorum, beneque gerendarum rerum neglectus, diffidentia, tarditas, æmulantium studia, & odia domestica, multorum egestas solo bello medicanda: quæ etiam invictam in hanc diem non magnam provinciam tenuerunt, frustra utriusque Indiæ profusis opibus totiusque Hispanici imperii viribus: tum unum maris fluminumque imperium, audere & stare docuit, & ultro etiam inferre bella, omnemque latissimi regni partem, Oriente ac Occidente toto inimicis infestare classibus. O quis credat, exiguum populum sola inimica maris infestatione, orbi prope imperasse? ac tanquam novam Numantiam; omnem potentissimi Regis annis amplius quinquaginta, conatum lusisse? ausuque portentoso orbem non

non ſemel enavigaſſe, audaciæque ingentis ſuæ veſtigia omnibus, qua ſol oritur, qua occidit, orbis terrarum regnis impreſſiſſe, nulli ſupplicem, omnibus minitantem? ſed & novas orbe novo terras, mariaque nullis ante claſſibus trita retexiſſe, dum quod Magnus Macedo voverat, orbes invenit novos? tanti fuit imperaſſe mari. Nulli illum æſtus, nulla terruere frigora, nulla fugere, etiam per ipſa concreta glacie maria, (quæ poſteritas credet?) navigare lubuit & naturæ vim inferre, clauſaque ſæculis retro omnibus clauſtra reſerare. Magnos animos, &, ſi adſit Deus, ſi pietas; ſi cauſſæ bonitas, imperio dignos. *Hæc ille.* III. Cum individuo nexu cohæreat Mercatura magnaria & longinqua, cũ maris potentia ſive imperio; non poſſunt non omnibus modis federati Belgæ de imperio maritimo (eo ſcil, modo, quem definivimus ſupra) retinendo ſolliciti eſſe. Illo enim ſi exciderint, non ſolum Societas Indiæ Orientalis ſua maxima illa mercatura excutietur: Sed, 1. interintervertetur mercatura per fretum Herculeum, exerceri ſolita in Archipelago, & mari Mediterraneo aſſitis locis, nominatim Venetiis, Genuæ, Maſſiliæ, Toloni, Livorno, Naupacti vulgo Lepante, Tuneti, Algieri, Alexandriæ, Cairo, Tripoli, Alepi, Scio, Smyrnæ, Patras, Andro, Millo, Jaffa, &c. 2. Intervertetur quoque Mercatura Gallica,

hactenus maxime exercita Caleti, Rhotomagi, S. Malo, Nantesii, Burdegalæ, Bajonæ, Rupellæ, &c. 3. Item Portugallica & Hispanica, cui tot per annos, in præjudicium ingens rei communis, à privatis inhiatum fuit. 4. Adhoc Anglica, Scotica, & Hibernica Mercatura hoc tempore cessans per funestum hoc bellum. 5. Tota Orientalis, ut vulgo loquuntur, mercatura, quæ præter tres illas celebres Hanseaticas civitates, Lubecam, Wismariam, & Rostochium; universam Daniam, Prussiam, Curlandiam, Livoniam, & Poloniam complectitur. 6. Mercatura Septentrionalis restringi maxime solita, ad eam mercaturam, quæ exercetur per Norwegiam, Sueciam, & Lappiam. 7. Mercatura Moscovitica, hactenus à Septentrionali distincta. 8. Et postremo mercatura quæ in locis Albi, Viadro, Visurgi, & Amaso adjacentibus exercetur; neque enim adiri possunt, nisi mediante Mari. Quis enim ei maris usum concesserit, qui sollicitus non est, ut in eo aliquid possit? IV, Halecum annua captura, quæ amplius quam octodecim millia hominum sustentat, itemque balænarum piscatus ad Groenlandiam exerceri solitus, necessario potentiæ hujus marinæ subsidio indiget: exemplum exhibente hoc anno præsenti non sine multorum lacrymis & gemitu. V. Quanquam maris usus jure gentium liber est, &

ad

ad navigandum & piſcandum ex æquo omnibus patet *leg.* 3. §. 1. *ff. ne quid in loco publ.* nihilominus tamen aliquando federatis Belgis is negatus eſt, imo hodie adhuc negatur, à præfractis Anglis, in præjudicium annonæ, cujus pretium per totum Occidentem certo certius propediem incendetur: (uti enim Romana reſp. Ægyptiaco & Africano indigebat frumento, ſic hæ provinciæ Orientali) vindicare autem tamdiu Belgæ hoc jus poterunt, quam mari valuerint, cum valida claſſis vera clavis ſit, qua clauſtrum illud reſerari poſſit. VI. In memoriam revocandum, quæ incommoda acciderint, cum in maris imperio aſſerendo remiſſius incumberetur. Teſtes maxime eſſe poſſunt anni 1623. 1624. 1626. 1627. 1631. 1633. 1634. 1635. quibus Duinkerkani in mari dominantes, non tantum maxima damna intulerunt plurimis mercatoribus, ſed per eos quoque ipſam remp. attriverunt. Imo locupletiſſimus teſtis eſt præſens hic annus quinquageſimus tertius ſeculi decimi ſexti; cui plures, longe funeſtiores adhuc, ſuccedent, niſi in partes ante omnia ſolicitato Deo Opt. Max. laboraverimus Anglos mari expellere, illiuſque imperium aſſerere. Fruſtra ſumus, ſi per quæcunque pacta cum talibus, ſperemus ſartam tectam fore mercaturam noſtram: quandiu hi graves noſtri vicini in mari dominabuntur, compedita erit mercatura.

Si enim una Oresunda ratione mercaturæ Orientalis necessario transeunda, antehac habita fuit crux mercatorum; quanta crux non futura dominans Anglia, dico, tot commodis portubus, & tam valida hoc tempore classe instructa. Omnia etiam si promiserimus, & quodcunque jugum subierimus, non tamen securi esse poterimus. Quis enim sperare ausit fidem nobis datam violatum non iri ab Anglo, qui neque Regi suo legitimo, neque conjuratis sociis hactenus eam servare præsumpsit.

CAPUT XXIX.

Caussa prima, maritimam potentiam conservans, Deus Opt. Max. est, quem quia Belgæ removerunt à se, non delitescunt amplius sub ejusdem umbraculo.

CUm ex præcedentibus abunde constet, quantum federatorum Belgarum intersit, maritimam hanc potentiam, quam tot difficultatibus sibi quæsiverunt, tutari; deinceps expendere convenit, quibus artibus eam retinere atque in perpetuum asserere possint. Secundum Poëtam enim, *Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.* Considerabimus autem hic duum generum caussas, generales, & speciales. Generalis caussa non minus

minus averruncans malum imminens, quam conservans bonum præsens, est magnus ille Jehova, maris & cœli dominus; qui quicquid *sibi placuerit facit in cœlis, ac in terra, per maria, & omnes abyssos*, Psal. 35. v. 6. & quoties *manum suam extendit, super mare commovet regna*, Esaiæ 23. v. 11. Una Tyrus hic sit ante oculos, cujus quondam *negotiatores principes, & institores inclyti terræ* erant, ib. v. 8. & de qua Ezech. cap. 27. v. 24. & 25. dicit: *Mercatores tui erant rebus perfectissimis, involuti hyacinthinis, & phrygianis, gazisque gentium in superioribus habitantium, quæ funibus circumligantur, & includuntur, cedrinis capsis in mercatu tuo. Classes Oceani decantabant te commercio tuo; denique plena eras & gravis valde in intima parte marium.* Tanta autem omnium rerum peritia atque experientia gaudebat, ut Plinius lib. 5. Nat. Hist. cap. 13. Phœnices, quorum caput erat Tyrus, laudet quasi inventores artis nauticæ, bellicæ, siderum, & literarum: Munita vero tantopere, ut dicatur *in corde maris* ib. v. 4. sita esse. Nec tamen omnia hæc eam excidio eximere potuerunt: postquam enim frustra eam obsedisset Salmanasar, teste Josepho lib. 4. Antiq. cap. 15. Nabuchodonosor, vastatis ante Hierosolymis, tredecim annis ad eam sedit, tandemque expugnatam diruit, adeo ut Ezechiel eodem capite v. 32. & seq. de ea dicat: *Quo tempore*

confracta es à maribus, in profundissimis aquis; commercium tuum, & tota congregatio tua in medio tui ceciderunt: Omnes habitatores insularum obstupescunt de te, & Reges illorum horrescunt horrore, percelluntur vultu. Negotiatores in populis sibilant de te: terrori summo es, quod nulla sis usque in seculum. Postea eam iterum subegit Magnus Alexander, & quicquid reliqui habebat potentiæ, eripuit, ut legere est apud Curt. lib. 4. Quod Tyro (quam Amm. Mercell. lib. 14 vocat. *urbem plenam gratiarum & venustatis, urbibus decoratam magnis & pulchris*) accidit, certo & quidem brevi, secundum infallibile Scripturæ Prognosticon, nobis accidet, si Jehovam à nostro statu alienaverimus; &, (quicquid etiam sibi quidam persuadeant) quod Propheta Nahum cap. 3. v. 16. de Ninive dicit, emporiis nostris obtinget: *Multiplicasti negotiatores tuos, præ stellis cæli, ut melolontha irruit & avolat, avolabunt.* Eóque ante omnia Deus Opt. Max. hic in partes ab omnibus sollicitandus, *qui tamdiu nobiscum est futurus, quam nos cum eo*, 2 Chron. 15. v. 2. &, quoniam nos cum eo non sumus (removimus quippe eum, per multiplicia & horrenda peccata nostra, longissime à nobis) ipse hoc tempore nobis non solum adversarius factus, verum etiam erecto brachio flammanteque gladio occurrit, imo occurrit nobis pro dolor! ut *ferox leo*, Job. 10. v. 16. qui licet jam

jam videatur duntaxat *insidiari in latibulo* Thr. 3. v. 10. brevi tamen, sic metuo! sic metuo! *aestuabit ut juvenis leo derelinquens tugurium suum*, Jerem. 25. v. 38. nec solum suum *populum exedet*, Oz. 13. v. 8. verum etiam *quos jam rapit, sic deportabit, ut nemo eos eripiat*, Oz. 5. v. 14. Tria potissimum peccata notari solent, quibus præ cæteris populi maritimi tum vacent, tum etiam ob quæ ordinario puniantur: Superbia, luxuria, & avaritia. De Superbia Tyri, ut ad alia exempla non accedamus, à Deo punita, sic Esaias cap. 23. v. 7. 8. 9. *Haeccine vobis exsultabunda videretur; cujus pedes à diebus præcedentibus, à præcedente statu ipsius deducunt eam ad peregrinandum procul? Quis capit consilium hoc contra Tyrum illam coronariam? &c. Iehova exercituum consilium illud cepit ad fædandum fastum omnis gloriæ, ad elevandum omnes honoratissimos terræ.* De luxuria & mollitie, præterquam quod fidem facit vulgatum proverbium, quo maritimi *mores*, velut molles & luxuriosi notantur, Cæsar amplius lib. 2. locupletissimus testis est in Nerviis, ut Belgarum fortissimis, hoc nomine, *quia nullus aditus ad eos sit mercatoribus, nihil patiantur vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent.* Quam vero Luxus Deo displiceat, patet in Sodoma, de qua Ezechiel

cap. 16.

cap. 16. v. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ; excellentia, saturitas cibi & tranquillitas quieta fuit ipsi & filiabus ejus, & manum pauperis non confirmavit.* Avaritiam maris accolis, ob mercaturam, quam exercere solent, familiarem esse docet experientia; quotusquisque enim in Mercuriali turba occurrit, cui applicari non possit illud Sen. lib. 6. de Benef. cap. 14. *Mercator non cogitat, quantum auxilii allaturus mihi, sed quantum lucri sibi.* Interim quotusquisque cogitat, quod per Amosum dicit Deus cap. 8. Proph. v. 3. & seqq. *Ejulabunt cantica templi die illa, dictum Domini Iehovæ, plurimum erit cadaverum, quæ in omnem locum projecerit tacitus. Audite hoc, qui anhelatis dejecturi egentem, & deleturi pauperes terræ. Dicendo, quando transiverit hoc novilunium, ut vendamus commeatum? & sabbathum, ut aperiamus frumenti horrea? minuendo Ephum, & majus faciendo pondus, ac pervertendo lancibus dolosis.* Si quæ gens vero, unquam tribus hisce peccatis aperto capite, elato brachio, & plena animi destinatione vacavit; næ nos Belgæ longissime eandem superavimus. Quorsum exaggerem Sodomæ Gomorræque Celticæ peccata? *Clamor eorum multus est*, Gen. 18. v. 20. Hoc uno forte distamus à vera Sodoma (Ezech. 16. v. 49.) *quod hic pauperis & egentis manus confirmetur*: at interim, an non completum proh dolor! in nobis jam diu, de

quo

quo Deus queritur apud Ezech. cap. 22. v. 26. 27. 29. & 30. imo an non majori jure, quam tum, hodie *αὐτὸς* adhuc conqueri posset: *Sacerdotes vim faciunt legi meæ, & prophanant res sanctas meas, inter sanctum & prophanum non discernunt, & inter impurum & purum discrimen non ostendunt: ac à Sabbathis meis occultant oculos suos, denique prophanor inter eos. Principes ejus in medio ejus sunt tanquam lupi prædantes prædam: effundendo sanguinem, perdendo animas ut faciant quæstum. Populus ipse terræ fraudant fraude, & rapiunt, pauperemque & egentem opprimunt, ac peregrinum fraudant injuria. Dum quæro ex eis aliquem qui obducat sepem, & consistat in eruptione coram me pro ipsa terra, ne corrumpam eam, non invenio.* Revera autem *nullum intercessorem* hoc tempore Deus invenit, quum superiori anno, quotquot adhuc supererant, justo judicio sustulisse videatur. Adeo vero obfirmati obduratique in peccatis sumus, *ut ne quidem ad animum revocaverimus*, quod *tot justi perierint*, Jes. 57. v. 1. An non ergo jure meritoque à *nobis umbraculum recesserit, ac Iehova* desierit *nobiscum esse*, Num. 14. v. 9. Omnino, jureque summo. Exigit, exigit justitia Dei, si nos nolimus nos convertere, ut ipse *super nos effundat indignationem suam, consumatque nos igne furoris sui*, Ez. 22. v. 21. Quomodo vero coram eo irato subsistemus? quum *omnes gentes velut nihil*

sint

ſint coram eo, minus nihilo & inanitate reputentur ei, Jeſ. 40. v. 17. Imo quomodo ſubſiſtere poterimus ad breve quoque tempus, quum jam appenſi lancibus & minores pendere inventi ſimus, Dan. 4. 27. *ſecuri ad radicem arborum poſita*, Matth. 3. v. 10.

CAPUT XXX.

Quomodo Deus ſit placandus, breviter oſtenditur, obiter citra læſionem admonitis Magiſtratibus, votiſque ad eum directis, cujus unius opus auxilio.

QUoniam ergo Patria noſtra propter peccata (quæ tam manifeſta ſunt, ut non opus ſit cum Ezechiële Propheta cap. 8. v. 8. *perfodere parietem*, ad perluſtrandas abominationes, aut, cum Tzephania cap. 1. v. 12. eaſdem *lucernis ſcrutari*) tanto expoſita eſt periculo, ut omnes boni metuant, ne propediem tranſeat in manus novi rigidique domini, qui ſi non extinguat lucernam Orthodoxæ fidei, ſaltem patiatur oleum illius, hactenus purius ſole, adulterari publice; (anhelantibus jam eo omnibus qui Tzionem oderunt, quibuſque ſolemne blaſphemas ſuas hæreſes in cruſtare ſpecioſo libertatis nomine, in prophetando quaſi exercendæ) quivis facile animadvertere poteſt, cur conſilia noſtra terra mari-

que

que tam male ſuccedant, impleaturque Jeſaiæ verbum cap. 9. v. 17. 18. 19. 20. *Exardeſcit improbitas velut ignis, qui ſentes ac vepres abſumit; & incendit perplexa ligna ſylvæ, adeo ut in minutiſſimum pulverem abeant elato fumo. Inde præ excandeſcentia Iehovæ exercituum obſcurabitur populus terræ: eritque iſte populus quaſi pabulum ignis, nemo in fratrem ſuum clementia utetur. Nam ut ſcindat ad dextram tamen eſuriet; & comedat ad ſiniſtram tamen non ſaturabuntur: ſinguli carnem brachii ſui comedent. Menaſche Ephraimum, & Ephraiim Menaſchen, ſimul iſti contra Iehudam: omnibus his non avertetur ira ejus, ſed adhuc manus erit extenta.* Alius hoc, aliud illud incuſat: vulgus rerum novarum avidum, infeſtumque ſuis Magiſtratibus, modo ducem haberet, ſeditionem occiperet. Qui maxime perſpicaces videri volunt in negotiis reip. inteſtinas factiones omnium malorum cauſſam eſſe ſuſpicantur, quique ex illis beneficia præterita condigno pretio æſtimare ſciunt, ringuntur poſteritatem eorum ſummoveri, qui ſanguine libertatem noſtram redemerunt. At quicunque cum Deo in ſacrario ejus loquuntur mente magis quam voce, & quotquot guttam pietatis habent reliquam, uno ore fateri debent, quod unis peccatis omnia mala, quæ nos premunt, imputari debeant; unumque hoc ardentiſſimis votis exoptant, ut hoc adhuc tempore *malitia noſtra nos erudiat, & aver-*

averſiones noſtræ nos corripiant, Jerem. 2. v. 19. Tot per annos longanimis Deus connivit ad peccata noſtra, interea temporis, cum Moſe nos *ex aquis* quaſi *educendo*, Exod. 2. 10. & *inſtar titionis eripiendo ex igni*, Zach. 3. v. 2. ſic ut neque Germanicæ, neque Gallicæ, neque Anglicæ plagæ ad fines noſtros derivatæ fuerint, ſed ſimiles facti fuerimus *illi quercui, cui poſt amputationem ramorum* (innuo ſanguinolentum & ſumptuoſum illud bellum, quod tam feliciter geſſimus cum Hiſpaniarum Rege, ut ipſe Rex ultro nobis offerre debuerit honeſtiſsimæ pacis conditiones) *ſtatumen adhuc ſupereſt*, Jeſai. 6. v. 13. Sed quali gratiarum actione pro tot tantiſque beneficiis Deo noſtro occurrimus? Certe in nobis completum fuit, quod dicit Jerem. cap. 3. v. 8. *Quamvis viſum mihi eſſet omnibus de cauſis, quibus adulterata eſt averſa Iiſraël, dimittere eam, & dare ei libellum repudii, non tamen timuit perfida Iehuda ſoror ejus, ſed abiens ipſa ſcortata eſt quoque.* Quamvis interim ipſe Deus per fidos ſuos miniſtros (quos veluti *ſpeculatores* conſtituit ſupra ſuum populum, Ezech. 33. 6. quique olim *videntes* vocabantur, 1. Sam. 9. 9.) noctes atque dies exoptarit, ſalutem ſui populi, & ingemiſcendo ex intimis paterni ſui animi affectibus, dixerit; *O ſi populus meus auſcultaſſet mihi, ſi Iſraëlitæ in viis meis ambulaſſent!* Pſal. 81. v. 14. Quæ tamen ſuſpiria ipſius Dei, adeo de incolumitate

noſtra

noſtra ſolliciti, nos nequicquam movere potuerunt, quum completum in nobis ſit, quod cap. 4. apud Amoſum Prophetam toties repetitur: *Nec tamen converſi eſtis ad me, dictum Iehovæ.* Sic ut peccata noſtra Deum non ſolum coëgerint, blandam illam pacem *mutare in abſinthium*, Amoſ. 5. v. 7. verum etiam præter morbum Epidemicum, quo multi ſublati fuerunt, & mercaturæ interverſionem, adverſus nos concitare eos, quos antea velut fratres noſtros colebamus, & quibus *effoſſos* quaſi *oculos noſtros dediſſemus*, Gal. 4. v. 15. qui quamvis jugulo noſtro jam immineant, & velut carnifices, divinitus excitati, æque ſublatam habeant ſecurim, ad evertendam funditus remp. noſtram, atque eadem domi cum capite regio uno ictu monarchicum regimen præciderunt; vel duo vel nemo tamen ad Deum, à quo maximæ hæ calamitates immittuntur, ſe convertit, ſed unuſquiſque in ſuo curſu Infernum verſus, claſsicum canente diabolo, haud aliter perſeverat, *atque equus præceps ruens in prælium,* Jerem. 8. v. 6. Imo, in nobis completur illud, quod ipſe Deus dicit apud Jerem. cap. 7. v. 9. 10. *An furando, occidendo & adulterando, jurandoque falſo, &c. etiam venietis & ſtabitis coram me in domo hac, quæ vocatur de nomine meo, & dicetis, eripiemur?* (ita proh dedecus! multi neglecto Deo, aut ante, aut poſt habitam concionem,

nem, de præsidiis, à quibus spes liberationis exspectanda videtur, disserere solent) *ut perficiatis omnes abominationes istas?* At, quid dicit Deus, proximo capite v. 15. apud eundem Prophetam: *Exspectatis pacem, sed nihil erit boni: tempus curationis, sed ecce aderit terror.* Nam, utut nobis (mei Belgæ) adulemur, moreque antiquo, spe in visibilia magis quam in invisibilem & omnipotentem Deum defixa, omnia augusta & prospera brevi exspectemus, pergimus *ludibrio habere Deum, ut constringantur vincula: nam consummationem; & quidem præcisam audivi à Domino Iehova exercituum contra totam hanc terram*, Jes. 28. v. 22. Quamdiu eodem modo nos gerimus, atque hactenus gessimus, neque à Superioribus nostris, neque à sociis federatis, neque à Classibus, utut decuplo amplioribus & augustioribus classibus hostium, quicquam subsidii sperare possumus, imo nulla creatura nos servare potest ab elata manu irati Dei, *adversus quem nulla sapientia, nulla intelligentia, & nullum consilium subsistere potest*, Prov. 21. v. 30. Unicum consilium nobis superest, ut nempe seria & subitanea resipiscentia, instructique tum verbis, quæ dolor secundum Deum dictat, tum maxime corde ob peccata contrito, Deo obviam eamus, quo compleatur, quod occurrit 2. Chron. 7. v. 14. *Si depresserint se, super quos invocatur nomen meum, oraverint & requisiverint*

siverint faciem meum, revertentes à viis suis malis: vicissim ego exaudiens è cælo condonabo peccatum eorum, & curabo terram eorum. Festinato opus est, dum Opt. Max. Deus, quem adeo irritavimus, exorari adhuc potest: si enim peccare perrexerimus, Deus, utut misericors atque longanimis sit, à nobis neutiquam exorari poterit, sed in nobis complebitur, quod ipse dicit apud Ezechielem cap. 14. v. 14. *Etiam essent hi tres viri* in medio vestri, *Noach, Daniel, & Iiob, ipsi cum justitia sua eriperent seipsos.* Faxit ergo is Ipse, ut *dum hodie audimus ejus vocem, cor nostrum non obduremus*, Psal. 95. v. 7. 8. atque nos omnes à maximo usque ad minimum convertamus ad illum, qui est *curator sui populi*, Exod. 15. v. 26. neutiquam *præ duritia, & corde quod resipiscere nescit, nobis ipsis recondendo iram in dies iræ*, Rom. 2. v. 5. Agite ergo mei populares, qui gloriari solemus de libertate, jugum peccatorum excutiamus, quod nos mancipat diaboli servitio, & propter quod Deus tam graviter nos castigat, *excutiamus nos, iterumque excutiamus nos: quum nondum exsequitur decretum, quum nondum ut gluma transit dies: quum nondum invadit nos æstus iræ divinæ: quæramus Iehovam, quæramus justitiam, quæramus mansuetudinem, fortasse abscondemur die iræ Iehovæ*, Tzeph. 2. v. 1. 2. 3. Præ omnibus aliis vos obsecro & obtestor, quos Deus hic constituit

tuit suos vicarios, quique ab eo gladium accepistis, ut eo quicquid abominandum est in oculis Jehovæ, submoveatis: facite officium vestrum, induamini zelo Pinehæ, & *avertite excandescentiam Dei* (Num. 25. 11.) ab ea regione, cui præfecti estis, exemploque Davidis *singulis matutinis exscindite omnes improbos terræ, ad rescindendum à civitate Iehovæ, omnes, qui operam dant iniquitati*, Psal. 101. 8. Si Propheta Tzephania, qui ævo magni illius Zelotæ, regis Josiæ prophetavit, & quidem eo ipso tempore, quo ipse opus reformationis tam serio instituerat, concionem suam ab his verbis exorditur: *Omnino exscindam omnia à superficie hujus terræ, dictum Iehovæ: exscindam homines & jumenta, exscindam aves cœli & pisces maris, & ruinas cum ipsis improbis, denique exscindam homines à superficie hujus terræ*; quomodo, Clementissimi mei Domini, Deo rationem muneris vestri reddere poteritis, quum ne quidem præsumpseritis adhuc serio operi Reformationis manum admovere. Auditis apud Gentilem quoque poëtam ποιμένες λαῶν, eoque non convenit vos aut desides esse, aut propriis solum commodis studere: quantum fieri potest omnia lustrare debetis, *& cognoscendo non solum cognoscere facies pecudum vestrarum, verum etiam cor vestrum apponere ad greges*, Prov. 27. v. 23. tempestive ulceribus & scabiei eorum opportuna adornando remedia,

quod

quod nisi hoc tempore, quanto ocyus feceritis, omnes jam vitiis plurimis infirmati præda fient incolis illius insulæ, quæ antehac singulari industria ejecit omnes lupos quadrupedes; in posterum præter omnes vere pios suos incolas, totum terrarum orbem habitura devotissimum, si pari arte submovere queat bipedes illos lupos, qui non solum postquam domi nihil reliqui est quod deprædentur, cœperunt graves esse omnibus suis vicinis, sed quos multi simplices quoque sine gemitu sectantur, quod induerint pelles ovillas, & impiis injustisque suis armis Biblia sociaverint. Eoque, mei Domini, ego (qui minimum me censeo inter omnes Belgas) obsecro & obtestor vos per misericordiam Dei, & per salutem Ecclesiæ & Reip. quæ vita ipsa vobis carior esse debet, ut tandem evigiletis, & saltem reformando exterminetis clamantia illa peccata, quæ quod impune & citra Censuram (pro dolor! sæpe Ecclesiasticam quoque) perpetrentur ipso meridie, innumeros gemitus paucis illis piis, quos Deus in Belgio reliquos habet, quotidie exprimunt. Incipite, incipite auspice Deo, Reformationem à vobis ipsis, à vestris familiis, à Collegiis ad quæ estis promoti, nec permittite ut vobis assideant amplius *leones rugientes, & lupi vespertini*, Tzeph. 3. v. 3. qui sint *tanquam lupi prædantes prædam: effundendo sanguinem, perdendo animas ut*

faciant

faciant quæstum, Ezech. 22. v. 27. Afflictissima, imo deposita est illa resp. cui applicari potest illud Jesaiæ cap. 1. 23. *Principes tui sunt contumaces, & socii furum: unusquisque amat munus & sectatur retributiones.* Nullus vir Belial toleretur, minime aliquis Doëg, proditorve religionis tot millium sanguine confirmatæ, aut insidiator illius libertatis, pro qua majores nostri vitam fortunasque suas profuderunt. O nos ingratos, imo impios in Deum, & pios nostros parentes, si Religionem & libertatem non ducamus oculis ipsis cariora! væ vero illis, qui alterutram quoque vili pendunt, injustoque Mammonæ aut præferunt, aut saltem colludunt cum proditoribus alterutrius. Domestica dissidia quanto ocyus componite, effurcillateque sinistras illas suspiciones, quas Sathan excitare & fovere solet in perniciem publicæ salutis: quæ, ne altiores agant radices, non tam edictis, quam pœnis severis castigare illos convenit, qui prœla fatigant nullum alium ob finem, quam ut oleum camino per suos famosos libellos addant. Subsistere neutiquam poterimus si ultra Menasche Ephraimo, & Ephraim Menaschi insidietur. Vos ipsos vestrumque regimen si primo reformaveritis, facile reliquum populum ad lineas officii, Deo, & vobis debiti revocare poteritis. Nam quando ipse Magistratus bonus est, plurimum quoque boni facere

potest,

potest, siquidem tanta per Deum instructus est potentia, ut Salomon non dubitet dicere: *Rex insidens solio judiciali, dispergit oculis suis omne malum*, Prov. 20. 8. Reliqua, quæ reformanda sunt, cognoscere poteritis, si non tantum convocaveritis pios aliquos & à πολυπραγμοσύνῃ alienissimos ex ordine Ecclesiastico, verum etiam ex ordine Politico, qui hodie pro dolor! quamvis Nestores esse possint, aut rep. arcentur, aut abstinent, quod aut nati non sint sub Metellorum sidere, aut quod virtutem suam non docuerint incedere cum ambitu. Factum hoc ab Ordinibus Hollandiæ & Illustrissimo Principe Mauritio anno cIↃ IↃ LXXXVI. quo tempore inter malleum & incudem stabat resp. domi distracta per factionem Licestrensem, & foras parum quin eversa à victorioso Principe Parmensi. Nec tamen audeo hæc præscribere, Deus præsideat perpetuo in Consessibus vestris, atque ea suggerat, quæ censueritis quā maxime convenientia esse. Interim iterum vos, qui, sive supremi, sive subalterni Magistratus estis, obtestor cogitetis ante omnia de Reformatione, eaque seria, instituenda ex verbo Dei, non verò ex præscripto quorundam Eximiorum, qui pro dolor! alicubi in Belgio ultra Diotrephis posteritatem felices sunt, uno pede Ecclesiam altero Curiam occupando, nullam aliam ob caussam, quam quod urgeant apud plebem cul-

tum cujusdam Divæ, quæ *Præcisitas* vocatur, cujus mater est Superstitio, susceptrix hypocrisis, & nutrix ambitio stabulans olim in claustris Monachorum, & nunc pro dolor! in ipso illo gremio patriæ, ubi simplices rerumque imperiti existimant inveniri posse ipsam Pietatem. Deo, Conscientiis vestris, imo saluti Ecclesiæ, afflictæque patriæ consulueritis plurimum, si restitueritis ea, quæ requirit Orthodoxa reformatio extensive considerata, neglectis iis, quæ hypocritæ, instar Independentium Enthusiastarum in Anglia, sive posterorum Johannis Sartorii regis Monasteriensis, intensive restitui primo volunt. Ad instituendum opus hoc Reformationis si alia vos incitare non possint, invitent minimum exempla, vestrorum inimicorum, quibus illius exercitium felicissime successit. Quum enim Philippus IV. Hispaniarum Rex animadverteret per varios enormesque abusus regimen suum mirum quam vitiatum esse, ac quotidie alia atque alia vitia in aulam se effundere, iis anno 1626. d. 10. Februarii per severum Edictum serio obviam ivit; observatumque ab eo tempore, cuncta in illo Imperio melius successisse. Imo hi ipsi Angli, qui modo pro Republ. modo pro Parlamento, iterum pro Dei populo se gerunt, adeo convenienter disciplinam militarem exercent, iisque legibus adulteros, perjuros, scortato-

res,

res, Sabbathi violatores, &c. coërcent, ut omnes prudentes mirari cogantur, ſpiritum Babylonicum adeo ſollicitum eſſe de ordine. Quare, mei Domini, hi veſtri inimici in hoc præcellent, aut cur in opprobrium veſtrum jactabitur hoc proverbium, quod *Edicta veſtra triduana duntaxat ſint?* Meliora ergo exſpectamus, quo propediem ægra filia Sionis, patriæque noſtræ vulnera curentur. Si enim Magiſtratus pro virili ſua laboraverint abominanda peccata exterminare, ac ſinguli noſtrum ex toto corde ſe converterint, etiamſi Dominus Deus decreverit jam *amovere cidarim noſtram, & tollere coronam*, Eze. 21. v. 27. ac univerſa regio noſtra ingemiſcat, complebitur tamen, quod occurrit Jeſai. 33. v. 10. ubi ita Deus per Prophetam: *Nunc ſurgam, nunc exaltabor, nunc extollam me.* Imo benedicet omnibus illis mediis, in hoſtium noſtrorum perniciem, à quibus hactenus, magnos licet ſumptus fecerimus, inanique ſpe animum ſaturaverimus, nullum ſubſidium patriæ præſtari potuit: ita ut dicere poſſimus cum Propheta Micha cap. 7. v. 7. 8. 9. *Iehovam verſus ſpeculabor, præſtolabor Deum ſalutis meæ, exaudiet me Deus meus. Ne lætator inimica mea, de me, quum cecidero, ſurgam: quum ſedero in tenebris, Iehova illuceſcet mihi. Indignationem Iehovæ feram, quia peccavi in eum; uſque dum contendat contentionem meam, & exerceat*

jus meum, producens me in lucem ut fruar justitia ejus. Quæ utinam meditemur recte! nam duo sunt quæ hic notare debeo ad opprobrium meorum Belgarum. *Prima* Levi solum clade justo Dei judicio affecti, desperamus, atque vel omnia Anglis concederemus, modo libere navigare & piscari possemus. Vah! adeo vilem nobis esse conscientiarum & patriæ libertatem. Majores nostri capite luere, & omnibus suis bonis excuti maluerunt, oberrando pauperes cum uxoribus & liberis in exilio; quam perpeti jugum Hispaniarum regis, quod tamen velut legitimus & hereditarius Dominus cum ratione aggravasse videri posset. Nondum *mutata est Dei excelsi dextra: recordemur modo*, cum Asapho Psal. 77. v. 12. *actionum Iah: recordemur inde ab antiquitate quodque mirabilium illius.* An non Deus mirabiliter anno 1586. composuit motus intestinos per Licestrii Comitis abitum exortos? Anno 1588. classem Hispanicam ventis & tempestate perdidit. Anno 1600. pro nobis pugnavit in pugna Flandrica. Anno 1623. Hispanorum vim fregit ad Bergi-zomam. Anno 1626. confudit expeditionem Flandricam, sic ut subsequenti anno daret Grollam. Anno 1629. passus fuit hostem penetrare ad patriæ penetralia, aperiendo ei Amersfurtum, quam cladem paulo post emollivit, ejus loco dando Sylvam-Ducis, & non speratam Vesaliam.

Anno

Anno 1635. non solum in fumum convertit sumptuosam expeditionem in Brabantiam, sed obices quoque Reip. removit tradito hosti propugnaculo Schenckiano, quod tamen clementer paulo post restituit, anno 1637. superaddendo Bredam. Anno 1638. florem exercitus partim undis, partim ferro delevit ad Calloam, expiando eam rursum proximo anno pro nobis excidio classis Hispanicæ ad *Duins.* Non ita facile animum despondere convenit, sed respicere ad veram lucem, ceu Jehovam, quo, qui fruitur dicere potest cum Davide ex Ps. 27. *Iehova robur vitæ meæ est, à quo expavescerem? Belligerantibus contra me maleficis ad exedendum carnem meam: hostibus meis & inimicis meis in me, ipsi corruunt & concidunt. Si metarentur contra me castra, non timeret animus meus: si insurgeret contra me bellum, hac re securus essem.* Pii, quia sciunt ob peccata se plura prometitos esse, præsentes plagas æqui bonique non solum ferunt, verum etiam eas in bonum suum convertunt, quo *selecti efficiantur in catino afflictionis*, Jes. 48. v. 10. dicendo cum Ecclesia Jerem. 10. v. 24. *Castiga me Iehova, veruntamen modice, ne castiges in ira tua, ut non comminuas me.* Quid ergo *exclamamus propter confractionem nostram, mortiferum esse dolorem nostrum? Propterea quod multa est iniquitas nostra, numerosa sunt peccata nostra, facit ista nobis Iehova*, Jerem. 30. v. 15. ut scil.

participes reddamur sanctimoniæ ipsius, Heb. 12. v. 10. Tantummodo *lavemus nos, purificemus nos, amoveamus malignitatem actionum nostrarum ex adverso oculorum Iehovæ*, Jes. 1. v. 16. (nam *Deus peccatores non exaudit*, Joh. 9. v. 31.) atque in nobis complebitur; quod Deus per antiphonam respondet Psalti, Psalmo XCI. v. 15. *Simulac invocaverit me, exaudiam eum, ipsi adero in angustia: eripiam eum, & honore afficiam eum.* Alterum quod æque detestandum, est illud, quod non solum ubi media quædam præparata habemus, iis in opprobrium Dei nimium quam fidamus, verum etiam Deo (si modo ei quid tribuere videamur,) tempus modúmque præscribamus nos adjuvandi, exemplo Iisraëlitarum *tentando Deum fortem, & sanctum Iisraëlis circumscribendo*, Ps. 78. v. 41. Non convenit sic, mei populares: nam singularis est species rebellionis, vel ex infidelitate, vel ex præsumptione, præscribere Deo limites & media, ejusque potentiæ & providentiæ definire terminos. *Exspectare* convenit *Iehovam*, Ps. 27. v. ult. nam sæpe, aut *hora illius nondum venit* Joh. 2. v. 4. aut ex Dei ipsius judicio *populus numerosior* est, quam ut per eum liberationem procurare velit, Jud. 7. v. 4. Iisraelitas in justo bello adversus Benjamitas non juvat, nisi aliquoties cæsos, Jud. 20. eoque *nobis opus est patientia, ut, cum voluntatem Dei fecerimus, promissionem* repor-

reportemus, Hebr. 10. v. 36. Quicquid caro etiam obmurmuret, *silens sit anima nostra coram Iehova* Pſ. 62. v. 2. dicamuſque ſinguli cum Davide Pſ. 39. v. 10. *Obmutui, non aperui os meum, quia tu, Iehova, feciſti*, & cum eodem fugiente metu filii Abſalomi: *Si gratiam invenero in oculis Iehovæ, reducet me: Sin dixerit, non eſt mihi beneplacitum in te, Ecce me, faciat mihi quod bonum eſt in oculis ſuis*, 2. Sam. 15. v. 25. 26. Ita vere ſecundum eos complebitur illud Apoſtoli Rom. 5. v. 2. & v. 5. *Patientia operatur experientiam, experientia vero Spem. Spes autem non pudefacit, quia charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Imo juxta Prophetæ verbum Jeſ. 30. v. 15. *In ſilentio & ſpe erit potentia noſtra:* & quoniam *Deus eſt fidelis, non ſinet nos tentari, ſupra id quod poſſumus, ſed una cum tentatione præſtabit etiam exitum, ut poſſimus ſufferre*, 1. Cor. 10. v. 13. præterea, quia nobiſcum erit, *fortificabit nos, auxiliabitur nobis, etiam ſuſtentabit nos dextra ſua juſta*, Jeſ. 41. v. 10. ſic, ut *ſi veſperi diverſetur fletus, mane adſit cantus*, Pſa. 30. v. 6. Atque ſi non lubeat ei nos beare victoria temporali, & benedictione terrena, *erit* nihilominus *nobis fortis Deus ad ſalutem omnimodam, quoniam ipſi ſunt exitus contra ipſam mortem*, Pſa. 68. v. 21. Tu modo æterne, omnipotens Deus, Pater omnis miſericordiæ, & in Chriſto, qui mo-

riendo in ara crucis pleniſſime juſtitiæ tuæ ſatisfecit, nobis placate & reconciliate Pater; memento *nos eſſe lutum, te vero fictorem noſtrum, & nos omnes eſſe opus manus tuæ. Ne efferveſcas quam plurimum, neque in æternum recorderis iniquitatis: en intuere quæſumus, nos omnes ſumus populus tuus. Civitates ſanctitatis tuæ ſunt deſertum: Tzijon eſt deſertum, Ieruſchalaimis eſt deſolatio. Domus ſanctitatis noſtræ, & ornatus noſtri, in qua laudarunt te majores noſtri, eſt expoſita conflagrationi ignis; & unaquæque rerum deſideratarum noſtrarum eſt vaſtationi. An propter illas contineres te Iehova? ſileres, & affligeres non quam plurimum* Jeſ. 64. v. 8 & ſeqq. Cur filius perditionis, qui ſedet in tuo templo, oculos ſuos paſcet videndo noſtrum exitium procuratum per eos, quos antea pro fratribus agnoſcebamus? cur illi quos inebriavit, manibus plaudent ob deſtructum ultimum hoc refugium & diverſorium Eccleſiæ tuæ? *Converte nos ad te, & converſi erimus. Innova dies noſtros ut olim: cur omnino nos rejiceres, cur tantopere efferveſceres?* Thr. 5. v. 21. Da nobis in hac calamitate prudentes, maxime pios Magiſtratus, qui æſtuantes zelo Ezechiæ & Joſiiæ, exterminent è regione, quicquid abominandum eſt in oculis tuis. Si qui viri Belial, aut proditores (quod non ſperamus) in iis ſint, detegito eos ut quondam Achan, nec ſine ut ultra Eccle-

ſiam

ſiam tuam, & remp. noſtram *perturbent*, Ioſ. 7. v. 25. Si manus tua diutius ſupra nos erit elata, etiam *in itinere judiciorum tuorum doce nos exſpectare te, ad nomen tuum, & ad memoriam tui feratur deſiderium animæ noſtræ*, Ieſ. 26. v. 8. Bellum hoc dirige & compone porro pro arbitratu tuo, & quatenus nomini tuo glorioſum ac nobis ſalutare erit, ſic *ut ſemper facias, quod bonum erit in oculis tuis*, 1. Sam. 3. v. 18. Audi. imo exaudi nos ob Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum unicum, Amen.

CAPUT XXXI.

De mediis, quibus poſt Deum aſſeri poteſt maris Imperium.

VT vero quiſque pro ſe (qui φιλόπατρις & bonus civis haberi vult) animum vitiis expurgare debet, ſeſeque toto corde componere ad Deum amandum & colendum; (hoc ſi à ſingulis fiat, facile publicis malis paratum erit remedium) ita publice ſequentia quoque præcavenda videntur. 1. Ne gens nautica diffluat, & aliis, ſociis licet, inconſultis ſupremis poteſtatibus, operam ſuam locet. De hoc jam proviſum fuit ab Ordinibus Generalibus ſpeciali edicto d. 4. Maji anno 1632. Semel enim ſi alio migrare cœperit hic populus, ibi pedem figet, poſteroſque

ſuos relinquet. Ne vero alio abeat, quum reditus annuos de ſuo non habeat, nec poſſit manus pedeſque ſuos comedere, perpetuo exercitium aliquod ei ſupereſſe debet, quod ſi domi non inveniat, foris quærit. Atque utinam mox à pace ſerium nobis fuiſſet aut reſtituere collapſas res ſocietatis Indiæ Occidentalis, aut bellum in Luſitaniam transferre, flos ſociorum nauticorum non fuiſſet dilapſus. II. Mercaturæ ante omnia providendum, omniaque agenda ne minuatur: ut enim ea mari indiget, ſic maritima potentia in his provinciis, ea tanquam certiſſimo fulcro nititur. III. Curandum omnibus modis ne conjungatur Oriens & Septentrio cum Occidente; ſive ne mercatores qui ad Orientem & Septentrionem habitant, puto Hamburgi, Dantiſci, Regiomonti; in Dania, Norwegia, Suecia, Ruſſia, &c. ipſi plagas Occidentales adeant, & inde petant quæ ſibi uſui ſunt, ac vice verſa Occidentales frequentent Orientales, ac Septentrionales regiones. Semel enim ſi hæc conjunctio facta fuerit, ex Belgio, medio loco conſiſtente, & extrema illa loca frequentante, mercatura paulatim migratura eſt. IV. Si qui ex majoribus mercatoribus, iis potiſſimum, qui omnia arcana mercaturæ cognoverunt, ad alia loca ſe conferre velint, iis omnibus modis, magiſtratus maxime ejus loci, ubi vivunt, obſtare debent,

obla-

oblatisque etiam beneficiis, atque præmiis, hoc agere, ut animum mutent. Quantopere enim tales, pauci licet, majori quoque alicui emporio, imo universæ reip. obesse possint, quotidiana experientia testis esse potest. Quantum incommodum enim à talibus, numero licet paucioribus, non solum ipsi Mercaturæ procurari possit, verum etiam reip. ipsi, hoc ipso tempore experiri possumus, quoniam quidam in Sueciam usque propagarunt ea, quæ in re nautica Batavis solis existimationem procurare solent, hoc tempore eo pretio ibi non censetur noster Status, quo olim. Imo quoniam Angli, ob longam habitationem inter nos, parum ab indigenis differentes, ad suos redierunt, usurpatores potestatis supremæ, edocuerunt de omnibus, quæ rem navalem concernunt, expediundis scil. secundum Methodum Batavicam: nec hoc solum, verum etiam persuaserunt multis nostratibus, libenter Anglis operam suam nauticam addicere: qui nisi in hostili classe notarentur, naves, utut grandes, minus formidabiles forent. Præter caussas secundas, jam tactas; restant aliæ considerandæ. Quæ triplicis Ordinis, primi generis respiciunt media inanimata specialiter huc facientia. Ante omnia autem supremæ potestates, earumque adjutores curare debent, ut omni tempore, atque ad omnes occasiones, justus non solum

armatarum navium numerus sit paratus, sed variis in locis quoque armamentaria nautica omnibus ad navigandi usum pertinentibus, sint instructissima. Cuncta enim si in procinctu fuerint, nulla calamitas ingruere poterit, quæ per Dei gratiam, pro defendendo maris usu propulsari non possit. Observatum hoc à Romanis ab Augusti tempore, atque in solo Oriente, ut constat ex Notitia Imperii, sex classes parebant Præfecto prætorio Orientis: nempe Classis Seleuciæ, classis Ponti Euxini, Classis maris rubri, Classis Alexandrina, Classis Carpatia, & Classis Thesaurensium. Venetorum cura hac in parte ante est expensa. Iidem portubus quoque prospicere debent, tum ut navigabiles sint, tum etiam tuti adversus cujuscunque insidias. Quam vero hac in parte à nobis, mox à promulgata pace perpetua peccatum fuit? (Deus novit per quorum aut imprudentiam, aut proditoriam malitiam) Quoniam naves primarias vendidimus, ea quæ ad apparatum nauticum pertinent, negligenter curavimus, ad Anglos surgentes non attendimus, conniventibus oculis passi sumus ab iis capi tum naves nostras mercatorias tum bellicas, hoc tempore adhuc, parum quin imparati simus ad educendam justam classem. Quicquid nobis persuasum habeamus, post Deum (cujus operam si resipuerimus, nobis spondere pos-

sumus

ſumus circa mediorum benedictiones) antea ſubſiſtere non poterimus, quam ſi præter validam claſſem in mari, perpetuo alteram, eamque procinctam in portubus habuerimus. Propterea enim res noſtræ non tam gliſcunt, quam præcipites ruunt, quod primaria claſſe è mari redeunte, altera non ſit parata, quæ ejus loco in altum deſcendat; quodque teſtudineo gradu properetur in reſtituendis & expediundis navibus: per centurionum quorundam avaritiam interea dilabentibus ſociis nauticis. Alterius ordinis cauſſæ reſpiciunt ipſos viros navales. Eoque

1. Opera danda eſt ut viris fortibus, & rerum nauticarum peritis adminiſtratio imperii maritimi committatur: duæ illæ dotes magis, quàm ſola generis nobilitas, attendi debent. Nec probaverim ſimpliciter Venetorum inſtitutum, qui cujuſque triremis imperium, ut ſupra oſtenſum eſt, nobili ſive patritio committunt. Quibus maris, imo ſingularis quoque navis bellicæ imperium committetur, à teneris mari innutriti eſſe debent, nec minus commendabiles à fortitudine quā à dexteritate ſingulari imperandi nautarum vulgo. Qui allium & picem olent, longe criſpatis iis præſtant, qui amonum olere ſolent. Fallimur, ſi eos, qui terra præclare rem geſſerunt, exiſtimemus bonos centuriones navales fore. Exemplum illuſtre notare poſſumus in noſtra hiſto-

ria. Anno 1623. fortissimus centurio navalis *Rombout vande Perre* redux ex Anglia, in sua navi habebat complures præfectos militares ex Exercitu Comitis Mansveldiæ, cumque obvias haberent duas naves Dunkerkanorum probe instructas, velatis manibus hi rogarunt Centurionem, ne eas aggrederetur. Quique in terra hosti suo cedere nesciebant, unicum præsidiũ in mari existimabant fugam esse. Interim cum præter socium nauticum miles quoq; in classe esse debeat, consultum videtur, ut Anglorum exemplo, integrę potius cohortes legionesque, quam selecti qui ex quaq; cohorte milites per classem distribuantur: ita enim ęquato periculo viri strenui ignavis exemplo præire poterunt, quum alias ignavissimi & imperitissimi, iique aut inviti, aut pretio empti, obtrudantur. II. Curandum ut gens nautica perpetuo in opere sit, ęa enim ubicunq; otiosa est, dat turbas, uti magno suo malo expertas esse Athenas, testes sunt *Plato l. 4. de LL. Xenoph. libello de Rep. Athen. Isocrates in Panathenaico.* Pro opera quoq; præstita prompte solvenda sunt stipendia: socii è mari reduces paratam si non inveniant pecuniam, turbas dare solent, quibus si abstineant metu pœnæ, postea tamen subducere se solent instanti expeditioni, si non alium quoque dominũ quærere. III. Qui strenuè rẽ mari gesserunt, uti hactenus observatum fuit, præmiis condignis publica authoritate honoran disunt. Imo anqui-

anquisita cura gerenda est, ut non solũ vulnerati probe curentur, verum etiam ut iis, qui in bello navali usum membrorum suorum amiserint, commoda vivendi subsidia contingant. Quibus, si qua ratione consulatur quoque, in posterum vulgus nautarum usibus reip. devotissimum experiemur, atque ex Dei benedictione, existimatio Batavica in mari breve in integrum restituetur. Præeunt Angli, qui nullum facinus maritimum, ab excessu quoq; eorum, qui illud gesserunt, indonatum sinunt. IV. In urbibus, maritimis maxime, oporteret esse publicas Scholas mathematicas, in quibus publicis sumptibus promiscua etiam nautarum turba, omnia ad rem nauticam pertinentia, addiscere posset. V. Mathematici complures è publico stipendium accipere deberent, ut quotidie ars navalis magis perficeretur, subsidioque novarum tabularum & instrumentorum, abbreviarentur in mercatorum subsidium longiora maris itinera. VI. Omnibus modis opera danda ut leges navales, antehac latæ & laude omni dignæ, in navibus inter nautas observentur. Nec illæ solum observandæ ratione vulgi nautarũ, verum etiam respectu Centurionum & præfectorũ, ad quorum delicta si conniveatur, murmurat non solum vulgus, verum etiam reip. invidet suam operam, quam alias una cum vita & sanguine pro libertate paratum est impendere. Ante omnia providendum, ne inter centurio-

turiones navales, qui certo pretio in diem iis, qui in navi sua sunt, victum præbere solent, aliqui occurrant sub Euclionis sidere nati, qui dū male socios meos pascunt, eos exasperant, & si non aufugere compellant, tardiores tamen efficiunt ad rem bene gerendam.

CAPUT XXXIII.

De ærario, supremisque administris rei navalis, una cum Epilogo totius operis.

TErtii ordinis caussę cõservantes respiciunt ærariū, ut enim omnia, quæ monita sunt, diligenter observari queant, speciale ærarium, idque validum, in maris usus constitutum esse debet. Habent illud Veneti, & quoniam diligenter & circumspecte curant, hactenus res eorum tam feliciter succedunt. At pro dolor! quā hic omnia remisse & infideliter adhuc fiunt! quam diu negligentur querelæ populi, qui non potest non femur ferire & indignari maxime, si videat remp. pauperem esse, ejusq; Curatores de die in diem locupletiores evadere. Quoniam muneribus publicis plerisque in locis tam ampla sunt definita stipendia, ineptissimi & ignavissimi quique ea affectant, quo possint ditescere, atque in hoc mundo splendide vivere, securi obmurmurantis vulgi, quod leges peculatus & repetundarū non exerceantur, illique, qui subinde suo infortunio produntur, impune illud ferant. Sed quo dilabor? Interim ærarium nauticum

ticum hoc tempore deberet esse validissimum. De subsidiis quæstio in omnibus provinciis movetur. Quædã tergiversantur, aliæ suam incusant inopiam, Hollandia se enectam prædicat, & tamen opus nervo belli. Unde nuper adhuc famam maximi Thesauri, domi quasi inventi, divulgari curarunt, quo hostem suum juratum, Turcam, hac ratione percellerent. Reliquæ provinciç æque stricte observent leges tributarias, atq; provincia omnium ultima, Groninga & Omlandia, facile publicæ egestati procurabitur remedium, quoniam alicubi ex consuetudine eximia solet esse nobilitas, alibi transigere licet cum Publicanis, secundum ordinarium fere canonem habentibus vectigalia redempta in magnum rei communis præjudiciũ, ærarium laborat. Præcaveantur quoque fraudes, ab iis circa vectigalia committi solitæ, qui prę aliis conqueri solent, de belli maritimi molestiis, quam vero indignum, eos præ aliis notari querulos, qui ipsi per suam avaritiam, imo, si scapham scapham vocare liceat, per sua furta obstaculo sunt, quo minus bellum maritimum ex voto geri possit. Quum vero subitaneo jam opus sit remedio, nec æquum sit plebem nimium gravare: Age, prodeant illi, quibus patriæ cura incumbit, quique ejus debent esse defensores. Remittant ei, quam diu durat bellũ hoc triste, sua stipendia, atque dum suo succo in honorem patrię vivent, accedet plurimum ærario,

uniuſ-

uniusque consulis stipendium annuatim mille solum florenis valens, sufficiet in annum integrum alendis decem militibus navalibus. Nec hoc solum fieri oportet, sed Patres patriæ, supremi atque subalterni Magistratus, quibus hactenus rei communis administratio tam lucrifica fuit, de suo subsidium ærario conferre deberent. Sic demum agnoscentur hi ipsi veri Patres patriæ, & pastores populi. Præivit Senatus Romanus: quum enim secundo Bello Punico *egeret ærarium opes suas libens in medium protulit*, ut loquitur *Florus l.* 2.*c.* 6. Similiter (teste *Arist.l.* 5.*Polit.c.*4.) bello Medico publica deficiente pecunia Areopagitæ Athenis singulis militibus drachmas de suo dedere. Anno 1568. ut repræsentari possent Casimiro Palatino, succurrenti Reformatis in Gallia, centum aureorum millia, Condæus, aliique, quicquid auri vel argenti habebant, protulerunt in medium, ut refert *Aubigne hist.tom.* 1.*l.*4.*c.* 14. Matronæ quoque, quæ anno 1575. turbatis Genuæ rebus exulantes Finalii Nobiles prosecutæ fuerãt, gemmas omnes & pretiosiorem mundum ultro in belli sumptus obtulerunt, commemorante *Thuano l.* 6.*Hist.* Nec minorem laudem Venetorum pietas meretur. Qui cum, post initam inter omnes propemodum orbis Christiani Principes contra se societatem, ingenti & fatali pæne sibi prælio ad Ripaltam à Ludovico XII. superati essent, omnesq; fere subditi imperiũ exuerent,

rent, patriæ tamē amorem ipsi non exuerunt; sed, ne quid vel exercitui reparando vel aliis necessitatibus deesset, primus Leonardus Lauredanus eorum dux, ingentem auri vim publicis usibus impendendam in Senatum detulit, cujus exemplum protinus secuti sunt Senatores. Nec laude sua fraudandi sunt Cretæ Nobiles, qui anno 1607. viginti contra Papam triremes suis ipsi sumptibus sponte instruxerunt. Sed cur oberro circa externa? quum constet Patrem patriæ nostræ Guilielmum I. Auraicum omnem suam supellectilem auream, argenteamq; vendidisse, quo in Germania exercitum pro asserenda nostra libertate conscribere posset, ejus exemplum compluribus exulibus sequentibus. Utinam horum Nepotes, ad clavum rei communis hoc tempore sedentes, nō degenerarent à suis majoribus! Illi modo præcedant, & certatim omnes cives, usque ad servos & ancillas sequentur, quomodo constat Condæi, cujus modo facta mentio, exemplum ipsos nobilium famulos secutos fuisse, atque unum, totum suũ peculium, hoc est, viginti aureos contulisse. Si tergiversentur, qui præcedere deberent, animũ tamen despondere non debent φιλοπάτριδες. vel decima pars supellectilis argenteæ à quoq; conferatur, & abunde subsidiorum erit. Imo quisque curiositati suæ ad tempus frænos injiciat, & quę expendere solet in flores, columbas, equos, canes, tabulas pictas, antiquitatis κειμή-

λια,

λια, item quæ laſcivæ, & parum quin idololatricæ mulierculæ,quotannis pro ædibus & ſupellectile mundanda erogare ſolent, unum ærario offerantur,& ingens colligetur theſaurus. Non convenit ita animum abjicere,& tam prono affectu ſe componere,ob lucrū quod è mari ſperatur, ad ſubeundum jugum, quod duriſſimum ſentietis,ſimulac receperitis. Spiritus Enthuſiaſticus,quando aut in Eccleſia,aut in rep. dominatur,mirabiles habet motus. Quoniam vero,mei Mercatores,qui(dicere debeo quoniam veriſſimum eſt)uni Mercurio & Pluto ſervire videmini, adeo ob impeditū mare ſtomachamini,&quacunque ratione cum Anglis dominantibus tranſigi velletis, cogitate quæſo, quæ ſors veſtra ſub Anglis futura ſit, quicquid etiam ſomniatis,ubique ubi mercaturam exercetis circumſcribemini, &brevi India occidentali excludemini,imo nunquam ullis præmiis ſatiare eos poteritis, qui bellum injuſtum occœperunt ob naves & merces veſtras.Si una cū rep. velitis ſalvas fortunas veſtras, optetiſque propitia veſtra numina, non inſtar Directorū, ſed veſtris propriis ſumptibus claſſem adornate,eamque reip. Claſſi conjungite auſpiceque Deo feliciter rē gerite,mare expurgando:quod ut liberum ſit, ſic reip.intereſt, ut ex eo maximum lucrum ad vos redundet.Quo vero & ærarium beneinſtruatur & adminiſtretur, reliquaque negotia quam convenienter expediantur,

tur, providere potiſſimum debent & ſolent Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Dnn. Ordines Generales, una cū Conſilio Status, quibus ut à Deo precamur Spiritum Pietatis, Sapientiæ, & Prudentiæ, quæque hoc tempore per quam neceſſaria, Fortitudinis; ita optandum foret, hoc potiſſimū tempore, ratione Delegationis, ad Conſeſſus hoſce ſupremos, nihil daretur favori & ambitui; ſed ex quaque provincia tales delegarentur, qui vitæ integritate, illibata in Deum pietate, amore erga patriam, prudentiaque & experientia, non minus ſpectabiles eſſent, quam ętate. Alio tempore ratio habeatur cognati ſanguinis, & ſubſidiorum pro incolumitate familiæ ex ærario ratione muneris accipiendorum: præſens tempus a[illegible]d ſuadet, imo imperat. Idē obſervandum circa Collegia maritima, Amſtelodami, Hornæ, Roterodami, Medioburgi, & Harlingæ convenienter inſtituta; quæ non admittunt hoc tēpore imberbes juvenes, tirones, multo minus δημοβόρους, & terræ inutilia pondera: verum viros uſu & experientia circa res nauticas præditos, qui niſi ad Collegia hæc, citra ambitum (pro dolor nimium quam ubique dominantem) delegentur à ſuis provinciis, impoſſibile eſt ut negotia maritima convenienter expediantur. Utile quoque foret, durante hoc bello, Vliſſingæ, in Goere, & inſula Teſſalia perpetuo ſedere aliquos aut ex Ordinibus Generalibus, aut ab iis delegatos, qui attendant ad

naves

naves bellicas exeuntes & ingredientes; qui ut ſuprema poteſtate ex delegatione gaudere deberent, ſic pariter circa ſe habere omnia, quę ad inſtruendas naves requiruntur. In tribus hiſce locis proinde, præter omnigenam annonam, perpetuo quoq; occurrere deberent ſocii nautici & milites, qui ad modum ſupplementi diſtribui queant per naves bellicas è mari accedẽtes. Singulæ quoque provinciæ, per ſuos Ordines, eorumve Delegatos, quæ ad ſe ſpectant, quanto ocyus expedire deberent, nec tergiverſari aut in conferenda pro ſua parte pecunia, aut inſtruendis navibus, noviſve ædificandis: obſervatum quippe deliberationibus maturis & prudentiſſime inſtitutis non reſpondiſſe ſperatum ſucceſſum, quod provinciæ nimium tergiverſarentur aut in aperiendis ſuis conſiliis, aut in conferendis ad executionem requiſitis ſubſidiis. Optandum quoque foret, ne arcana conſilia, eo fere die, quo capta ſunt, eliminarentur, ſevereque illi caſtigarentur, qui jactant ſe quanto ocyus ea cognoſcere poſſe, maxime qui & typis, quo publice legantur, & diſcutiantur, eadem exſcribi curant. Si quid Statui noſtro grave pernicioſumque, hoc ipſum eſt, atque utinã! ſupremi noſtri Moderatores ſerio cogitarent de remedio, eoſque ſuo exemplo excitare poſſet Reſp. Veneta, quæ Angelum Bradarium domi nobiliſſimum, in effigie, quod profugus eſſet, ſuſpendi curarunt anno 1602. nullam aliam ob

caussam.

caussam, quam quod exteris Principibus, re quidem hostibus reip. arcana patrii Status aperuisset. Sed, an ad hæc omnia expediunda non requiritur supremus Exercitus terra marique Imperator? Sic multi existimant, ita judicat vulgus, atque pro dolor! hoc nomine in partes distracta videtur resp. Ego capite censùs judicium meum non interpono. Hoc certum, apud Romanos laborantem remp. dictatores, ad tempus dictos, sæpius in integrum restituisse, & Venetos, summo cum successu, quando maritimo bello se afflictos senserunt, constituisse Amiralium cum suprema potestate; ne dicam de periculis, quæ terra ut imminere videntur, sic pariter quoque in tempore caput militiæ efflagitare, quod collapsam restituat. Quid enim futurum, si aut Lotharingus cum toto exercitu (quod metuendum maxime) in provincias nostras se effundat, aut Elector Coloniensis coacto exercitu obsideat Rhenobercam, aut Elector Brandeburgicus (maximi amici, ut in Anglis videmus, cito inimici fieri possunt) suas ad Rhenum urbes armatis precibus repetitum veniat, aut denique idem fiat ab ipso Imperatore ratione urbium, quæ imperio subtractæ videntur, ne dicam Hispaniarum Regem semper invenire posse prætextum armis nos invadendi. Certe, hæc si bene cogitentur, videntur efflagitare Imperatorem in armis exercitatum; & authoritate non minus quam natalibus conspicuum

cuum: quamvis Veneti ſæpe Amiralios ſummos conſtituerint ex ſuis nobilibus, & aliquando à Belgii Ordinibus ſupremus Imperatoris locus delatus fuerit Dn. Franciſco de la Noue, cui tamen nobiles, qui ſe præteritos cenſebant, omnibus modis obſtiterunt. At hic ſubſiſto; Deum toto animo rogans & obteſtans, nobis omnibus Spiritum reſipiſcentiæ & precum dignetur concedere, motus inteſtinos componere, mediis, quæ adhibemus pro aſſerenda religione & libertate, clementer benedicere, atque huic bello talem largiri exitum, qualem nomini ſuo glorioſum, & nobis publice privatimque ſalutarem eſſe cognovit. Ei uni ſit laus & gloria in omnia ſecula, Amen.

FINIS.

APPENDIX.

SCripseram ea, quæ præcedentia capita exhibent, ineunte mense Junio, currentis hujus anni cIↃ. IↃc. LIII. sed quod per Typographiam occupatissimam chartæ jacerent disjectæ, à Typotheta coronis operi non est imposita, nisi appropinquante anno proximo. Interea evenerunt varia, quæ dissimulari neque possunt, neque debent. Maxime navalia negotia turbavit excessus Neptunii nostri Herois, MARTINI TROMPII; qui quam gloriosus ei, tam luctuosus universæ Patriæ fuit. Cecidit ipse ut alter Epaminondas, d. x. Augusti secundum stylum Gregorianum, glande plumbea emisso tormento manuario ictus in dextro pectore, moriendoque ignominiose cedere compulit Anglio, qui sibi jam possidere videbantur portus, quos per

 osci-

oſcitantiam publicatur ad aliquot hebdomadas obſederant. Victoriæ fructus aut evanuit, aut nullus fuit habitus, quod nautica gens amiſſo hoc ſuo patre, tantum tribuerit dolori, ut ante cum navibus laceris ad portus redire voluerit, quam exegiſſet recentis parricidii à regicidis juſta piacula. Inde publicum juſtitium, omnes civitates repletæ mœrore, nullus non ordo conſternatus, cunctorumque ora haud aliter pallida atque trepida, ac ſi aut Hannibal ad portus cum exercitu ſtaret, aut Tyrannicum Inſulanorum jugum recipiendum eſſet. Nullus rex aut princeps moriendo unquam tot ſubditis ſuis excuſſit lacrymas, ac fœderatis Belgis victor Trompius. Navales ſocii ſuum deflere patrē & commilitonem, centuriones maritimi ſuum anteceſſorem & ducem, mercatores pervigilem & fideliſſimum mercium ſuarum cuſtodem, cives reip. Achillem, ſupremi Magiſtratus obedientiſſimum & fortiſſimum

mum suum ministrum, Ecclesia vivum Christi membrum, & in sagato viro infucatam & illibatam pietatem; patria patronum sincerum omnisque fuci nescium. Soli gaudere regicidæ, qui neglecto damno tot perditarum navium, & hominum occisorum millium, supplicationem ad DEUM pro servatis suis reliquiis, & submoto Belgarum Themistocle Pharisaico Zelo instituerunt. Non potuit quidem vir omni præconio major, longa serie suos recensere majores, sed eo gloriosior, quod sibi nobilitatis insignia merendo, non ab Ordinibus fœderati Belgii, sed Christianissimo Galliarum rege procurarit. Quanquam pater illius HERPERTUS MARTINI TROMP, cum quo Noster vix septennis sulcavit mare, neutiquam obscurus haberi potest: cum *Hemskerckio* siquidem ad Calpen, ut navalis Centurio, anno CIↃ.IↃC.VII. præclare rem gessit, atque ad Africam anno decimo currentis hujus

feculi, à privato Anglo occisus, patriæ spiritum impendit. Juventus, quam Noster, modo in triennalibus vinculis, à piratis injectis, modo sub fortissimo navali Centurione *Moy Lambert*, difficulter quidem, sed tamen inculpare transegit, firmavit non minus eum ad omnem patientiam & laborem; quam Archithalassum ad unguem formavit. Dum enim per gradus ad centurionatum tendit, omniaque nautica munia sedulo atque solerter obit, quomodo aliis ea præscribere conveniat, non minus didicit, quam artem demulcendi eos, qui dum in aspero plerunque elemento degunt, asperiores minusque tractabiles esse solent. Inde eum præ omnibus aliis, quos laborum suorum habebat socios; æstimavit *Petrus Heinius*; Potentissimique Ordines Belgii fœderati, cum Illustrissimo FREDERICO HENRICO Arausionensium Principe, compulerunt pro Patria ut Vice-Amiralium eo tempore

rem

rem gerere, quo pertæsus aliorum ignaviam, privatam Roterodami vitam transigere meditabatur. Merebatur quippe eum locum viri virtus, qua sola ferme ab anno XXX. hujus seculi, usque ad annum XXXIV. navalis Belgarum gloria nixa fuerat: quæ eo habebatur illustrior, quod neglectis præmiis, quæ ei debita fuissent, ob tot captas aut depressas Duinkerkanorum naves, nullam aliam ob caussam, semet exauctorasset reddito gladio, quam quod aliis impune esset in mari negligenter & perfide rem gerere. Quæ ut Amiralius pro rep. egit, per indicem supra sunt relata, nec ulla ætas ea obliterare poterit. Illustravit eadem maledicentia & invidia hominum in se vilium quidem, sua tamen opinione magnorum: qui quod minus honoraretur sua ignava nobilitas, Nostri, prudentissimis consiliis, & fortissimis laboribus irrito conato detrahere cœperunt. Quorum efferata rabies licet multoties in fa-

mosos libellos proruperit, expugnare tamen non potuit Palladium conscientiæ, publicumque bonorum testimonium. Vincere quia Noster assueverat, Calumnia, victoriam forte aut per vim majorem, aut per tempestatem, aut per desertores commilitones (pro dolor! multoties hoc accidit) præceptam, imputare sustinuit ignaviæ. Sed semur feriente universa nautica gente; cui gnarum erat, summam viri virtutem, nec mortem, nec diabolum unquam timuisse, sed unum Deum, cui quotiescunque cedere debebat, placide, ut Christianum decet, in ejus voluntate acquiescebat, servando se alii tempori. Non alter peritior tractandi populum Pelagium, meosque navales socios; blando eos compellare alloquio, in navi una cum iis cibum capere, eundē subire lectum, idem adire periculum, monere ut filios, præire instar patris, primos capessere labores, consolari ægros, incitare torpentes, laudare alacres,

alacres, suo docere exemplo non deserendum locum quem occupasse mors videbatur, in summa ea omnia agere, quæ quis in carina etiam, utque singuli singula facerent, à duce omnia simul, sed æque alacriter semper, fiebant. Quis miretur ergo, à nautarum filiis hunc in oculis fuisse gestatum, sociosque maluisse sub tam forti, blando, prudenti, & pervigili duce absque stipendio patriæ vitam impendere, quam sub quocunque alio magno auctoramenta merere. Quoniam existimationem patriæ adversus superbiam Anglorum, qui occasionem belli sub quocunque prætextu captabant, strenue & circumspecte tuitus fuerat in primo congressu, avaritia Belgicorum mercatorum, Anglorum hypocriticæ sociata justitiæ, ausa fuit eum belli vocare incitamentum: frementibus interim iis, qui jura navalia cum supremarum potestatum mandatis non minus norunt componere, quam sciunt quid reip.

majeſtas exigat. Fœderati Ordines,ut ſupremum erga virum meritiſſimum de publico teſtarentur affectum, & aliquo ſolatio ſqualidam pubem nauticam recrearent, Cenſorium defuncto decreverunt funus, quod Delphis quinto Sextilis die ductum fuit. Iidem, per Celeberrimum Boxhornium (qui & ipſe ſex hebdomadis poſt à ſcripto hoc Cumæo carmine morti ſuccubuit) hoc ſtatuerunt

EPITAPHIUM.

D. O. M.

S.

ET

MARTINO HARPERI
TROMPIO, HEROI
INCOMPARABILI.

Qui

Qui Patre, Viro fortissimo, ac Heemskerckana quoque ad Gades expeditione Inclito, quique & Ipse Patriæ Vitam impendit, genitus, ab ipsa statim adolescentia per discrimina multa ac Maria varie tractus & exercitus, captusque aliquando, & ob Maritimarum rerum singularem scientiam, ipsis etiam hostibus æstimatus, sed inter aut minas aut promissa horum ingentia Fidus semper Patriæ ac Constans, Libertati ac Patriæ redditus, huic juvandæ totum se dedit, & tandem ad Præfecturam Maris admotus, quam septendecim fere annorum non tam spatio, quam admirandis successibus nobilem fecit, post Duynkerckanorum vim sæpius, inprimis ad Mardicum, fractam, post Hispanorum magni terroris classem repressam, post eandem in Cantii littore dissipatam, Gestaque alia, Vi hostium ac Manu plerumque Minor, sed virtute, Animo ac Ausu semper Major, Interritus, Invictus, tandem maritimo cum Anglis Bello Republicæ præter exspectationem nuper illigatâ, dum neque Hostibus parcit neque Sibi, publici

egregii bono devotus, glande plumbea percussus Victor occubuit, & insignem hostibus cladem ac terrorem, majorem turbato Mari securitatem, Patriæ ingens desiderium sui, sibi gloriam Nominis immortalem, Se rei militiaque navalis Peritiæ, Fidei pro Republica, Prudentiæ, Fortitudinis, Magnanimitatis ac Constantiæ nobilissimum exprimendumque Posteris exemplum reliquit: Hoc Monumentum Ingentium Meritorum ergo FOEDERATORUM BELGARUM ORDINES *posuere.*

Posteri Virtutem imitantor.

Per mortem tanti capitis, res navalis haut leviter quidem in fœderatis provinciis concussa fuit; non tamen prostrati pariter Imperantium animi. Ut enim immortalis ipsa resp. est; ita neq; mori, neq; occumbere possunt, illi ipsi, qui reip. operam commodant suam. At cum plures mererentur ex æquo, supremum in mari imperium,

cæterum

cæterum fiduciarium, atque uni tamen duntaxat committi illud posset; post maturam deliberationem, superstitibus Argonautis, quo desideratissimus *Trompius* repræsentari posset, virum Hollandici sanguinis sociare placuit, locumque *Trompii* cedere Generoso, vereque nobili viro D. *Iacobo van VVassenaer*, Toparchæ in *Opdam, Hensbroeck, Zuyck*, &c. qui tyrocinium militiæ terrestris feliciter non solum deposuit, sub magno illo Imperatore *Frederico Henrico Auraico*; sed ea quoque virtutis & raræ prudentiæ multoties specimina edidit, ut nullus dubitet, quin aspirante Divina gratia, adjuvantibusque viris peplo dignissimis, *VVitte Cornelisse de VVit*, *Iohan Evertse*, *Michiel de Reuter*, & juniori *Trompio* paternarum virtutum æmulo, superaturus sit patrem, licet, ut suo loco notatum, quondam splendorem Archithalassi stationi procurarit; atque novam non minus lucem fœneraturus sit Il-

lustri

lustri genti *VVassenariæ*, cum gente *Brederodia* descendenti ex Comitibus Hollandiæ, quam utilissimam patriæ, maxime Hollandiæ, quæ tenerius eum fovet, operam daturus.

Deus Opt. Max. viro egregio è cælo prolixè benedicat, in patria gratiam ad auxilium ei æther concedat: ipsi autem reip. nostræ faciem non amplius iratam, sed placatam exhibeat: qua ut gaudeamus, omnium nostrum corda non solum ad se convertat, sed suo quoque obsequio mancipet.

FINIS.

Errata eminentiora, quæ per abſentiam Authoris irrepſerunt, ſic corrigantur:

PAg. 33. l. 24. *vindicat author Incertus Panegyrico.* Pag. 51. l. 8. *E veterum.* p. 62. l. 15. *à Turcis.* pag. 72. l. 14. *induſtria.* ib. l. 24 *Heuterus.* p. 75. l. 1441. p: 83. l. ult. *Iuliano.* p. 84. l 20. *Enchuſani.* p. 87. l. 1. *ignominioſa.* p. 91. l. 3. *ſuffecerit.* p. 100. l. 21. *Sueca.* p. 105. l. 12. *Iohan Evertſe.* ib. l. 26. *Anglicanum.* pag. 115. l. 14. deleri debent tanquam otioſa hæc verba: *Privatum unquam.* p. 116. l. 24. *de Iure maritimo.* p. 117. l. 21. *ep.* 57. p. 118. l. 6. *ὁμοψήφους Loccenius.* p. 120. l. 3. tranſpoſita ut ſunt verba *noſtri milites navales*; ita legendum: *Si ſocii noſtri, & milites navales.* p. 136. l. 4. *pondere.* p. 137. l. 14. *alius illud.*

Hæc, omiſſis levioribus erratis, in ſex prioribus foliis Author obſervavit, in reliquis ſi quid commiſſum fuerit, rogatur benevolus Lector, illud reſtituere dignetur.

1095